Collationes Brugenses

Introductio in theologiam mysticam.

Tabula III.

Restauratio et perfectio regni Dei supernaturalis per Christum.

Pars altera.

Adventus Christi, ejusque opus redemptionis.

II. — Vita Christi publica (1).

Vita terrestris Redemptoris tota unicum respiciebat finem glorificationis Dei, procurandæ specialiter per restaurationem ordinis lapsu hominis turbati, ejusdemque ordinis perfectionem.

Itaque omnia ex Christi intentione tendunt ad perficiendum opus gloriosum redemptionis, et ad instituendam Ecclesiam suam, per quam merita sua applicanda erant omnibus in finem sæculorum hominibus.

Ad hunc duplicem scopum dirigitur omnis actio Christi, tum in vita abscondita, ut jam vidimus, tum apertius et continuo eo efficacius quo magis propinquabat consummatio suæ divinæ missionis, in vita publica. Et summi quidem momenti est, nos hunc duplicem scopum ante oculos habere, dum legimus Evangelium : etsi enim omnia quæ narrantur de vita, prædicatione, institutione Ecclesiæ, passione et morte vicaria Christi, utpote divina,

(1) Vide supra tomo XXIV, p. 441.

etiam separatim per partes lecta, ædificatione plena sunt; ad penetrandum tamen sensum profundum et completum, intimam medullam Evangeliorum, et percipiendum fructum primarium a Spiritu sancto inspirante intentum, necesse est duplicem omnis actionis Christi Redemptoris indicatum scopum, qui singula ad unum conspectum redigit, constanter præ oculis servare, in volvendis sacris paginis. Igitur jam de vita publica Salvatoris agamus.

Christus, cum esset ætate circiter triginta annorum, ætate virili perfecta, incepit vitam suam apostolicam (1). Primo quidem divina inspiratione monet præcursorem suum Joannem, ut relinquat desertum, ubi se longa ac dura pœnitentia suæ missioni præparaverat (2), et annuntiet proxime futuram apparitionem Messiæ, simulque prædicet pœnitentiam ad eum digne recipiendum, atque in signum pœnitentiæ baptizet qui crediderint (3).

Quando jam, audito nuntio adventus Messiæ, qui testantibus prophetiis hoc ipso tempore exspectabatur, magnus hominum concursus factus erat ad Joannem (4), venit ipse Christus ut vitam suam publicam inauguraret testimonio cœlesti, quo Pater coram multitudine ipsi confert missionem Salvatoris mundi. Venit ergo ad Joannem, a quo sicut cæteri baptizari voluit, sed ecce ex aperto cœlo in ipsum descendit sub specie columbæ Spiritus sanctus, et vox Patris auditur : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (5). Quæ quidem turbis indicabant hunc baptizatum esse Filium Dei, non peccatorem sed peccata mundi tollentem, Messiam in quem credendum erat.

Post hanc cœlestem testificationem statim deducitur Christus a Spiritu sancto in desertum, ut proxime præparet se ad vitam suam publicam. Ibi jejunat per quadra-

---

(1) *Luc.*, III, 23.
(2) *Matt.*, III, 4; *Marc.*, I, 6; *Luc.*, I, 80.
(3) *Matt.*, III, 1 sqq.; *Marc.*, I, 4 sqq.; *Luc.*, III, 3 sqq.
(4) *Matt.*, III, 5; *Luc.*, III, 15.
(5) *Matt.*, III, 13 sqq.; *Marc.*, I, 9 sqq.; *Luc.*, III, 21, 22.

ginta dies et noctes, et postea, demonstrans esse se verum hominem, esuriit, et tentari se sivit a diabolo (1) ut doceat nos quomodo sit tentatori resistendum. Satan continuo ab ipsa nativitate Christum observitavit ut sciret quis reapse esset, utrum Filius Dei, Deus de Deo, anvero, largiore sensu, sanctus, specialiter a Deo dilectus et missus, utque consequenter modum reperiret impediendi opus redemptionis. Jam, ex eventis cum prophetiis collatis, ex nuntio allato pastoribus, ex circumcisione, aliisque indiciis noverat Christum esse Messiam exspectatum, eumque esse passibilem ; non tamen, ex prophetiis, quamquam Messiam ut Deum annuntiantibus, intelligebat mysterium incarnationis, et ignorabat an Christus esset verus Deus. Audita autem voce Patris in baptismo, nunc in deserto Salvatorem tentans, conatur scire quis vere esset ; frustra tamen, cum a Domino repulsus nihil addiscit.

Tum, aliam viam init, adducit nempe principes Judæorum, puta membra Synedrii, ut mittant sacerdotes et levitas ad Joannem interrogandum. At rursum nihil novi percipit : Joannes declarat se non esse Christum sed ejus præcursorem ; et licet postridie idem Joannes, accedentem videns Jesum, eum designet ut Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi, imo eum testetur esse Filium Dei (2) ; manebat tamen diabolo dubium de vero hujus appellationis sensu.

Post proximam præparationem per jejunium et orationem in deserto, incipit Christus labores suos apostolicos, vocando quosdam discipulos, qui constituant quasi primum nuncleum fundandæ Ecclesiæ. Quos quidem attende fuisse pauperes et humiles, secundum prophetiam Isaiæ (3), animas simplices et bonas, quæ *fide* sincera

---

(1) *Matt.*, IV, 1 sqq. ; *Marc.*, I, 12, 13 ; *Luc.*, IV, 1 sqq.

(2) *Joan.*, I, 19-34.

(3) Cap. LXI, 1, ubi propheta indicat evangelizationem pauperum ut notam distinctivam Messiæ. Cf. *Matt.*, XI, 5 ; *Luc.*, IV, 18.

audient vocantem ; dum superbi, scribæ et pharisæi manebant *increduli*, et fient persecutores Christi, instrumenta diaboli ad eum occidendum, simulque instrumenta ipsius Christi ad salvandum passione et morte sua mundum.

Primi fide occurrentes Salvatori sunt duo discipuli Joannis Baptistæ, ipso indicante ut vidimus, nempe Joannes et Andreas. Hic ad Jesum adducit fratrem suum Simonem, quem intuens Christus, dicit : « Tu es Simon, filius Jona ; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus » (1), sic prænuntians quid de eo facturus erat postea. Quod fecerat Andreas, Joannes idem fecit erga fratrem suum Jacobum, eum pariter adducens ad Jesum. Postridie Salvator, relinquens Jordanem ut rediret in Galileam, obvium habet Philippum, a Bethsaïda, civitate Andreæ et Petri, eique dicit : Sequere me ; qui rursus addit Nathanaëlem, eumdem probabiliter ac Bartholomæum. Hic, non obstante sua objectione : an aliquid boni esse possit a Nazareth (2), occurrit obviam Christo, qui ad se venientem videns, « dicit de eo : Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est. Dixit ei Nathanaël. Unde me nosti ? Respondit Jesus et dixit ei : Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanaël, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël. Respondit Jesus, et dixit ei : Quia dixi tibi : Vidi te sub ficu, credis : majus his videbis » (3).

Itaque hi fuerunt sex priores discipuli Christi, viri simplices et pauperes Galilei, plerique piscatores stagni Genesareth, qui ad primam vocem Domini, fide viva et sincera eum sunt secuti ; vocati quidem interna quoque gratia, et comitante exterius Christi præstigio ac manifestatione supernaturalis ejus scientiæ, absque vero viso miraculo, sincera et plena fide responderunt vocanti.

---

(1) *Joan.*, I, 42.

(2) A Nazareth, parva civitate, in Galilea gentium, scilicet ubi inter Judæos habitant multi gentiles, et nullius respectus.

(3) *Joan.*, I, 35-51.

Quatuor priores vocabit Dominis postea ad suam sequelam continuam (1), et omnes sex eliget in apostolos (2).

Cum his suis discipulis vocatus est Jesus ad nuptias in Cana Galileæ, ubi, petente matre, fecit suum primum miraculum, ad se manifestandum, ad honorandum conjugium, et ad confirmandam fidem discipulorum (3).

Post nuptias Cana, petiit Jesus Nazareth et inde Capharnaum, ut in comitatu suorum tenderet Jerusalem occasione festi proximi Paschæ. Nunc jam coram suis manifestare se voluit *universo Israël*, qui non tantum e Judæa sed ex omni regione ad festa paschalia occurrere solebat, juxta præceptum legis (4). Sic quoque acturus est occasione festorum sequentium annorum, sed et consummaturus opus redemptionis per passionem, mortem et gloriosam resurrectionem publice in eodem concursu populi occasione Paschatis. Ratio et finis præcipui, in mente Dei, hujus præcepti legalis, sine dubio fuerunt manifestatio publica Messiæ, ejusque sacrificii in redemptionem mundi, atque glorificationis.

En jam quomodo se manifestavit illa prima vice Salvator. Cum advenit in Jerusalem, ingreditur templum, et supremam suam auctoritatem asserit expellendo e loco sancto mercatores. Principes Judæorum, attoniti idque indigne ferentes, ipsum interrogant quo jure et auctoritate id faciat : quippe quem habebant ut pauperem, filium fabri, circumdatum quibusdam discipulis pauperibus et ignotis ac insciis, nunc vident absque prævio miraculo, nec demonstrata sua origine ex Davide et nativitate in Bethleëm, sine obtenta licentia, agentem ut dominum in templo tamquam in domo Patris sui, sicque se affirmantem Filium Dei, exspectatum Messiam. Dicunt ergo ei : Quodnam signum seu prodigium edis ad legiti-

---

(1) *Matt.*, IV, 18-22 ; *Marc.*, I, 16-20 ; *Luc.*, V, 1-11.
(2) *Matt.*, X, 1-4 ; *Marc.*, III, 14-19 ; *Luc.*, VI, 13-16.
(3) *Joan.*, II, 1-11.
(4) *Exod.*, XXIII, 14-17 ; XXXIV, 23 ; *Deut.*, XVI, 16.

mandum modum tuum agendi ? Dominus, prævidens eorum incredulitatem finalem, signum eis prædicit futurum, omnium maximum, sed quod ipsis absconditum manet : Solvite templum hoc [scil. corporis mei] et in tribus diebus excitabo illud [gloriosa resurrectione] (1).

Non solummodo sic se publice affirmavit Messiam Christus, sed toto tempore paschali miracula plurima patravit, ita ut multi in ipsum crederent, alii quidem uti in prophetam, alii vero tamquam in Messiam exspectatum, et alii rursus fide vera et firma, alii fide debili et humana, eum brevi relicturi vel et persecuturi. Quod insinuat s. Joannes dicens : « Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quæ faciebat. Ipse autem Jesus non credebat seipsum eis, eo quod ipse nosset omnes » (2). Etiam pharisæus quidam, princeps populi et membrum synedrii, Nicodemus nomine, videns Christi miracula, ad eum accedit noctu fide sincera, quem Dominus docet necessitatem renascendi per baptismum et credendi in Filium Dei incarnatum, hujusque mortem in cruce, in mundi salutem, siquidem ille destinabatur ut, simul cum Joseph ab Arimathea, sepulturam Christo procuraret (3).

Vides quomodo hac sua prima manifestatione universo populo Israël Christus duplicem finem, supra indicatum, præ oculis habet : ab una parte, fundationem Ecclesiæ suæ, cujus præparat elementa, tum multiplicans credentes in se, futura Ecclesiæ membra, tum fidem confirmans discipulorum, qui futuri sunt Apostoli, prima secum et sub se ejusdem Ecclesiæ fundamenta ; ab altera parte, intuitu redemptionis per passionem et mortem suam, permittit incredulitatem principum populi, qui obstinatione sua, superbia et vitiis suis, instrumenta fient diaboli ad parandam sibi mortem in cruce : sic illis et ipso diabolo, insciis utetur ad perficiendam

---

(1) *Joan.*, II, 13-22.
(2) *Joan.*, II, 23-24.
(3) *Joan.*, VII, 45-53.

redemptionem. Re quidem vera homines illi malitia sua et hypocrisi, et falsa apprehensione sua Messiæ ejusque regni, quod putabant fore temporale, eo vel magis quod tunc temporis sub dominatione gentilium Romanorum gemebant, quamque falsam opinionem docebant populum, apta erant instrumenta ad intentam a Christo mortem expiatricem procurandam. Ubi obiter nota jam tum incipere discretionem seu separationem, prædictam a Simeone, inter fideles per Christum salvandos, ejusdemque contradictores ac persecutores.

Post manifestationem publicam in paschate, Jesus relinquit urbem Jerusalem, manet tamen aliquo tempore in Judæa, docens et miracula patrans, dum discipuli ejus baptizant. Quæ quidem æmulationem excitant discipulorum Joannis, et sic volente Christo provocant novam declarationem publicam ejusdem Joannis, asserentis expresse messianicam missionem et divinitatem Christi, atque necessitatem credendi in ipsum ad obtinendam vitam æternam (1).

Tum Christus relinquit Judæam : cum audivissent pharasæi Jesum plures quam Joannem facere discipulos, pluresque baptizare (2), noluit eorum iram magis excitare, cum tempus passionis suæ nondum advenerat. Redit igitur in Galilæam (3), ubi credentes in ipsum immunes erunt a persecutione.

Transiens per Samariam, se notum facit qua Messiam mulieri samaritanæ in Sichar (olim Sichem), ubi multi incolæ in ipsum credunt (4). Galilæam ingressus, noluit primum adire Nazareth, prævidens malam dispositionem incolarum, inter quos adoleverat, quoniam, ut ait ipse (5) « propheta in sua patria honorem non habet » ; itaque

---

(1) *Joan.*, III, 22-36.

(2) *Joan.*, IV, 1, 2. Observat evangelista non Jesum, sed discipulos ejus baptizasse.

(3) *Joan.*, IV, 4 ; *Matt.*, IV, 12 ; *Marc.*, I, 14 ; *Luc.*, IV. 14.

(4) *Joan.*, IV, 4-42.

(5) *Joan.*, IV, 44 ; *Matt.*, XIII, 57 ; *Marc.*, VI, 4 ; *Luc.*, IV, 24.

infensam hostilemque demonstrationem vitavit, ne scandalum paterentur alii Galilei, quorum multi testes fuerant eorum quæ fecerat in Jerusalem tempore paschali (1).

Aliquo tamen die prædicabit in synagoga Nazareth, ut incolis occasionem præbeat agnoscendi suam missionem, sed ei minantur mortem, quam nonnisi divina sua potentia vitat (2) ; unde miseros illos jam non docet, nec apud illos miracula et sanationes operatur.

His relictis, omnem percurrit Galileam, adimplens prophetias, ostendens se a Patre accepisse omnem scientiam et potestatem in res omnes, docens cœlestem doctrinam, innumera operans miracula et sanando omnem morbum et infirmitatem, ratione *fidei* in se quam prævie exigebat vel prævidebat. Hujus loci non est hæc omnia enumerare, integramque historiam evangelicam recitare ; sed mens nostra est indicare modum legendi evangelia sub lumine duplicis scopi supra expositi, quem habuit Christus in agendo ac docendo. Quod quidem in præcedentibus dictis jam attentus lector adverterit, et in sequentibus porro prosequemur.

Itaque, post illud iter apostolicum per Galileam, Christus occurrente aliquo festo regreditur Jerusalem, ibique sanat hominem ab infirmitate triginta et octo annorum, die subbati. Inde nova persecutio a parte principum Judæorum, et nova Christi eaque expressa affirmatio suæ divinitatis. Judæi adeo irati sunt ut eum occidere vellent, utpote violatorem sabbati, et « quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo » (3). Inde occasionem arripit dæmon, ut magis excitet principes ad obstinationem in incredulitate, eisque suggerat rationes seu potius prætextus Christum morti tradendum : nempe violationem sabbati et blasphemiam. Re quidem vera, eum postea

---

(1) *Joan.*, IV, 45.
(2) *Luc.*, IV, 16-30.
(3) *Joan.*, V, 18. Et legatur integrum cap. V.

morte condemnabunt ut blasphematorem. Jam autem nunc adeo anhelant cædem, ut plures eorum eum sequantur in Galileam revertentem (1), omnem ejus agendi rationem exploraturi, et apud turbas eum accusaturi uti transgressorem legis, violatorem sabbati, ministrum diaboli et ab eo possessum, blasphematorem, eum in finem ut avertant populum a fide in eum, ipsumque perdendum. At, Christus eos coram turbis confundit, eorum malitiam et hypocrisim revelans, eisque exprobrat eorum incredulitatem atque ipsis prædicit ruinam temporalem ac æternam (2).

Juvat heic rursum attendere quo mirabili modo Verbum incarnatum, Omnipotens, ipsa Sapientia et Bonitas, dum serio vult salutem inimicorum, simul attenta eorum obstinatione, iisdem utatur, salva omnino eorum libertate, tamquam instrumentis ad præparandam suam passionem ac mortem, atque simul permittat diabolo iisdem uti in eumdem finem, adeoque allaborandi inconscium propriæ suæ ruinæ. Hæc omnia jam apparent nunc, evidentius autem apparebunt prosequendo narrationem evangelicam, Christo omnia disponente pedetentim, cum pondere et mensura, eo efficacius quo magis appropinquat definitum tempus.

Pariter agit Salvator in fundanda sua Ecclesia. Etenim, relicta Jerusalem, itinera apostolica resumens, docet turbas, præsertim parabolis (3), quibus in gratiam discipulorum addit interpretationem, multiplicia operatur miracula, omnes sanat infirmos, semper exigens *fidem*, liberat possessos a dæmone, cui silentium imponit, omne testimonium ab inimico respuens, et sanatos quoque sæpe jubet tacere, quoniam verbo suo increduli non merebantur ab aliis accipere testimonium, et quia nolebat

---

(1) *Marc.*, III, 22 ; VII, 1 ; *Luc.*, V, 17.

(2) Inter alia lege *Matt.*, XII ; XV, 1-20 ; XVI, 1-4 ; *Marc.*, III, 22-30 ; VII, 1-23 ; *Luc.*, V, 17-39 ; VI, 1-11.

(3) Juxta prophetiam *Isaiæ*, VI, 9 et 10.

ante præfixum tempus iram persequentium se magis accendere. Sic agendo multiplicat credentes, membra futura Ecclesiæ. Ab altera parte novos vocat discipulos, inter quos Levi seu Matthæum, quem postea eliget in apostolum.

Hos electurus secedit vespere in montem, per noctem oraturus, et mane facto vocat ad se discipulos, inter quos eligit duodecim, quos appellat apostolos, quibus concedit jam donum gratuitum sanandi et expellendi dæmones (1). Inter hos primus electus est Simon, cui imponit jam nomen Cephas seu Petrus (2), prout ipsi prænuntiaverat a prima vocatione. Apostolos instruit de futuris eorum muniis (3), atque cum illis pergit in prædicando per Judæam et Galileam, mirabilem divinamque doctrinam, ut tum populum, tum præprimis discipulos et apostolos initiaret progressive in cognitione mysteriorum celsissimorum fidei : sanctæ Trinitatis, divinitatis Christi ejusque operis redemptionis, divinæ gratiæ mediorumque salutis, specialiter Eucharistiæ (4) : ut iis quoque doctrinam morum in omni sua perfectione proponeret, clare ostendens se non ad abolendum legem et prophetas sed complendum ac perficiendum venisse : prædicans primum et maximum mandatum dilectionis Dei, et alterum simile huic dilectionis proximi (5), non jam sensu restricto judaïco, sed extenso ad omnes et ad inimicos (6) ; condonationem injuriæ (7), verbo perfectionem omnium præceptorum (8), indissolubitatem matrimonii (9), præcellentiam virginitatis (10), doctrinam moralem quoque

---

(1) *Matt.*, x, 1-4 ; *Marc.*, III, 13-19 ; *Luc.*, VI, 12-16.
(2) *Marc.*, III, 16.
(3) *Matt.*, V, 13-16 ; *Marc.*, IX, 49 ; *Luc.*, VIII, 17 ; XI, 33 ; XIV, 34 et 35.
(4) *Joan.*, VI.
(5) *Matt.*, XXII, 34-40 ; *Marc.*, XII, 28-34 ; *Luc.*, X, 25-28.
(6) *Matt.*, V, 43-47 ; *Luc.*, 29-37, parabola boni Samaritani.
(7) *Matt.*, V, 25, 26 ; XVIII, 15, 21, 22 ; *Luc.*, XII, 57-59 ; XVII, 3, 4.
(8) *Matt.*, V, 17-48.
(9) *Matt.*, V, 32 ; XIX, 3-12 ; *Marc.*, X, 2-12 ; *Luc.*, XVI, 18.
(10) *Matt.*, XIX, 10-12.

perfectam « Beatudinum », in admirabili sermone montano (1), necessitatem, qualitates et efficaciam orationis, hujusque divinam formulam (2).

Docens Christus simul operatur omnigena miracula : sanans omnem languorem, liberans possessos a dæmone, imperans ventis et fluctibus, ambulans super mare, suscitans mortuos, filiam Iaïri, filium viduæ Naïm, pluries multiplicans panes (3) ; sic ostendens se esse naturæ atque vitæ ac mortis dominum. Hac ratione adauget numerum credentium, dum increduli et persecutores sui magis obstinantur ; simulque confirmat fidem suorum discipulorum, eosque operi apostolico præparat, mittens apostolos binos ad prædicandum regnum Dei, adjectis consiliis et methodo sequenda (4), necnon monitis pro futuro tempore, eos muniens adversus persecutionem, quam oportebit patienter tolerare (5). Apostoli hoc suum ministerium facto exercent, cujus reduces magistro rationem reddunt (6). Designat quoque septuaginta duos discipulos, qui similibus consiliis et potestate a se muniti, ipsum præcedunt eique viam præparant (7). Pluries monita repetit apostolis et discipulis (8), eosque ad passionem et resurrectionem suam præparat, ea prædicens usque ter (9), et se transfigurans coram tribus prædilectis (10), qui testes postea erunt suæ agoniæ in horto Gethsemani.

---

(1) *Matt.*, v, ; *Luc.*, vi, 20-23.

(2) *Matt.*, vi, 5-15 ; vii, 7-11 ; xxi, 21, 22 ; *Marc.*, xi, 23-26 ; *Luc.*, xi, 1-13 ; *Joan.*, xiv, 13, 14 ; xvi, 23-24.

(3) *Matt.*, xiv, 13-21 ; *Marc.*, vi, 31-44 ; *Luc.*, ix, 11-18 ; *Joan.*, vi, 5-13 ; et *Matt.*, xv, 32, 39 ; *Marc.*, viii, 1-10.

(4) *Matt.*, x, 5-15 ; *Marc.*, vi, 8-11 ; *Luc.*, ix, 2-6.

(5) *Matt.*, x, 16-39 ; xxiv, 9-13 ; *Marc.*, xiii, 9-13 ; *Luc.*, vi, 40 ; x, 3 ; xii, 2-12 ; 49-53, xiv, 26-27 ; xxi, 2-16.

(6) *Matt.*, vi, 12-13 ; *Marc.*, vi, 30 ; *Luc.*, ix, 6-10.

(7) *Luc.*, x, 1-12

(8) *Matt.*, vi, 19-33 ; *Luc.*, xii, 22-48 ; xvii, 1-10.

(9) *Matt.*, xvi, 20-23 ; *Marc.*, viii, 10-33 ; *Luc.*, ix, 22. *Matt.*, xvii, 23, 22 ; *Marc.*, ix, 29-31 ; *Luc.*, ix, 44, 45 ; *Matt.*, xx, 17-19 ; *Marc.*, x, 32-34 ; *Luc.*, xviii, 31-34.

(10) *Matt.*, xvii, 1-3 ; *Marc.*, ix, 1-12 ; *Luc.*, ix, 28-36.

Intuitu fundationis Ecclesiæ etiam memoranda est promissio primatus a Christo facta Simoni Petro. Ut diximus primum vocans Simonem nuntiaverat ei Salvator : tu vocaberis Cephas, hoc est Petrus : postea illi idem nomen imposuerat, eum eligens primum inter apostolos ; nunc rationem reddit ejusdem nominis, occasione confessionis Petri : « Tu es Christus, filius Dei vivi », ei respondens : « Tu es Petrus et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam » etc. (1). Quam quidem promissionem adimplebit post resurrectionem.

Jam turbæ sequentium Christum in eumque credentium continuo accrescunt, ita ut quidam pharisæi Christo nuntient ipsum Herodem (Antipam) eum velle occidere (2), et Principes sacerdotum et Scribæ et Principes populi quærant eum perdere, « et non inveniebant quid facerent ei. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum (3). Iidem jam miserant ad eum ministros qui eum apprehenderent, qui revertentes et interrogati cur illum non adduxerint, responderunt : « Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo (4) ». Videlicet : « nondum venerat hora ejus » (5).

Hæc tamen hora, a se statuta, appropinquat. Diebus aliquot ante ultimum Pascha, in quo voluit mortem subire in salutem mundi, videtur Salvator voluisse evidentius apparere ut signum cui contradicetur, et positum in ruinam et resurrectionem multorum, ex vaticinio Simeonis (6), separans credentes ab incredulis persecutoribus, in horum ruinam propter propriam culpam et obstinationem, in illorum vero salutem. Etenim, miraculum suscitati Lazari, quod tum operatur Bethaniæ, in vicinio Jerusalem, et quod nullum dubium nec objectionem

---

(1) *Matt.*, XVI, 13-20.
(2) *Luc.*, XIII, 31-33.
(3) *Luc.*, XIX, 48.
(4) *Joan.*, VII, 31, 32, 45-49.
(5) *Joan.*, VII, 30.
(6) *Luc.*, II, 34.

admittit, erit ab una parte occasio salutis pluribus incolis urbis et peregrinis plurimis ad festa paschalia occurrere solitis, et ab altera parte, hoc idem miraculum, quo intendebat Christus, amore et misericordia plenus, principes Judæorum urgentius invitare ad resipiscendum, iisdem contra, ob prævisam obstinationem in malo, occasio erit ruinæ : rapiuntur enim in rabiem ad dementiam usque, statuentes Christum jam interimere, et cogitantes ipsum Lazarum redivivum e medio tollere (1). Igitur congregantur sub Caïpha, qui cum esset pontifex anni illius, prophetizat, verborum suorum verum sensum non perspiciens, Christum moriturum pro salute totius gentis, « et non tantum pro gente », ut addit s. Joannes (2), sed pro omnibus hominibus. Itaque dederunt Pontifices et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum ; volentes eum occidere post pascha, quia timebant populum (3). At vero, in ipsis illis festis paschalibus voluit Christus pati et in ipsa urbe Jerusalem, medio in concursu judæorum ex omni regione, et ita ex divino decreto factum est contra principum consilium.

† G.-J. Episc. Brugen.

(1) *Joan.*, XI ; XII, 10.
(2) *Joan.*, XI, 52.
(3) *Joan.*, XI, 56 ; *Matt.*, XXVI, 5 ; *Marc.*, XIV, 2 ; *Luc.*, XVII, 2.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis octobris propositas.

—

I.

In chronologiam Actuum Apostolorum, IX, 1-XI, 18.

Q. *Quæritur quonam ordine chronologico inter se sint componenda varia facta quæ narrat Lucas in* Act. Apost., *nimirum:* a/ *conversio s. Pauli (IX, 1-19a) ejusque prædicatio Damasci (IX, 19b-22) quæ, simul computata quadam commoratione in Arabia* (Gal., *I, 15 ss.*), *per tres circiter annos duravit* (Gal., *1, 18*), — b/ *Pauli fuga Damasco (IX, 23-25) et iter in Jerusalem (IX, 26-29;* Gal., *1, 18*), *quæ commoratio per quindecim tantum dies duravit fuitque reditu in Tarsum absoluta (IX, 30);* — c/ *visitatio ecclesiarum Palæstinæ a Petro instituta (IX, 31-43), cum connexa admissione Cornelii ethnici in Ecclesiam (X. 1-48) et justificatione suæ agendi rationis a Petro facta coram Judæo-christianis Hierosolymitanis (XI, 1-18).*

R. Notissimum est non unam dari difficultatem in statuenda tum absoluta tum relativa chronologia variorum factorum quæ sive in Actibus Apostolorum narrantur, sive in aliis documentis scripturisticis, signanter in epistolis s. Pauli referri contingunt (1). Præsentis quæstionis scopus est mentem provocare in difficultatem quandam quæ forte non satis considerata fuerit, et simul in solutionem quæ hujus difficultatis, si cui revera existere videtur, dari potest.

---

(1) De hac chronologia Actuum v. Camerlynck-Vander Heeren, *Commentarius in Actus Apostolorum*, Brugis, 1923, pp. 84-99.

1/ **Difficultatis suggestio.**

In præcedentibus narraverat s. Lucas fundationem ecclesiæ Hierosolymis (II, 1-47) ejusdemque ecclesiæ hierosolymitanæ confirmationem (III, 1 - V, 16), necnon persecutionem statim ab initio contra ipsam motam (V, 17 - VIII, 3), in qua persecutione Saulus magnas partes habuerat (cfr VII, 58, 60 ; VIII, 3) ; ibidem audivimus, occasione illius persecutionis, christianos hierosolymitanos dispergi per regiones Judææ et Samariæ (VIII, 1) ; unde fit ut ecclesia jam ulterius extendatur extra civitatem Jerusalem, non tantum ad Judæos, sicut hucusque, sed et ad Samaritanos (VIII, 4-25, coll. XI, 19) (1).

Hisce absolutis jam successive narrantur facta compendiose in quæstione supra indicata et ex collatis aliis locis ep. *ad Gal.* complenda ; nimirum — simul difficultates adnexas suggerimus — :

a/ Paulus in via Damasci convertitur (IX, 1-19[a]) et statim incipit in ipsa civitate Jesum qua Christum prædicare (19[b]-22) ; hinc abit in Arabiam (*Gal.*, I, 17) et iterum redit Damascum, usquedum opera Judæorum ad fugam compellitur (*Act.*, 23-25); prædicatio Damasci simul cum commoratione in Arabia per tres annos duravit (*Gal.*, I, 18). — Porro ex ep. ad Gal. colligunt auctores (2), et omnino merito, ut videtur, Paulum sive in via Damasci, in ipsa conversione sua, sive saltem primo tempore — infra tres primos annos — a sua conversione, divinitus accepisse substantiam Evangelii sui, et in specie hanc doctrinam quam titulo potiori Evangelium suum nominat et quam in ep. ad Gal tamquam divinitus et non ab hominibus acceptam vindicat : justitiam et salutem esse independenter a lege mosaica,

(1) De loco quo conversio eunuchi æthiopis, narrata VIII, 26-40 chronologice reponenda videatur, cfr *Collat. Brugen.*, 1924, pp. 393 ss., 448 ss.

(2) Si quis vero æstimaret revelationem hujus doctrinæ Paulo factam esse tempore itineri hierosolymitano subsequenti, patet difficultatem omnem evanescere.

sed per fidem in Christum obtinendam, adeoque Gentes, quin transeant per circumcisionem et Judaismum, esse ad fidem christianam convertendos (*Gal.*, I-II).

b/ Paulus Damascum relinquit (*Act.*, IX, 23-25) et venit in Jerusalem (v. 26), eo fine, ut novimus ex ep. ad Gal., ut videat Petrum, seu, juxta gr. ἱστορῆσαι, ut relationes ineat et colloquia habeat (1) cum Petro. Revera eo adveniens tentat se jungere discipulis, christianis ; sed omnes timent eum, non credentes quod sit discipulus (*Act.*, IX, 26) ; Barnabas autem, benevole excipiens eum, eum ducit ad Apostolos, nimirum ad Petrum et Jacobum qui tunc in civitate aderant (*Gal.* I, 18 s.) ; ore Barnabæ enarrat illis Paulus « quomodo in via vidisset Dominum, et quia [Dominus] locutus est ei » (*Act.*, IX, 27). Et exinde, per quindecim dies (*Gal.*, I, 18), manet Paulus cum illis, cum Apostolis et christianis, intrans et exiens. i. e. familiariter conversans cum illis (*Act.*, IX, 28) : in specie per quindecim eos dies continuas habet relationes cum Petro : « mansi apud eum diebus quindecim » (*Gal*, I, 18). — Sed, quæso, numquid, iis omnibus perpensis, possibile sit Paulum saltem cum Barnaba et cum Petro non communicasse momentosam illam et inauditam a Christo sibi revelatam doctrinam de vocatione immediata Gentilium ? Quis, nisi alia forte sibi viderentur obstare, dubium hac de re suspicaretur ? — Et hoc eo magis quod, currente illa quindena dierum quibus degebat in civitate, nova extasi pertinaciam Judæorum agnoverit et vocationis suæ ad apostolatum gentilium confirmationem acceperit (*Act.*, XXII, 17-20) : nonne nova fuit hoc ipsi occasio de doctrina illa loquendi cum Petro (2) ?

---

(1) Veteres bene : *Om kennis te maken met Petrus ; — pour s'entretenir avec Pierre.* (LAGRANGE).

(2) Quam merito LE CAMUS, L'*Œuvre des Apôtres*, I. p. 215 : « Tout porte à croire que Paul insista beaucoup sur la volonté expresse de Jésus, à propos de l'admission directe des Gentils au baptême. C'était à cette mission qu'il devait se consacrer. Son premier désir dut être de l'exposer loyalement au chef de l'Eglise ».

c/ Hisce de Paulo narratis, jam plura narrantur ubi Petrus primarium locum occupat: Petrus, dum per totam Palæstinam visitat universos christianos (*Act.*, IX, 31-43), accipit notissimam illam revelationem de vocatione immediata gentilium, quæ refertur *Act.*, X, 1-46, et de facto admittit Cornelium aliosque gentiles ad fidem et baptismum (47-48); Apostoli et christiani per Judæam admissionem illam audiunt (XI, 1) debetque Petrus Hierosolymam redux, eamdem admissionem per multa justificare (XI, 2-18). Et quidem ex integra hac narratione s. Lucæ luce clarius apparet s Petro doctrinam illam de vocatione immediata gentilium divinitus manifestari tamquam omnino novam planeque hucusque ipsi ignotam.

Porro si in narrando facta sub *a/ b/* et *c/* enumerata s. Lucas secutus fuerit ordinem chronologicum factorum, jam statim, ni fallimur, plures oriuntur *difficultates* et inconcinnitates ut sunt : Si Paulus Petrum doctrinam edocuit (*b/*), — et nonne jam hoc satis incongruum videretur ? — quare debet adhuc Deus Petro iterare revelationem ? Et quomodo Petrus in tota illa historia conversionis Cornelii apparet adhuc perfecte ignarus de illa immediata gentilium vocatione ? Et quomodo illa conversio Cornelii accipitur ab Apostolis et fratribus tamquam aliquid omnino inauditum (*Act.*, XI, 1 ss.)? Et quare Petrus in sua justificatione nullam, ne minimam quidem habet allusionem ad audita a Paulo ?

2/ Difficultatis solutio.

Si cui revera existere videtur difficultas statim exposita, una est, ni fallimur, eaque aliunde confirmata solutio: Lucas, sicut pro plurimis aliis locis tum Evangelii sui tum Actuum invicte demonstratur, in referendis his factis non fuerit secutus ordinem chronologicum ; et signanter facta sub *c/* relata — nimirum peregrinatio Petri per Palæstinam, revelatio ipsi facta, conversio Cornelii et justificatio Petri Hierosolymis — chronologice essent

reponenda ante facta sub *b)* relata, nimirum ante adventum Pauli Hierosolymam apud Petrum (1).

Hæc hypothesis exinde *confirmatur* quod, juxta *Act.*, IX, 31 ss., videtur s. Petri peregrinatio per Palæstinam reponenda esse in illa periodo pacis quæ satis cito secuta fuerit conversionem Pauli ; ex altera parte videtur factum conversionis Cornelii cum dicta peregrinatione indivulse esse connexum (cfr XIX, 43-X, 1 ss.); unde etiam hoc factum non videtur posse tempore tardiori reponi.

Unde s. Lucas hîc quoque applicuerit *methodum* illam *eliminationis* quam tam frequenter tum in Evangelio tum in Actibus applicat: quum IX, 1 inchoasset narrare *de Paulo,* nimirum de ejus conversione, pergit de eodem Paulo alia adhuc facta narrare, nimirum commorationem ejus Damasci, fugam ex Damasco, iter in Jerusalem, commorationem in Jerusalem, fugam exinde et tandem adventum Tarsum. His narratis, sic quasi eliminata persona Pauli, s. Lucas in narratione sua *retrograditur*, *quin moneat lectorem*, et describit prosperitatem qua gaudebat Ecclesia post conversionem Pauli (IX, 31), itinera apostolica Petri per Palæstinam (IX, 32-43), conversionem Cornelii (X-XI): quæ facta omnia ante adventum Pauli supra narratum locum habuerant (2). A. VANDER HEEREN.

---

(1) Cfr CAMERLYNCK-VANDER HEEREN, *Com. in Act. Apost.*, 1923, p. 37 ; *Collat. Brugen.*, t. XVIII. pp. 167 ss. ; BELSER, *Einleitung in das N. T.*, pp. 156 ss. ; LESÊTRE, *Rev. Bibl.*, 1892, pp. 179 ss. — Quædam exempla indicasse sufficiat. Ita in *Ev.*, I, 39 ss., ubi v. 37 ss. essent legenda ante v. 56 ; — I, 57 ss., ubi v. 67 ss. essent legenda ante v. 65 ; — simili ratione intervertenda videntur I, 80 et II, 1 ; — II, 18-19 et 20 ; — III, 19-20 et 21 ss. ; — IV, 36-37 et 38 ss. ; — XXII, 19-20 et 21-23 ; — 24-30 et 19-20, 43-44 et 45-46 ; — 61 et 62-65 ; — XXIV, 56a et 56b ; — in *Act.* ordine intervertenda videntur : VIII, 1 et 2 ; — VIII, 26 ss. quæ essent legenda post X-XI (cfr *Coll. Brug.*, 1924, pp. 448 ss); — XI, 19, quod legendum est post VIII, 4 ; — XI, 1 ss. quæ legenda sunt hoc ordine ; XI, 1-28a ; 29 ; XII, 1-23 ; XI, 28b , 30 ; XII, 24-25 ; — XVIII, 24-28 quæ legenda sunt ante vel simul cum XVII, 23 ; — XX, 12 quod legendum est ante v. 11 ; — XXII, 29b quod melius jungeretur vo 28 ; etc.

(2) Quam apte, si vera est hypothesis exposita, hæc omnia facta sibi cohærent ! Anno 36 Paulus convertitur in via Damasci, et sive hoc ipso momento, sive tempore trium annorum commorationis in Arabia

II.

De providentia divina.

Q. *Explica hæc verba concilii vaticani : « Universa vero, quæ condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat ».*

R. — Providentia *stricte sumpta*, uti exponit s. Thomas, est « ratio ordinis rerum in finem » (1), itaque importat divinam præscientiam necnon liberam Dei volitionem ; « nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem » (2). Attamen « essentialiter in cognitione

---

manifestationem accipit doctrinæ de immediata Gentilium vocatione ; — *eodem tempore*, puta circa finem illius triennii, Petrus, dum Palæstinam peragrat, in facto Cornelii notitiam ejusdem doctrinæ a Deo accipit ; — anno 39 Paulus et Petrus Hierosolymis se obvios habent et mutuo sibi doctrinam acceptam communicant ; — admissio Cornelii a principe Apostolorum effecta quasi signum fuit conversionis gentilium inchoandæ, et revera Antiochiæ magno successu inchoatur (*Act.*, XI, 20 s.); — jam a. 40 Barnabas eo mittitur (XI, 22-24) eoque Paulum advocat (XI, 25-26) : per integrum annum hîc prædicant, indeque etiam in Syriam et Ciliciam transeunt (*Gal.*, I, 21 ; — cfr CAMERLYNCK-VANDER HEEREN, *o. c.*, pp. 88 ss.) annoque 44 Hierosolymam tendunt collectam deferentes, et, Antiochiam reduces, jam a. 45 inchoabunt Pauli itinera per mundum.

In eadem nostra hypothesi non solito forte modo solvi poterit quæstio textualis quæ versatur circa *Act.*, IX, 29. Quamvis enim alibi hæc lectio non occurrat, tamen in versione æthiopica et in plerisque exemplaribus latinis legitur quod hodiedum in Vulg. (*Act.*, IX, 29): [Paulus Hierosolymis per 15 eos dies quos cum Petro degit] *loquebatur quoque* [*Gentibus*] *et disputabat cum Græcis* (πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς). Numquid tam certum est vocabulum *Gentibus* esse glossema, puta alteram versionem voc. Ἑλληνιστάς? Tam facile enim intelligimus voc. *Gentibus* fuisse omissum utpote quod repugnare videbatur facto quod postea tantum contigisse putabant, nimirum revelationi circa Gentilium vocationem Petro faciendæ ; et ob idem motivum tam difficile intelligimus quare aliquis hoc loco *Act.*, IX, 29, Paulo tribuerit prædicationem Gentibus. — Contra in hypothesi nostra lectio illa optime intelligitur : Paulus revera prædicaverit Gentibus incircumcisis et cum Hellenistis de vocatione Gentilium disputat; unde, sicut olim Stephanus, postquam eamdem doctrinam indigitaverat, lapidatus fuerat, ita et Paulus ad mortem quæritur et ad fugam compellitur.

(1) S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, q. 22, a. 1, c.

(2) *Ibidem*, ad 3.

manet, non quidem speculativa, sed practica » (1), et adhuc simpliciter practica, quia respicit ea omnia et ea sola, quæ quandocumque existunt (2). De hac providentia stricte dicta, quæ est *æterna*, in tractatu de Deo uno disputatur.

Verum, « ad providentiæ curam duo pertinent: scilicet *ratio ordinis*, quæ dicitur providentia [stricte dicta] ..., et *executio ordinis*, quæ dicitur gubernatio » (3), et a quibusdam etiam providentia *late dicta* nominatur (4). Hæc executio ordinis, uti satis liquet, importat simul potentiam executivam, « quæ in providentia [stricte sumpta] non includitur » (5), atque obtinet *in tempore;* unde merito de hac agitur in tractatu de Deo creante, in quo considerare incipimus operationem Dei ad extra.

Ad executionem ordinis etiam et primum pertinet ipsa creatio rerum; nihilominus executio plerumque magis restricta concipitur, pro ipsa gubernatione rerum jam existentium (6), atque hæc ad requiem Dei die septima referri potest, uti advertit s. Thomas explicando verba Christi apud Joannem: « Pater meus usque modo operatur, et ego operor » (7).

Et revera, ait Aquinas: « Deus usque modo operatur *conservando* et administrando creaturam conditam, non autem novam creaturam condendo » (8); aut adhuc: « septima die Deus aliquid operatus est, non novam creaturam condendo, sed creaturam *administrando* et ad propriam operationem eam *movendo* » (9); sic igitur « requies non opponitur labori, ... sed productioni nova-

---

(1) *De veritate*, q. 5, a. 1, c.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 114 s.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 22, a. 1, ad 2, coll. a. 3, c. et *Contra Gentes*, III, 77.

(4) Ita Van Noort, *Tract. de Deo creatore*, n. 45, p. 31, Amstelodami, 1912².

(5) *De veritate*, q. 5, a. 1, c.

(6) Cfr Cajetanus, *Comment. in Sum. theol.*, I, q. 103, a. 4 (in ed. crit. Sum. theol., V, p. 457, Romæ, 1889).

(7) *Jo.*, v, 17.

(8) *Sum. theol.*, I, q. 73, a. 2, ad 1.

(9) *Ibidem*, a. 1, ad 2.

rum rerum, et desiderio in aliud tendendi » (1). Eamdem doctrinam alibi sic breviter exprimit: « Dicendum quod [Deus] dat formas rebus [easdem creando], sed etiam conservat eas in esse, et applicat ad agendum, et est finis omnis actionis » (2).

Ad gubernationum itaque faciunt: *a*/ conservatio omnium rerum in esse; *b*/ motio ad agendum (3); *c*/ directio in finem seu, uti loquitur s. Thomas, administratio rerum, quæ a quibusdam etiam gubernatio stricte dicta nuncupatur. Hæc tamen ne præpostere audiatur divisa a motione divina: Deus movendo res, easdem dirigit, et dirigendo easdem movet (4); uti concinne rursus ait Aquinas: « Duo sunt effectus gubernationis [integre seu late spectatæ], scilicet *conservatio* rerum in bono, et *motio* earum *ad bonum* » (5).

Hisce perspectis, facile intelligitur textus concilii vaticani: « Universa vero, quæ condidit, Deus providentia sua *tuetur* atque *gubernat*, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter » (6).

Hæc verba, uti videtur, resumunt doctrinam, quæ in catechismo concilii tridentini enucleatius proponitur:

---

(1) *Ibidem*, a. 2, ad 2.

(2) *Ibidem*, q. 105, a. 5, ad 3, coll. *Contra Gentes*, III, 65 et 67.

(3) Et quidem continuatim, uti explicat ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, n. 237, apud *Collat. Brugen.*, VI, p. 562 s.

(4) Sic etiam intime cohærent creatio et conservatio, uti in responsione seq. exponetur.

(5) *Sum. theol.*, I, q. 103, a. 4, c.

(6) *Conc. vatic.*, sess. III, *Const. dogm. de fide cath.*, cap. I (*Enchir.*, n. 1784); adverte ultima verba referre testimonium *Sap.*, VIII, 1. — Mens autem concilii fuit definire divinam providentiam, et quidem præsertim uti dicit præscientiam etiam futurorum contingentium; in textu concilii sequitur immediate: « Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus [*Hebr.*, IV, 13], ea etiam, quæ libera creaturarum actione futura sunt ». De hac mente nullum dubium manere potest legenti *Acta et decreta sacr. conc. recent.*, *Collect. lacens.*, VII, Frib. Br., 1890, c. 98 s. et 105, ad emendationes cap. I schematis de fide cath., n. 8 et ad relationem episc. brixinensis de iisdem emendationibus.

« Nec vero ita Deum creatorem, atque effectorem omnium credere oportet, ut existimemus, perfecto, absolutoque opere, ea, quod ab ipso effecta sunt, deinceps sine infinita ejus virtute constare potuisse. Nam quemadmodum, omnia ut essent, creatoris summa potestate, sapientia, et bonitate effectum est; ita etiam, nisi conditis rebus perpetua ejus providentia adesset, atque eadem vi, qua ab initio constitutæ sunt, illas *conservaret*, statim ad nihilum reciderent.... Non solum autem Deus universa, quæ sunt, providentia sua tuetur [seu conservat], atque *administrat*, verum etiam, quæ moventur et agunt aliquid intima virtute, *ad motum, atque actionem ita impellit*, ut quamvis secundarum causarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad singula pertineat, et quemadmodum Sapiens testatur: Attingat a fine usque ad finem fortiter, et disponat omnia suaviter » (1).

Sic igitur in tractatu de Deo creante, postquam generatim actum fuit de creatione rerum, obvie sequitur disputatio de rerum conservatione et gubernatione, vel distinctius : de conservatione, de motione atque de directione rerum in finem (2).

H. Lamiroy.

III.

De devotione.

Q. *Explica definitionem* s. *Thomæ* (*II-II, q. 82, a. 1*) *de devotione actuali et substantiali: « devotio nihil aliud esse videtur quam* voluntas quædam prompte se tradendi ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum ».

---

(1) *Catech. conc. trid.*, P. I. *De symbolo*, a. 1, n. 22 s., p. 22 s. in ed. Societatis s. Jo. Evang., Tornacl, 1890.

(2) Homines gubernando tantummodo dirigunt; Deus vero rem administrando, eamdem simul movet; quinimmo quam movet, ét conservat, ét facit esse seu creat, uti exponit ill. ac rev. Waffelaert, *Medit. theol.*, n. 238, apud *Collat. Brugen.*, VI, p. 563 s.

R. Cum ob varias acceptiones vocis *devotio*, confusio facile mentibus ingeratur, absque re non erit si mentem explicaverimus s. Thomæ circa primarium sensum devotionis quam vocant substantialem: reliquas vocis significationes postea addituri.

Igitur s. Doctor, de actibus religionis disserens devotionem primo et orationem ut actus distinctos ponit, et quidem principaliter interiores, religionis. Qua in re orationem sane in sensu suo latissimo non sumit, quo dicitur: omnis motus intellectus et voluntatis ad Deum; nam hæc oratio profecto et devotionem actualem comprehendit. Porro, in explicanda Aquinatis definitione, eximium sequemur Suarezium (1), auctorem nempe in nostra materia classicum.

a/ Devotio ergo actualis non est actus intellectus sed *voluntatis*, quamvis sane cognitionem præsupponat excellentiæ Dei nostræque dependentiæ: etenim per voluntatem inclinamur in Dei obsequium, nosque ipsi quasi devovemus, prout ipsa vox indicat. Devotio proinde proprie sumpta est perfectio quædam voluntatis, seu voluntatis propensio quædam ad Dei famulatum. De promptitudine autem ejus, ad veram devotionem necessaria, statim infra dicemus sub fine articuli.

b/ Est autem hæc voluntas *tradendi se*, seu se devovendi. « Sicut enim qui alicujus principis obsequio se tradit, devotus dicitur illi principi: ita qui ex affectu cultus et honoris divini se totum mancipat Deo, ponit actum religionis, qui recte dicitur absolute devotio, et a quo dicitur quis Deo devotus, seu divino addictus servitio » (2). Et ideo devotionem definit Lessius: « interna quædam sui ad cultum divinum oblatio et traditio » (3).

c/ Jam age, objectum devotionis generale est: *Dei famulatus;* circa quod duo sunt notanda. Nam primo, ut devotio actus religionis esse possit, præsupponitur

(1) *De virtute et statu Religionis*, tract. IV, l. 2, c. 6 ad 8.
(2) Cfr Dignant, *De virtute Religionis*, n. 14.
(3) *De Justitia*, l. 2, c. 37, dub. 1.

intentio cultus divini, seu quod hæc voluntas se tradendi ad Dei famulatum dirigatur in finem profitendi excellentiam Dei creatoris et gubernatoris, necnon nostram subjectionem et dependentiam: etenim tradere se ad opera cultus ex fine colendi Deum est vere opus religionis, dum tradere se Deo per unionem spiritus est caritatis, ut advertit s. Thomas in eodem art., ad primum.

Secundo, quamvis dentur plures particulares affectus ad particulares actus religionis: ut puta affectus seu voluntas orandi, sacrificandi et sic porro, tamen hi affectus non devotio sed potius devotiones nuncupandi sunt; unicus autem et ab aliis distinctus est proprius actus religionis, cujus generale est objectum, prout ipsum nomen subindicat: nempe se devovere, se mancipare in genere cultui divino. Devotio ergo proprie dicta connaturaliter præcedit devotiones seu particulares affectus, et comprehendit eas sub generalitate sua; estque ipsa principium movens ad affectus particulares, ut exponit s. Thomas in art. primo, ad 1 et 2. Nam: « sicut caritas imperat omnibus virtutibus, ac proinde etiam virtuti religionis, ita similiter virtus religionis, mediante actu devotionis, imperat aliis actibus ad cultum Dei pertinentibus. Unde devotio habet influxum generalissimum in ceteros omnes actus. Cur enim colimus Deum oratione, sacrificio, cæremoniis? Quia volumus nos ac nostra omnia tradere in divinum famulatum. Exinde apparet, quam necessaria sit devotio in vita spirituali, ita ut, illa deficiente, actus humani cultus divini evadant remissi ac imperfecti; imo oriatur vitium acediæ » (1).

---

(1) Prümmer, *Man. Theol. mor.*, II, n. 328. Imo, ut antea diximus, virtus religionis, mediante actu devotionis, aliis etiam virtutibus omnibus imperare potest, eorumque actus ad finem cultus divini ordinare; cf. v. g. Pègues, *Comm. litt. de la Somme*, ad II-II, q. 82, a. 2, in corpore: « cet acte de vouloir est l'acte propre et premier de la religion, qui, du reste, amène ensuite tous les autres, selon qu'il convient, ordonnant à cette fin du service de Dieu les actes des autres facultés ou des membres extérieurs, et utilisant aussi à cette même fin toutes les autres vertus qui peuvent être dans l'homme et y concourir ».

d/ Tandem, unicum punctum quod in prælaudata definitione devotionis obscuritatem præ se ferre videtur, est illa *promptitudo* quam ibidem ponit s. Thomas, quamque alii plures, ut Lessius v. g., in definitione ipsa non memorant. Et quidem duplici modo de hac promptitudine loquitur s. Doctor, tum scilicet in definitione, ubi promptitudinem requirere videtur non ex parte ipsius actus se tradendi sed potius ex parte objecti illius actus: non enim dicit devotionem esse promptam voluntatem se tradendi, sed voluntatem se tradendi prompte ; tum infra in art. 2 dum ait: « habere promptam voluntatem ad hujusmodi exsequenda, quod est esse devotum » ubi nempe devotionem ipsam in promptitudine quasi ponit.

Jamvero, hanc quæstionem optime elucidat Suarezius (1), cujus doctrina huc summarie redit :

In voluntate se devovendi cultui divino. tria possumus distinguere: velle, prompte velle, et velle cum suavitate; quæ simul sumpta *completam* devotionem utique constituunt. Attamen si quis pium affectum eliciat quo vere se devovet seu mancipat cultui Dei, quamvis hoc sine suavitate faciat, nec prompte, sed potius cum repugnantia sensus et post hæsitationem voluntatis; si tamen deliberate et sincere faciat. etiam præscindendo a prompta exsecutione futura seu de ea non cogitando; quid deest ad substantialem ejus devotionem? Numquid seipsum cultui Dei vere non devovet? Imo, nec promptitudine proveniente ex habitu eget ut conditione sine qua non, cum et peccator cum gratia actuali talem affectum elicere valeat. Insuper, promptitudo in ipsa exsecutione sæpe a libera voluntate non pendet, sed impediri potest: dum tamen actus devotionis in potestate nostra constituitur, cum auxilio gratiæ ordinariæ. Tandem, nec suavitas ita in potestate hominis est, ut illam experiatur quoties vult.

Igitur illa promptitudo voluntatis, quam s. Thomas ad devotionem requirit, existit quidem in omni devotione,

(1) *Ib.* c. 6; ubi etiam sententia Cajetani (in hunc locum) dijudicatur, dicentis devotionem formaliter significare promptitudinem se devovendi.

sed est potius *effectus* ejus. Nimirum qui se famulatui Dei revera devovet, habet sane intentionem cultus efficacem: jamvero hæc ipsa jam promptitudinem quamdam dat in exsecutione mediorum, quantum ab homine pendet. Rursus, qui ita se devovet, bene affectus est ad cultum Dei: hoc ipso igitur vult Deum bene colere, ergo etiam prompte. Et tandem actus veræ devotionis est veluti amor ad divinum cultum: amor autem promptitudinem confert in exsequenda re amata. Unde devotio *facit* hanc promptitudinem, quantum ab homine pendet; hanc ipsa per se et formaliter producit, adeo ut definitio ejus ita declarari queat: voluntas se tradendi ad Dei famulatum, quæ hominem promptum reddit in cultu divino (1).

---

(1) Unde concludit Suarezius, *ib.*, c. 6, n. 17: « in hoc ergo sensu, verum est devotionem consistere in promptitudine ad divinum obsequium, non vero in promptitudine ad eliciendum ipsum actum devotionis, seu voluntatem illam generalem tradendi se divino obsequio; sive enim hæc eliciatur prompte, sive ægre et difficulter, si tamen eliciatur, et constanter retineatur, ipsa reddet hominem promptum ad actus particulares divini obsequii; voluntas enim quamdiu in neutram partem deliberat vel afficitur, non est prompta ad aliquod munus præstandum; at postquam decrevit, et se offert ad aliquod munus, ex vi illius actus prompta est, si actus vel virtus ejus duret, et non mutetur. Unde in hoc sensu fatemur, devotionem consistere in promptitudine ad divinum obsequium; sed inde non sequitur, non consistere in actu; nam illa promptitudo formaliter sumpta nihil aliud est quam actus ille quem explicuimus. Nec refert quod, stante illo actu, possit aliquis sentire difficultatem in exsequendis actibus divini obsequii, propter desuetudinem, vel alia impedimenta corporis, vel inferioris appetitus, aut dæmonis; nam hoc est extrinsecum et per accidens; nos autem consideramus id quod actus ille per se confert. Unde distinguere possumus duplicem promptitudinem: unam appellamus deliberationis, et est illa quam præbet ille affectus quem explicuimus; aliam vocare possumus habitum, vel dispositionem operantis, sub qua comprehendimus tam illam quæ provenire potest ex habitu et positiva inclinatione ejus, quam illam quæ ex ablatione impedimentorum evenire solet. Priorem ergo censemus substantialem, et per se pertinentem ad devotionem, et positam esse in nostra potestate cum gratia divina, quia deliberatio propositi et affectus in nostra potestate est. Posteriorem vero reputamus extrinsecam et accidentalem, et non esse per se necessariam ad veram devotionem, licet ad ejus facilitatem et durationem multum conferat ».

e/ Inde patet etiam quid sit devotio *habitualis* in sensu suo primario: nimirum habitualis addictio cultui divino (1); ex quo permanente et firmo voluntatis affectu dicitur etiam homo vere et substantialiter devotus; imo communius vox: *devotio* de habitu sumitur quam de actu. Et sane hæc tam habitualis quam actualis devotio seipsam necessario manifestabit in exsecutione, per promptitudinem nempe et alacritatem in servitio divino: quatenus occasione data nihil animam devotam retardet in prosecutione cultus divini, nonobstantibus propriis etiam repugnantiis quas interdum hujusmodi animas experiri constat (2).

IV.

Q. *Indicatis ceteris præcipuis acceptionibus vocis:* devotio *præter primariam, expone relationes seu nexum devotionis cum* caritate, *quæ etiam sæpe devotio nominatur.*

R. Ut ex præcedenti responso liquet, devotio proprie dicta et substantialis, tam actualis quam habitualis, intelligitur de generali addictione voluntatis cultui divino ex motivo religionis; communius autem pro ipso habitu hujusmodi sumitur quam pro actu: ita ut ex usu ille præsertim devotus vocetur, sensu primario, qui habitualiter addictus est famulatui Dei, quamvis non singulo sane momento circa servitium divinum practice occupetur. Porro ex illa prima significatione vocis aliæ plures derivatæ sunt, quarum præcipuæ sequenti modo declarari queunt:

1/ « Cum actualis et habitualis addictio cultui divino se sponte manifestet per promptum atque ferventem agendi modum, ideo, præsertim apud recentiores, devotio per extensionem non ipsum actum dicit, sed modum seu qualitatem actuum. nempe ipsius voluntatis promptitudinem et fervorem, quibus omnis ejusdem voluntatis ter-

(1) Cfr Dignant, *ib.*; *Collat. Brugen.*, III, p. 19.

(2) Cfr Bouquillon, *De virtute Rel.*, p. 76; Mahieu, *Probatio caritatis*, ed. 3a, p. 394 et 395.

giversatio et tepor circa cultum divinum excluditur » (1). Illa tamen promptitudo illeque fervor suavitatem et gustum sensibilem minime significant, sed alacritatem et studium, conatum et perfectionem in peragendis actibus cultus : ut cum quis dicatur « cum magna devotione » recipere sacramenta Speciatim vero orationi applicant illum sensum vocis, et « devotus » hoc modo vocatur ille qui precibus suis instat et toto studio incumbit. Quamquam etiam hæc devotio de perfectione totius rationis agendi intelligitur : prout loqui solemus « de vita devota ».

2/ Secundo, devotio (accidentalis scilicet) sæpe dicitur illa suavitas seu dulcedo quæ non infrequenter actus religionis et præsertim orationem comitatur, quæque « in appetitu sensitivo plerumque oritur indeque in affectum mentis transit » (2). Ut dum quis queritur se nullam experiri seu « sentire devotionem » quando meditatur aut communicat.

3/ Tertio, generalis affectus voluntatis ad quamlibet virtutem, imo generalius adhuc ad omnia studia virtutis, nomen devotionis quodam analogo sensu participat, in quantum scilicet hac ratione homo realiter se mancipat illi virtuti et honestati : quare v. g. quidam dicuntur habere « devotionem obedientiæ ».

4/ Quarto, omnes affectus particulares ad speciales actus religionis (maxime ad orationem) vel imo ad actus aliarum virtutum, nominantur interdum devotio vel devotiones : ut voluntas seu pius affectus peregrinandi aut etiam jejunandi etc. ; pro eo ut dicant hunc virum habere « devotionem rosarii », illum vero « devotionem pœnitentiæ » (3); femineum sexum esse « devotum », et

---

(1) DIGNANT, *De Virtute Rel.*, n. 14.

(2) DIGNANT, *ib.* Cfr etiam *Collat. Brugen.*, III, p. 20 ; MAHIEU, *Probatio caritatis*, p. 335 et 340.

(3) Sic orat Ecclesia, in quadám collecta feriæ quintæ hebdomadæ primæ Quadrag. : « *Devotionem* populi tui, quæsumus, Domine, benignus intende, ut qui *per abstinentiam* macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente ».

sic porro. Pariter pius affectus ad ipsa cultus objecta eodem nomine decoratur : et sic v. g. quis dicitur habere « devotionem numismatum benedictorum ».

5/ Quinto, « translata significatione ab actu ad materiam, interdum « devotiones » dicuntur varia religionis aut etiam duliæ *exercitia*, quibus Deo et sanctis cultum exhibemus » (1). Sic auditio Missæ, veneratio reliquiarum et ceteri actus speciales cultus : ut quando dolet pia quædam mulier, quia non potuit peragere « suas devotiones ». Maxime rursus ipsa oratio, præsertim mentalis, hoc sensu a Patribus et Sanctis devotio nuncupari solet.

6/ Sexto, per analogiam cum devotione substantiali, addictio voluntatis cuidam personæ aut rei etiam non sacræ, vel alicui Sancto, simili modo devotio dicitur : ut cum pronuntietur Titius « devotus erga regem vel patriam », vel si Titia proclametur habere « devotionem s. Antonii ».

7/ Tandem, *caritas* sæpe sæpius devotio nominatur, imo fervens caritas perfecta devotio ab auctoribus asceticis vocari solet (2) ; quo in puncto aliquatenus immorari juvat.

Nam primo, devotionis substantialis caritas ponitur a s. Thoma causa proxima : « in quantum ex amore aliquis redditur promptus ad serviendum amico » ; vicissimque exercitia devotionis declarantur a s. Doctore producere

---

(1) Dignant, *ib.*

(2) Cfr Salesium, *Introd. à la vie dévote*, ch. 1 : « la vraie et vivante dévotion, ô Philothée, présuppose l'amour de Dieu, ains elle n'est autre chose qu'un vrai amour de Dieu; mais non pas toutefois un amour tel quel; .... mais quand il est parvenu jusqu'au degré de perfection auquel il ne nous fait pas seulement bien faire, mais nous fait opérer soigneusement, fréquemment et promptement, alors il s'appelle dévotion ». — Et cap. 2 : « la dévotion est la douceur des douceurs et la reine des vertus; c'est la perfection de la charité. Si la charité est un lait, la dévotion en est la crême ; si elle est une plante, la dévotion en est la fleur; si elle est une pierre précieuse, la dévotion en est l'éclat; si elle est un baume précieux, la dévotion en est l'odeur, et l'odeur de suavité, qui conforte les hommes et réjouit les anges ». — Cfr etiam Mahieu, *o. c.*, p. 394.

seu nutrire caritatem : « sicut et quælibet amicitia conservatur et augetur per amicabilium operum exercitium et meditationem » (1).

Insuper, quamvis actus religionis a qualibet virtute imperari queant, speciali tamen modo et multo frequentiori contingit eos a caritatis intentione procedere ; nullum enim fortius motivum datur agendi quam amor, amicum impellens ad servitium amici.

Ex alia tamen parte, non sunt confundendæ notiones ; nam caritas sane non est religio formaliter sumpta, adeoque nec caritas erit illa devotio substantialis de qua supra disseruimus. Etenim « religio formaliter respicit excellentiam et dominationem ; caritas autem est amicitia, quæ non formaliter respicit excellentiam, vel subjectionem, sed simpliciter bonitatem, et unionem ratione illius » (2). Unde ipsa generalis voluntas se tradendi famulatui Dei, si non ex motivo cultus, verum ex motivo amoris eliciatur, non est devotio in suo primario sensu, sed est caritas seu affectus dilectionis : « dicendum quod ad caritatem pertinet immediate quod homo tradat seipsum Deo, adhærendo ei per quamdam spiritus unionem ; sed quod homo tradat seipsum Deo ad aliqua opera divini cultus, hoc immediate pertinet ad religionem, mediate autem ad caritatem, quæ est religionis principium » (3).

Et similiter de particulari voluntate seu affectu ad exercitium quoddam devotionis : pius v. g. affectus orandi, ex amore Dei proveniens, non est devotio

---

(1) II-II, q. 82, a. 2, ad 2.

(2) Suarez, *De Virtute et Statu Rel.* tract. IV, l. 2, c. 7.

(3) S. Thomas, *Summa Theol.*, ib., ad 1. Ad rem Prümmer, *Man. Theol. Mor.*, II, n. 328: « notandum est, voluntatem prompte se tradendi ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum, posse non solum ex virtute religionis, sed etiam ex virtute caritatis oriri; sed aliter et aliter. Etenim si talis voluntas intendit unionem amicabilem cum Deo, est actus caritatis; sin autem intendit cultum et famulatum Dei, et quidem ut debitum propter Dei excellentiam et nostram subjectionem, est actus religionis ».

primarie dicta sed est dilectio et caritas ; quamvis ipsum opus orationis, ex tali intentione postea positum, a religione eliciatur, a caritate vero imperatum dici debeat.

Quæ cum ita sint, magis profecto accedit caritas ad devotionem quam ceteræ virtutes : tum ratione causæ et influxus, ut vidimus, tum etiam quia et nomen devotionis suo modo revera mereri videtur. An enim vere devotus dici non potest amicus amico, quamvis ratione amicitiæ, et non subjectionis, servitio amici addictus sit ? Numquid optimam devotionem appellare non licebit actum hominis qui ex puro motivo dilectionis Deo se tradens, obsequium ejus intendit et gloriam in omnibus ; imo nonne perfectior erit hæc devotio quam similis actus religionis, utpote motivum nobilius habens ? Accedit modus loquendi scriptorum asceticorum, prout supra notavimus ; et tandem, quod attinet ad suavitatem seu devotionem accidentalem quam secum afferre solet vera devotio, multo magis hæc dulcedo affectum caritatis seu amicitiæ sequi nata est quam servitii propter excellentiam.

Omnibus ergo perpensis, cum Suarezio concludere licebit : « quapropter hic etiam potest convenienter dici nomen devotionis æquivocum esse, et utrique actui posse accommodari ; vel certe improbabile non est perfectam devotionem utrumque affectum requirere, et affectum religionis tunc nomen devotionis mereri, quando affectui caritatis junctus est; sicut actus pœnitentiæ tunc meretur nomen contritionis, quando amore informatur, et intellectus contemplatio tunc meretur nomen sapientiæ, quando ex amore habet saporis suavitatem » (1).

E. Hosten.

(1) *Ib.*, n. 7.

V.

De Kerk van België onder het hollandsch bewind.

II. Tegemoetkomingen van Willem I in 't begin zijner regeering.

V. *Hoe trachtte Willem I, in de eerste maanden zijner regeering over de weerom vereenigde Nederlanden, de ongunstige stemming te verdrijven, die bij de belgische katholieken bestond?*

A. Uit de gebeurtenissen, die we in onze voorgaande verhandeling verhaalden (1), blijkt ten overvloede dat de Belgen over het algemeen volstrekt niet ingenomen waren met het vooruitzicht eener vereeniging met Holland. Deze ongunstige stemming was Willem van Oranje niet onbekend en baarde hem veel kommer: hij zond dan ook, reeds aanstonds na de uitdrijving der Franschen, vertrouwbare partijgangers naar België, die, met de medewerking van enkele vertegenwoordigers der verbondenen, al het mogelijke zouden doen om de belgische geestelijkheid, den hoogen adel, den handelstand en de nijveraars gerust te stellen omtrent de gevolgen eener vereeniging met de protestantsche, burgerlijke en bedrijvige noordergewesten (2).

Toen hij, op 1 Aug. 1814, aan het hoofd gesteld werd der voorloopige regeering in België, zou hij zelf allerlei tegemoetkomingen doen, die strekking hadden om alle vrees weg te nemen.

Vooreerst de proclamatie, die hij bij zijn optreden tot

---

(1) Zie *Collat. Brugen.*, t. XVI, 1924, p. 411. Wij putten voor deze verhandeling aan de zelfde bronnen, en zullen daarom hier, noch in de verdere verhandelingen, de titels niet meer aanduiden.

(2) Willem was vooral gesteund door Engeland, die de vereenigde Nederlanden wilde als Europa's bolwerk tegen Frankrijk; de engelsche regeering gaf aan Willem den raad « by emissaries or other means quietly to encourage the people ». De bijzonderste agenten hier te lande waren van Zuylen van Nyevelt en baron Van der Capellen. Zie Blok *t. a. pl.*, bl. 308 vlg.

het belgische volk richtte, was zeer handig gesteld ; geen woord repte hij er in over de londensche artikelen en de liberale politiek van godsdienstvrijheid waartoe hij zich verplicht had ; integendeel uitdrukkelijk beloofde hij en wel op de eerste plaats, benevens zijn steun voor den stoffelijken welvaart der Belgen, ook « eerbied en bescherming » voor hun godsdienst (1). En dat deze verklaring geen ijdel woord zou blijven, scheen wel te blijken uit de samenstelling van den geheimen raad en van de vier bestuursdepartementen, welke hij door besluit van 12 Aug. te Brussel had ingericht. Het bestuur van Belgie werd werkelijk toevertrouwd aan vooraanstaande katholieken, waaronder verscheidene leden van het vroeger voorloopig bewind. Het was alsof Willem de door velen gewenschte bestuurlijke scheiding wilde in voege brengen, en ons land laten besturen naar de politiek van de voorgaande regeering. Met bijzondere voldoening vernam de belgische geestelelijkheid dat Willem den gewezen bisschop van Roermond, Mgr van de Velde de Melroy, ook tot lid had benoemd van zijn geheimen raad (2) en reeds op 2 Sept. een buitengewoon gezant naar Rome had gezonden, om bij den H. Stoel de belangen van zijn katholieke onderdanen te verdedigen (3).

Deze belangen diende hij ook rechtstreeks hier te lande, wanneer hij de ingedrongen bisschoppen te Mechelen, te Luik en te 's Hertogenbosch verplichtte heen te gaan en aldus vrede en eendracht trachtte te stichten onder de geestelijkheid dier bisdommen (4). Gansch den belgischen

---

(1) Zie, DE GERLACHE, *Histoire du royaume des Pays-Bas*, 4e éd. 1875, t. II, p. 13 ; DELPLACE, *o. c.*, p. 43 ss.

(2) TERLINDEN, *o. c.*, p. 43.

(3) De gezant bij het Vatikaan, ridder Reinhold, was echter niet de gepaste man ; zijn ongunstige rapporten zullen meer dan eens den koning, reeds van nature achterdochtig, tegen het pauzelijk hof en de katholieken opwinden. Zie ALBERS *t. a. pl.* Bd. I, bl. 38.

(4) In onze bisdommen, behalve in Namen, waren gedurende de laatste jaren der fransche regeering erge scheuringen losgebroken : het gentsche schisma is onze lezers bekend, maar ook te Mechelen, te

clerus trachtte hij ten andere te winnen met belangstelling te toonen voor hunnen stoffelijken toestand. Om de bezoldiging der geestelijken, die door het Concordaat een staatsplicht was geworden, maar tot dan toe zeer gering was gebleven, eenigzins te verbeteren, opende hij door verordening van 2 October 1814 een crediet van 200.000 fr.; daarmede kon enkel voorzien worden in de dringendste noodwendigheden, maar tevens werd een algemeene verhooging der wedden beloofd tegen het nieuwe jaar. Zoo werd dan ook op 3 Maart 1815, met terugwerkende kracht tot 1 Jan., eene verhooging van 30 % toegestaan aan alle bezoldigde geestelijken, en later (2 Juni) nog eene nieuwe verhooging van 100 fr. voor de tot dan toe min begunstigde succursalisten (1).

Ook onder de eerste wettelijke maatregelen door Willem getroffen, waren er enkele, die als tegemoetkomingen aan de eischen der katholieken moeten aangezien worden. Door een besluit namelijk van 1 Oct. 1814 maakte hij de zondagrust verplichtend en wel in den zin van de katholieke kerk: alle werk, ook alle verkoop in openbare plaatsen of met open deuren, was verboden op zon- en feestdagen; bovendien moesten alle drankhuizen gesloten blijven gedurende de parochiale diensten, en mochten onder gemelde diensten geen openbare vermakelijkheden plaats grijpen. Op 4 Nov. werd de aanroeping van God, weerom zooals voorheen onder het oud regiem, verplich-

---

Doornik, te Luik en te 's Hertogenbosch had Napoleon, tegen alle kerkelijke wetten in, de door hem benoemde bisschoppen willen opdringen. Gelukkig verdwenen te Gent en te Doornik de ingedrongen bisschoppen met de franschen die ze hadden ondersteund; te Mechelen echter wilde Mgr de Pradt, evenals Lejeas te Luik en Van Camp te 's Hertogenbosch, zijn vermeend recht doordrijven. Doch Willem koos de partij der rechtmatige geestelijkheid en bewilligde de drie ingedrongen bisschoppen met een pensioen elders te gaan wonen. Zie TERLINDEN, *o. c.*, p. 26, 46. REMBRY, *Les remaniements de la hiérarchie épiscopale et les sacres épiscopaux en Belgique au XIXe siècle*, Bruges, 1904.

(1) TERLINDEN, *o. c.*, p. 49.

tend gemaakt bij alle rechtelijke eeden (1). Eindelijk werden ook zeer gewenschte maatregelen genomen betreffende het huwelijk. Het burgerlijk huwelijk, door de fransche wetgeving ingebracht, was door de belgische katholieken slechts met veel tegenzin geduld geweest. Na de uitdrijving der franschen werd het zelfs, zooals we boven zegden (2), op enkele plaatsen, als ongeoorloofd of althans als onnuttig, eenvoudig van kant gelaten; de kerkelijke overheid echter was het over deze handelwijze niet eens: ook was zij den nieuwen souverein dankbaar, wanneer hij door een besluit van 21 October 1814, aangevuld door eene verklaring van 7 Maart 1815, dit netelig vraagstuk oploste met inachtneming van het kerkelijk gezag en de katholieke leer. Het eerste besluit verklaarde het burgerlijk huwelijk nog verplichtend en wel vóór het kerkelijk huwelijk, doch het mocht niet geschieden, tenzij nadat de eigen pastoor eene verklaring had afgelegd dat geen kerkelijke beletsels bestonden. De verordening echter van 7 Maart verzekerde, de volledige onafhankelijkheid van 't kerkelijk huwelijk. Het burgerlijk huwelijk was maar eene plichtpleging meer, waardoor de burgerlijke wettigheid der kinders en de burgerlijke rechten en plichten der gehuwden konden bewezen worden (3). Deze laatste tegemoetkoming, die eene vol-

(1) *Ibid.*, p. 47,

(2) Zie *Collat. Brugen.*, 1924, p. 145 in nota.

(3) TERLINDEN, *o. c.*, p. 47. Het eerste besluit, alhoewel met de beste bedoeling gegeven, werd bij enkelen slecht onthaald; de bisschop van Doornik keurde het volstrekt af, en, ook bij ons, waren enkelen van meening dat de pastoors, door het afgeven eener verklaring, een ongeoorloofde medewerking daarstelden met het burgerlijk huwelijk. De gentsche theologanten echter dachten er anders over; doch tot meerder zekerheid werd naar Willem zelf geschreven om eene verklaring zijner inzichten betreffend het burgerlijk huwelijk. Deze verklaring moest voldoening geven. Zie *Recueil...*, p. 244. Hier mag wel opgemerkt dat de toenmalige belgische geestelijkheid niet altijd eensgezind was en soms, geen rekening houdend met de veranderde omstandigheden, al te hooge eischen stelde, « des revendications impraticables », zooals de streng katholieke graaf de Mérode schrijft in zijn gedenkschriften. (Zie bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 22, ook op bl. 43 de opgeworpen twijfel: of het Concordaat van 1801 ja dan neen nog geldig bleef in Belgie).

ledige erkening scheen van het kerkelijk gezag (1), werd met vreugde onthaald en kwam goed te pas in die dagen, toen vele oogen naar Frankrijk waren gericht, waar Napoleon onverhoeds (26 Februari) weer was binnengevallen, den troon had herwonnen, en weldra gereed stond om de verbondene legers in ons land aan te vallen.

Gedurende deze beruchte « periode der honderd dagen » (19 Maart tot 28 Juni 1815) stond voor Willem veel op 't spel. Zoo pas had het Congres van Weenen (einde Februari) de vereeniging met Holland voor goed beslist, en reeds werd de vraag gesteld, wat er van het nieuwe rijk zou geworden, indien Napoleon erin slaagde meester te blijven in Frankrijk. De souverein der vereenigde Nederlanden had er dus alle belang bij zijne nieuwe onderdanen goed te stemmen. Op 16 Maart nam hij den koninklijken titel aan en richtte tot de belgen een proclamatie waarin hij nogmaals en plechtig beloofde niet alleen de stoffelijke belangen van zijn nieuwe onderdanen ter harte te nemen, maar ook en vooral de godsdienstige belangen, waaraan ze terecht zooveel prijs hechtten (2). Deze proclamatie maakte den besten indruk en niet het minst op de kerkelijke overheid ; het was wel het algemeen gevoelen dat Mgr De Broglie vertolkte, toen hij in zijn herderlijken brief van 17 Maart schreef : « Z. M., wetende hoe zeer de nederlanders ieverig zijn voor deze wijze en edele vrijheid die zoo wel staat aan eene vrome natie, en bovenal hoe zeer zij vastgehecht zijn aan de vrije oefening van hunnen godsdienst, verzekert hun op eene plechtige wijze deze twee voordeelen. Hij aanveerdt, zegt hij, den scepter, *zich verlatende op deze edele zucht voor de burgerlijke vrijheid en onafhankelijkheid die ten allen tijde eigen is geweest*

(1) Ook op ander gebied werden zeer gewaardeerde maatregelen getroffen, tempering nl. van de hardheid der fransche wetgeving, afschaffing der jury en der censuur met invoering der hollandsche drukperswetgeving, verlof om de nederlandsche taal te gebruiken, waar de meerderheid der bevolking vlaamsch was. Zie BLOK *t. a. pl.*, bl. 328.

(2) Zie DE GERLACHE, *o. c.*, p. 25.

aan de nederlanders, en hij wil dat zij welhaast ontvangen *deze borgblijving* (cette garantie) *van den godsdienst op welken*, voegt Z. M. daarbij, *wij allen den hoogsten prijs stellen :* ja Z. L. B., na zoo een wettige verzekering, na de uitdrukking van zulke gevoelens, laat ons niet meer twijfelen of wij zullen in alle uitgestrektheid de voorrechten genieten, die de vorige staatsreligie ons verzekerde in deze provinciën » (1). Geen wonder dus dat de nieuwe koning overal waar hij verscheen geestdriftig onthaald werd en zijn oproep tot de wapens weerklank vond : vele jongelieden lieten zich inlijven in het leger der nieuwe Nederlanden, zooveel te meer daar de kerkelijke overheid hier ook haar invloedrijk gezag had gebruikt (2). Het vaderlandsch leger, onder den jeugdigen prins van Oranje, droeg dan ook werkelijk bij tot de overwinning van Waterloo ; het leek een oogenblik of de gemeenschappelijke overwinning den nieuwen staat innig zou samenvoegen !

Werkelijk bleef nog veel te doen of beter veel te vermijden over !

Te midden het oorlogsrumoer was zelfs een en ander ongemerkt voorbijgegaan, dat de geestdrift der belgen niet weinig had kunnen verkoelen. In 't bijzonder zouden de katholieken, moesten ze er kennis van gehad hebben, zeer geërgerd zijn geweest door de zonderlinge handelwijze van den koning en zijne regeering ten opzichte van Mgr Ciamberlani, overste der hollandsche missie. Deze laatste was op last van den H. Stoel (Jan. 1814), naar Mechelen gekomen om er de moeilijkheden te vereffenen, opgerezen, na het ontslag van Mgr De Pradt, tusschen de geestelijkheid en de twee grootvikarissen Forgeur en Huleu (3) ; de regeering echter van Willem, daartoe aan-

---

(1) *Recueil des mandements...*, p. 259.

(2) *Ibid.*, 262.

(3) De twee vikarissen hadden volstrekt het vertrouwen niet van den clerus: beiden immers hadden den ingedrongen bisschop ondersteund; Huleu was bovendien een oud beëedigde der fransche

gezocht door Huleu, belette Mgr Ciamberlani zijne zuiver kerkelijke zending te vervullen, als reden opgevende, dat geen vreemdeling rechtsmacht mocht uitoefenen in de Nederlanden; zij ging zelf zoover dat ze den romeinschen prelaat door de rijkswacht aan de grenzen deed zetten. De souverein, die op de hoogte was van heel de zaak, weigerde de onheusche behandeling tegenover Mgr Ciamberlani af te keuren; en wat erger was, toen de Paus om verder moeilijkheden te vermijden, Mgr Ciamberlani officieel als zijn vertegenwoordiger in de Nederlanden aanstelde en deze laatste zijn geloofsbrieven den koning kwam aanbieden, werd hij eenvoudig afgewezen. Dit was een erge beleediging voor den H. Stoel, die, gelukkig voor koning Willem, weinig ruchtbaar werd; de weinigen echter die van de zaak iets afwisten, begonnen in te zien dat er weinig staat zou te maken zijn op de herhaalde beloften van eerbied en bescherming voor den katholieken godsdienst. Koning Willem zou zich, zooals 't later nog meer zal blijken, in zijn godsdienstige politiek laten leiden niet alleen door het hem opgedrongen liberaal grondbeginsel der godsdienstvrijheid, maar ook door een verkeerde opvatting van den katholieken godsdienst: hij wilde een nederlandsche katholieke kerk, naar de opvatting der vroeger josephisten, zoo weinig mogelijk in betrekking met Rome; daarom gaan zijn gunsten van 't begin af naar de katholieken die blijken geven van regeeringsgezindheid en is hij vijandig aan de zoogenaamde « ultramontanen ».

Deze politiek was echter zeer nadeelig voor koning

---

revolutie. Mgr Ciamberlani, na een eerste rapport over den toestand naar Rome gezonden te hebben, had volmacht gekregen om een nieuw bestuur aan het hoofd van het bisdom te stellen. Hij kwam op 11 Jan. naar Mechelen en vroeg aan beide vikarissen hun ontslag: Forgeur gaf toe, doch maakte zijn ontslag afhankelijk van dit van Huleu; deze laatste echter weigerde en vroeg ondersteuning aan de regeering. Zie deze belangrijke episode omstandig verhaald, naar de romeinsche bronnen bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 33. Vóór Terlinden was dit incident weinig of niet bekend.

Willem zelf. Rome was wantrouwig geworden en daarbij, door het incident met Mgr Ciamberlani, in de Nederlanden niet vertegenwoordigd, in een tijd waar dit hoogst noodzakelijk bleek; de moeilijkheden betreffende de grondwet, waarover in onze volgende verhandelingen, zouden zeker tot zulken vinnigen strijd niet geleid hebben, indien koning Willem had willen en kunnen handelen in overleg met den H. Stoel.

R. Deschepper.

VI.

De corporum crematione I.

Q. *Indicatis motivis ob quæ Ecclesia prohibet cremationem, describe ambitum prohibitionis statutæ in can. 1203, § 1.*

R. Ut rite intelligatur quibusnam motivis Ecclesia ducta fuerit ad prohibendam cremationem, et ut melius pateant controversiæ, quæ hisce ultimis temporibus in nostra patria circa hanc quæstionem fuerunt motæ, utile erit tum quædam historica hûc spectantia præmittere, tum paucis exponere quibusnam motivis fautores illius praxis ducantur.

1/ *Historica circa cremationem.*

Apud Romanos et Græcos ante Christum, præter usum inhumandi seu sepeliendi, mos erat aliis cremandi corpora defunctorum (1). Hæc autem crematio apud paganos sæpe habebatur ut actus religiosus, cum ignem ipsi haberent ut originis divinæ (2) Hic incinerandi usus etiam apud paganos Germanos et Celtos invaluit (3). Judæis contra usus erat mortuos sepeliendi, ut multis

---

(1) Cfr Tacitus, *Annal.*, xvi, 6. — Tertullianus, *De resurrectione carnis*, c. 1 (MPL, II, 735). — Minutius Felix, *Octavius*, c. 34. (MPL, III, 347). — In lege duodecim tabularum, tab. x, § 1 statuitur: « hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito ».

(2) Recole mythologiam de Prometheo. Deificatio et imperatorum apotheosis igne fiebant.

(3) Cfr Matthæus a Coronata, *De locis et temporibus sacris*, p. 129.

locis s. Scripturæ constat. Christiani tandem, quibus mors non destructio sed somnium est, ad quod aliquando sequetur resurrectio, quibusque ignis erat instrumentum et symbolum pœnæ et gehennæ, ab exordio admiserunt usum semiticum Judæorum, nam « rogos exsecrantur et sepulturas ignium damnant » ad « frequentandam veterem et meliorem consuetudinem humandi » (1). Quanti fecerint hunc morem apparet tum ex stupendis conatibus in primis sæculis ad exstruendas catacombas adhibitis, tum ex severis legibus, quibus postea barbaris conversis inhumationem imposuerunt, et cremationem ipsis usualem proscripserunt (2). Nisi enim ab hac praxi abhoruissent, ut multis aliis ita etiam huic usui populari sese accomodassent. At, post medietatem sæculi XIX, plures increduli hanc praxim paganorum in nostris regionibus a tot sæculis derelictam, instaurare satagerunt.

2/ *Motiva ab iis adducta* apparent esse prætextus ad inducendam praxim a qua sensus christianus, imo et humanus abhorret. Allegant enim *tum* periculum contagionis, quasi aer et aqua prope cœmeteria per vermificationem cadaverum, et emanationem elementorum organicorum contaminata existerent ; *tum* utilitatem œconomicam, quatenus cœmeteria agros occupant, qui optime agriculturæ inservire possent ; *tum* utilitatem industrialem, ut nempe ex corporibus exstrahi queant materiæ chemicæ utiles ; *tum* utilitatem psychologicam, quatenus, crematione admissa, jam non percellentur homines horrore quem corruptio et vermificatio cadaverum excitare natæ sunt, et simul cavetur a tremendo periculo ne quis præmatura inhumatione sepeliatur (3).

---

(1) Ita loquitur Cœcilius paganus apud MINUT. FEL., *Octavius*, c. XI.

(2) Ita lex Caroli Magni a 789 : « si quis corpus defuncti hominis, secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit, et ossa ejus ad cinerem redegerit, capite puniatur ».

(3) Vide hæc argumenta a cremationis fautoribus proposita in *Annales parlementaires*, 1924, p. 279, 288 et 340. Alia insuper motiva ad illam praxim apud nos introducendam ab illis afferuntur, puta : exemplum aliarum regionum; jus libere disponendi de corpore tamquam de re sua, etc.

3/ *Rationes ob quas Ecclesia cremationem proscripserit,* ex dictis manifeste desumi possunt. Nimirum, ut documenta ecclesiastica liquido ostendunt, voluit Ecclesia, prohibendo cremationem, præprimis reprobare impiam fautorum illorum intentionem : sæpe enim fuit proposita ex odio fidei ad negandam resurrectionem corporum, et ut signum annihilationis totius hominis, quam profitentur (1).

Deinde, opponitur crematio antiquissimæ traditioni ecclesiasticæ. Ecclesia enim ab initio ritus in sepeliendis cadaveribus adhibitos, qua actus religiosos habuit, et semper maxima cura et reverentia illa corpora tractavit. Ita vivide exprimebat connexionem intimam, quam credit existere cultum mortuorum inter et doctrinam fidei de resurrectione et sanctitate corporum, quæ membra fuerunt Christi et templa Spiritus sancti. Ex opposito autem crematio sapit paganismum, quatenus destruit hanc religiosam reverentiam erga corpora defunctorum, ideoque nata est sensim « imminuere existimationem et reverentiam erga christianam, constantem, et solemnibus ritibus ab Ecclesia consecratam consuetudinem fidelium corpora humandi » (2).

Opponitur insuper sensui pietatis fidelium, ita ut durante bello ab ea adhibenda desistere debuerint « quia sensui militum omnino repugnari dicebatur » (3)

Damnum quoque cultui reliquiarum inferret, saltem si universaliter introduceretur crematio.

Addi potest ratio, quam non status civilis tantum urget, sed et Ecclesia agnoscit, quatenus scilicet, crematione introducta multis criminibus examinandis possibilitas tolleretur.

4/ *Ambitus prohibitionis Ecclesiæ.*

Hisce omnibus inspectis Ecclesia can. 1203, § 1, illicitum declaravit cremare corpora fidelium. Hujus prohi-

---

(1) Cfr documenta in codicis notis ad hunc canonem citata.
(2) Cfr decr. S. C. Officii, 19 maii, 1886.
(3) Cfr Vermeersch-Creusen, *Epitome juris canonici,* II, p. 279.

bitionis ambitum paucis juvat exponere, inspectis tum codicis textu, tum documentis ecclesiasticis, quæ circa hanc materiam prodierunt (1).

a/ Prohibitio *omnes* et *solos* fideles tangit : quamvis enim ad Apostolos usque ascendat, non tamen habenda est qua lex divino-positiva, quum nihil hanc indolem demonstret ; aut qua lex naturalis, quum crematio per se nec religionem nec bonos mores lædere appareat ; unde est lex mere ecclesiastica et disciplinaris quæ solos fideles obligat (2). Quod tamen non impedit quominus etiam acatholici, ut communiter sane obtinet, huic praxi indulgendo, graviter peccare possint, puta ratione scandali, vel prava intentione, qua, ut diximus supra, duci possunt.

b/ Ecclesia *graviter* obligat fideles . α/ ad non dandum nomen societatibus quæ usum cremationis promovere intendunt, cum illæ sæpissime a sectis massonicis pendeant, unaque cum illis damnentur (3) ; β/ ad non mandandum suiipsius aut aliorum corporum cremationem Si ipsa nihilominus a defuncto jussa fuerit, illicitum est hanc voluntatem exsequi, et quæcumque hujusmodi voluntatis additio testamento, contractui, aut cuilibet actui, pro non adjecta est habenda (c. 1203, § 2), γ/ ad non cooperandum formaliter cremationi, aut mandato aut consilio. Tolerari tamen aliquando potest materialis cooperatio, dummodo : crematio non habeatur pro signo protestativo massonicæ sectæ, nec aliquid in ipsa contineatur quod per se, directe atque unice exprimat

---

(1) Citantur in notis codicis. In responso 3 aug. 1897, s. Officium declaravit membra recisa *fidelium*, nisi obstarent graves difficultates, in parvo terræ spatio benedicto esse sepelienda; licere tamen, prudenti dissimulatione, obœdire medicis qui combustionem jusserint. Cfr *Coll. de Prop. fide*, II², n. 1975.

(2) Quia est lex disciplinaris tantum, non prohiberetur crematio si gravis adesset causa eam instituendi, præsertim casu quo impia evidenterabest, uti in casu extraordinario, puta tempore pestilentiæ vel belli.

(3) Instr. S. C. Officii, 19 maii, 1886; cfr *Coll. de Prop. fide*, II², n. 1657.

reprobationem catholicæ doctrinæ et approbationem sectæ; neque constet officiales et operarios catholicos ad opus adigi vel vocari in contemptum catholicæ religionis (1); ∂/ ad non cooperandum legibus iniquis quæ cremationem statuunt.

J. Brys.

(1) Decr. S. C. Officii, 27 julii, 1892; cfr *Coll. de Prop. fide*, II², n. 1808.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis novembris propositas.

I.

Impositio manuum de qua Act. Ap., XIII, 3.

Q. *Quomodo intelligenda est impositio manuum facta Barnabæ et Saulo quæ refertur* Act. Ap., XIII, 3?

R. Responsum præsens restringimus ad l. c. *Act. Ap.*, in responso ad quæstionem sequentem latius dicturi de impositione manuum quæ variis aliis locis Novi Testamenti memoratur, et cæteroquin ex ibidem dicendis solutionem ad præsentem quæstionem confirmaturi.

Cum plerisque auctoribus catholicis eligimus sententiam h. l. *Act. Ap.* agi de *consecratione episcopali* Pauli et Barnabæ, relicta sententia paucorum illorum qui, sicut olim Estius et Suarezius, tenuerunt hîc agi de gestu quodam quo super missionarios profecturos apprecabantur divinum fervorem, — item relicta sententia quam recenter proposuit Steinmann, quasi nimirum communitas christiana antiochena hoc gestu significare voluerit plenam dari Paulo et Barnabæ facultatem novas communitates christianas fundandi et organizandi easque ecclesiæ antiochenæ quasi centro et matri aggregandi (1).

Revera plane inefficacia videntur ea quæ communiori sententiæ consecrationis episcopalis ab iisdem auctoribus opponuntur. Aiunt enim:

a/ Non intelligitur Paulum et Barnabam nondum esse

---

(1) STEINMANN, *Die Apostelgeschichte* (Collect. *Die Heilige Schrift des Neuen Testaments*), Bonn, Hanstein, 1916.

episcopali dignitate insignitos: fuerat enim Paulus ab ipso Domino vocatus ad apostolatum, quod erat munus omnium altissimum; Barnabas autem non tantum fuit vir eximii momenti in ecclesia primitiva, sed in specie munus ipsi ab ecclesia hierosolymitana demandatum Antiochiæ exercendum (*Act. Ap.*, XI, 22 ss.) supponit eum fuisse omnibus facultatibus necessariis, et signanter dignitate episcopali, instructum (1). — *Respondetur : a/* quod *Paulum* spectat: dignitas *apostolica*, quantumvis sit altissima, in ratione suî non includit dignitatem *episcopalem* utpote quæ alius ordinis est; et quantumvis conveniens fuerit ut ad apostolatum vocatus etiam ad dignitatem episcopalem eveheretur, non ideo tamen debuit hæc alia dignitas statim et ab initio ipsi conferri ; — revera de hujusmodi consecratione episcopali Paulo facta hucusque nihil audivimus, neque prædicatio ab ipso hucusque exercita (*Act. Ap.*, IX, 19-30 ; XI, 25-30) nec delatio collectæ Hierosolymam (XII, 24-25) dignitatem episcopalem requirebat — *b/* Quod *Barnabam* spectat, etiam quoad ipsum nil probat eum jam antea fuisse in episcopum consecratum, et signanter illud non probat munus ipsi Antiochiæ præstandum commissum ; Antiochiæ enim ubi primum solis Judæis Evangelium fuerat prædicatum (*Act.*, XI, 19), jam etiam Gentilibus fides nuntiatur, visibili adjutorio Dei et magno successu (vv. 20-21) ; non mirum si admissio tanti numeri Gentilium suscitaverit oppositionem apud Judæo-christianos in Jerusalem ; quare voluerint Apostoli apostolica sua auctoritate quod factum fuerat comprobare, et ideo Antiochiam mittunt Barnabam de statu rerum examinaturum ; quod et præstat Barnabas : digitum Dei agnoscit, novellos christianos exhortatur, Paulum Tarso advocat, Evangelium prædicat. Iterum quid in his omnibus demonstrat Barnabam debuisse episcopali dignitate esse instructum ?

---

(1) STEINMANN, *l. c.* et ad *Ap. Act.*, XIV, 23.

b/ A quonam essent Paulus et Barnabas in episcopos consecrati ? An a Simone, Lucio et Manahen v. 1 enumeratis ? Sed si tres illi sunt tanta dignitate præstantes, quomodo in v. 1, sine ulla nota distinctiva recitantur inter Barnabam et Saulum ? — An forte ab aliis non nominatis, ita ut v. 3 esset sensu impersonali intelligendus: *On leur impose les mains ?* Sed si ita, quomodo *Act. Ap.* omnino tacent de præsentia hujusmodi præclarorum virorum (1) ? *Respondetur :* etiam si tres illi viri episcopi fuissent, nulla erat necessitas ut Lucas hanc eorum eminentiam notaret ; ad introducendam revelationem Spiritus sancti de qua v. seq., notasse sufficiebat ipsos esse *prophetas*. — Attamen melius videtur v. 3 sensu dicto impersonali intelligere ; ast non ideo debuit Lucas horum episcoporum Antiochæ præsentiæ mentionem facere, quum hujusmodi factum non debuerit esse ita insolitum aut Antiochæ proprium ; cæteroquin si sensus v. 3 vere fuit ille Paulum et Barnabam fuisse ab episcopis Antiochiæ degentibus consecratos, Lucas eo ipso quod hanc consecrationem referebat, referebat quoque illorum episcoporum ordinantium præsentiam (2).

Unde nulla videtur adesse ratio quæ ad discedendum a sententia communi nos invitet ; hæc porro sententia fundatur tum aliis textibus Novi Testamenti, in responso ad quæstionem mensis sequentis examinandis, ubi de manuum impositione mentio occurrit, — tum eo quod facile intelligimus ordinationem episcopalem tum Pauli tum Barnabæ, in præcedentibus nullibi memoratam, hoc loco et tempore locum habuisse, nimirum dum in eo sunt ut, ab ecclesia perfecte constituta et organizata, qualis est antiochena, profecturi sunt novas ecclesias fundaturi, quas necesse erit organizatione hierarchica instruere, — tum ex comparatione cum *Act. Ap.*, XIV, 23,

---

(1) STEINMANN, *o.* et *l. c.*

(2) Imo si v. 3 sensu illo impersonali intelligitur, quare non potuit ordinatio fieri ab episcopo vel episcopis etiam aliunde Antiochiam advocatis ?

ubi impositio manuum sine dubio de sacra ordinatione, presbyterorum nempe, intelligitur ; jamvero cum illo loco præsens hîc locus ita convenit ut ad identitatem sensus merito sit concludendum ; utroque enim loco mentio fit de impositione manuum cum jejunio et oratione conjuncta.

Sensus *Act Apost*, XIII, 1-3 hic nobis esse videtur : aderant Antiochiæ, vel eo advenerant episcopi, quorum erat regere ecclesiam et ministrare sacramenta, signanter ordinis ; aderant etiam vario munere charismatico insigniti, quales prophetæ et doctores enumerati in v. 1, qui hîc Antiochiæ munus suum exercebant. Et ecce quodam die, decursu alicujus functionis, Spiritus sanctus, per unum aut plures ex illis prophetis, loquitur, tempus jam adesse edicens : « Segregentur, i. e. consecrentur Barnabas et Paulus ut jam aggrediantur opus ad quod eos destinavi ». Quare jejuniis et orationibus imploratur divina benedictio super eos : ab episcopis ordinatio sacra iis confertur, et, sicut monuerat Spiritus sanctus, ab ecclesia antiochena dimittuntur ut eant quo Spiritus eos duceret.

A. VANDER HEEREN.

II.

De conservatione rerum a Deo

Q. *Proba Deum omnia, quæ ab ipso sunt creata, conservare in esse.*

R. — Duplici modo, uti prænotat s. Thomas incipiens agere de conservatione rerum a Deo, dicitur aliquid conservare aliud : uno modo *per accidens et indirecte* removendo causas violenta ratione corrumpentes ; alio modo *per se et directe*, « quando scilicet illud quod conservatur, dependet a conservante, ut sine eo esse non possit » (1).

(1) *Sum. theol.*, I, q. 104, a. 1, c. — Quidam auctores adhuc distinguunt conservationem negativam et positivam, sed negativa tunc est rem non destruere, et in a. 3 notat s. Thomas Deum posse rem destruere, jam non influendo esse seu jam subtrahendo suam actionem a re ; attamen, ait a. 4, reapse nihil omnino in nihilum redigit.

Priori modo, ait Aquinas, conservari debent sola corruptibilia; altero modo « omnes creaturæ indigent divina conservatione » (1).

Propositio probanda spectat hunc alterum modum conservationis, omnibus rebus creatis communem, atque demonstrari potest: 1/ argumento *rationis*, quod in philosophia etiam proponitur; 2/ argumento desumpto *ex revelatione*, ex iis nimirum, quæ in Scriptura sacra continentur et apud Patres Ecclesiæ reperiuntur.

1/ Argumentum *rationis* ex rerum contingentia sic breviter contrahi potest: ens creatum dicit ens contingens, cui contingit esse, quoniam ens necessarium, quod est natura sua, nec esse non potest, facit illud esse, uti in limine tractatus de Deo creante in memoriam revocatur (2).

Ens contingens ex ipsa ratione sui, utpote non habens in semetipso et a semetipso rationem sufficientem sui esse, postulat necessario, seu natura sua, ut quolibet momento existentiæ suæ in esse conservetur ab ente necessario; secus enim jam non contingens sed necessarium habetur.

Indigent itaque omnes creaturæ divina conservatione, « ita quod nec ad momentum subsistere possent, sed in nihilum redigerentur, nisi operatione divinæ virtutis conservarentur in esse » (3).

Quinimmo, uti affatim ex dictis constat, « dicendum quod Deus non potest communicare alicui creaturæ ut conservetur in esse, sua actione cessante, sicut non potest

---

(1) *Ibidem* et nota priorem modum potius spectare ad rerum gubernationem.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XX, p. 232 s., coll. XXIII, p. 139, ubi necessitas naturalis explicatur.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 104, a. 1, c., coll. *Contra Gentes*, III 65, necnon *De veritate*, q. 5, a. 1, c. — Attamen, sicut Deus, post primam creationem, non omnia immediate facit esse, ita nec immediate omnia conservat, uti ulterius exponit s. Thomas et fusius explicat ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, n. 239 s., n. 269 s. et n. 274 s., apud *Collat. Brugen.*, VI, p. 564 s.; VII, p. 217 s. et p. 417 s.

ei communicare quod non sit causa illius » (1). Et revera, necessitas conservationis consequitur ex ipsa ratione entis contingentis, ex qua pariter fluit quod creari debeat.

Inde etiam intelligitur, quod s. Thomas statim addit : « Conservatio rerum a Deo non est per aliquam novam actionem, sed per continuationem actionis, qua dat esse » (2), et « sic operatio Dei quæ est per se causa quod res sit, non est alia secundum quod facit principium essendi et essendi continuationem » (3).

2/ Eadem veritas constat ex iis quæ in sacris litteris et apud sanctos Patres docentur.

a/ Etenim in *Scriptura sacra* in libro Sapientiæ legimus : « Diligis enim [tu Deus] omnia quæ sunt... Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod a te vocatum non esset, conservaretur ? » (4).

Ita et in epistola ad Hebræos dicitur Filius, « per quem fecit [Deus] et sæcula, portare omnia (φέρων τε τὰ πάντα) verbo virtutis suæ » (5). Hanc pericopam commentatores catholici communi consensu de conservatione interpretantur, et cum eadem sæpius connectunt quæ leguntur in epistola ad Colossenses : « Omnia per ipsum [scilicet Filium Dei], et in ipso creata sunt : et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant » (6), seu in esse

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 104, a. 1, ad 2.

(2) *Ibidem*, ad 4.

(3) *De veritate*, q. 5, a. 1, ad 2. — Ex hisce simul apparet non esse objiciendum ex eo quod causæ creatæ possunt effectui suo tribuere ut permaneat, operatione earum cessante, sicut manet v. g. domus, desinente operatione ædificatoris. Etenim causæ creatæ in producendis artificialibus late sumptis, ut oppositis scilicet omnibus entibus naturalibus, nihil aliud faciunt quam mutare, modificare res naturales, eisdem tribuendo *determinatum modum* essendi, idque applicando vires naturales rerum existentes, uti explicatur in *Sum. theol.*, I, q. 104, a. 1, c.

(4) *Sap.*, XI, 25 s.

(5) *Hebr.*, I, 2b, 3.

(6) *Coloss.*, I, 16b, 17 coll. *Act. Ap.*, XVII, 28.

perseverant. Merito igitur Judæis respondet Jesus : « Pater meus usque modo operatur, et ego operor » (1).

b/ Sancti *Patres* pariter eamdem doctrinam inculcant.

Ita inter græcos s. Irenæus : « Omnia quæ facta sunt,... perseverant quoadusque ea Deus ét esse ét perseverare voluerit » (2). Similiter s. Gregorius nazianzenus (3) et omnino clare s. Joannes chrysostomus : « Non enim solum protulit [Deus] creaturam, verum etiam prolatam tuetur et fovet. . : cuncta fruuntur providentia illius, et si destituantur efficaci illius actione, difluunt, dilabuntur, pereunt » (4).

Inter latinos non minus diserte loquitur s. Augustinus : « Potest etiam intelligi Deum requievisse a condendis generibus creaturæ, quia ultra jam non condidit aliqua genera nova ; deinceps autem usque nunc et ultra operari eorumdem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt, non ut ipso saltem die septimo potentia ejus a cœli et terræ omniumque rerum quas condiderat gubernatione cessaret, alioquin continuo dilaberentur » (5) ; itaque errant « qui arbitrentur tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cetera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et jussit, Deum autem nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini : Pater meus usque modo operatur... Sic ergo credamus, vel, si possumus, etiam intelligamus, usque nunc operari Deum, ut, si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intercidant » (6).

Ita tandem et s. Gregorius magnus : « Aliud est esse,

---

(1) *Jo.*, v, 17.

(2) S. Irenæus, *Adv. hær.*, II, xxxiv, 3 (MPG, VII, 836).

(3) S. Gregorius naz., *Oratio* xxviii (theol. ii), n. 16 et *Oratio* xxx (theol. iv), n. 20 (MPG, XXXVI, 48 et 130).

(4) S. Joannes chrys., *De consubst., contra Anomœos*, xii, 4 (MPG, XLVIII, 810) et cfr *Hom. II in epist. ad Hebr.*, n. 1 (MPG, LXIII, 23), necnon s. Joannes damasc., *De fide orthodoxa*, ii, 3 (MPG, XCIV, 873).

(5) S. Augustinus, *De Genesi ad litteram*, IV, xii 22 (MPL, XXXIV, 304).

(6) *Ibidem*, V, xx, 40 (MPL, XXXIV, 335).

aliud principaliter esse ; aliud mutabiliter, atque aliud immutabiliter esse. Sunt enim hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, et nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt... Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursum ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret » (1).

H. Lamiroy.

III.

De impedimento voti.

Q. *Quænam sunt vota quæ constituunt impedimentum impediens matrimonii, juxta can. 1058, § 1 ? Paucis explica.*

R. Juxta can. 1058, § 1 « matrimonium impedit votum simplex virginitatis, castitatis perfectæ, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum ».

Explicatur :

1/ *Votum* est promissio deliberata ac libera Deo facta de bono possibili et meliore (can. 1307, § 1). Hæc definitio explicatur in tractatu de virtute religionis.

In *praxi* sedulo distinguendum erit inter promissionem et merum propositum, eritque examinandum an votum non fuerit invalidum *præsertim* ex defectu plene deliberatæ voluntatis sese obligandi ; ex metu gravi et injusto ; ex ignorantia et errore, puta ex errore circa substantiam rei quæ vovetur, circa conditiones rei accidentales quas vovens formaliter intendit, ita ut fuerit vere error antecedens (2), item, ex errore circa causam vere finalem

---

(1) S. Gregorius magnus, *Moralia*, XVI, xxxvii, 45 (MPL, LXXV, 1143). — Quoad *notam theologicam* hujus propositionis, auctores eamdem habent plerumque saltem *certam et communem;* quid in concilio vaticano definitum fuerit, vide in responsione mensis præc., p. 23, n. 6.

(2) Excipiuntur vota religiosæ professionis.

seu non mere impulsivam (1). Tandem inquirendum erit de deobligatione voti, de qua agetur in altera quæstione.

2/ Votum dicitur *simplex* per oppositionem ad votum sollemne. Porro, omne votum, quod non ut sollemne ab Ecclesia agnoscitur, est simplex (can. 1308, § 2). Soli religiosi quorum religio seu societas vocatur ordo habent vota sollemnia. Imo in ordine dantur moniales quarum vota ex instituto quidem sunt sollemnia sed ex Apostolicæ Sedis præscripto pro aliquibus locis simplicia sunt (can. 488, 1°, 2°, 7°). Casus obtinet pro omnibus monialibus Belgii et Galliæ, quibus tamen licet ab Apostolica Sede vota sollemnia postulare (2).

3/ Votum *virginitatis* est promissio servandi perpetuam *immunitatem* a voluntario experimento delectationis venereæ sive licitæ (per matrimonium) sive illicitæ.

Quousque quis non est voluntarie expertus completam delectationem quæ est in actu consummato, in copula scil. et pollutione (3), objectum voti manet possibile quod attinet immunitatem ab experimento delectationis plenæ adeoque præcipuæ. Itaque is tantum hoc votum vovere nequit qui delectationem admisit actus consummati, cujus, uti dicitur, periit virginitas irreparabiliter. Juxta multos (4) huic æquiparatur qui tales actus libidinosos admisit quos *per se* sequitur completa delectatio. Juxta alios (5) quando immunitas per accidens physice servata est, per accidens reparabilis est virginitas. Non autem perit irrecuperabiliter posteriori complacentia de pollutione involuntarie habita, neque eam amittit virgo sine ullo consensu oppressa, etiamsi postea pariat.

Integritas corporalis membri est aliquid accidentale ;

---

(1) Hæc sunt tantum quædam præcipua. Cfr DIGNANT O. E., *Tractatus de virtute religionis*, p. 74-86. Brugis, 1921.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXIII (1923), p. 482 ss.

(3) Pollutione scil. libere admissa, vel consensu in eam dum contingit, pollutione etiam nocturna, voluntaria in causa.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, X (1905), p. 478 s.

(5) A. VERMEERSCH, *De castitate*, n. 142. Romæ, 1919.

qua de causa, si contingat per saltationem, improvisum tactum vel chirurgicam operationem corrumpi, non magis præjudicat virginitati, quam si corrumpatur manus aut pes ; et contra, etiamsi hymen puellæ post actum consummatum maneret intactum, virginitas foret nihilominus amissa.

4/ Votum *castitatis perfectæ* tanquam objectum habet *abstinentiam* ab omni delectatione carnali, etiam ab ea quæ est in matrimonio legitimo, qua de causa dicitur *perfectæ* castitatis votum, quamvis forsan castitas voveatur tantum temporaria.

Porro, quia objectum istius voti non est *immunitas* servanda a voluntario experimento delectationis carnalis sed futura *abstinentia* ab hujusmodi experimento, hoc votum vovere valet qui actu quoque consummato antea contra castitatem peccaverit.

Vota virginitatis et castitatis contrariantur *usui* matrimonii, adeoque, qui talia vota emisit, prohibetur ne matrimonium contrahat, quia celebrando nuptias suscipit obligationem reddendi debitum. Excipitur casus extraordinarius quo compars futura noscitur jure suo ad copulam non esse usura, puta quia est moribunda, vel quia renuntiat *exercitio* (1) sui juris et, ex alia parte, datur gravis ratio nubendi et sufficienter cautum est periculis incontinentiæ, quia status matrimonialis sub respectu voti servandi manet semper periculosus. Itaque, in tali casu extraordinario, contractus matrimonialis non est jure naturali divino illicitus, prohibetur tamen jure ecclesiastico, quia manet impedimentum ecclesiasticum, uti dicetur in fine responsi.

5/ Votum *non nubendi* est promissio Deo facta servandi cœlibatum.

Hoc votum potest esse temporarium. Contrariatur ipsi contractui matrimoniali, non autem usui matrimonii semel contracti.

---

(1) Cfr A. Desmet, *De sponsalibus et matrimonio*, I, n. 155. Brugis, 1923.

In praxi difficulter discernitur utrum aliquis virginitatem, an vero castitatem aut cœlibatum voverit. Natura voti ex fine intento aliquando dijudicari poterit. Sic, qui intenderit specialem aureolam virginum aut eximiam pulchritudinem castitatis *semper integræ*, censetur emisisse votum virginitatis. Qui amore castitatis motus sit, præsumitur vovisse perfectam castitatem. Qui matrimonii onera vitanda tantum cogitaverit, vovit probabilius cœlibatum.

6/ Votum *suscipiendi ordines sacros*, scil. majores : presbyteratum, diaconatum et subdiaconatum (can. 949).

Quia celebratio matrimonii saltem regulariter impossibilem reddit voti observantiam, primo ob statum conjugalem, deinde, dissoluto matrimonio, ob obligationes frequenter ex matrimonio exortas, regulariter et independenter ab ecclesiastico impedimento impediente matrimonium, hoc votum inducit obligationem cœlibatus.

7/ Votum *amplectendi statum religiosum*, stabilem scil. in communi vivendi modum, quo fideles, præter communia præcepta, evangelica quoque consilia servanda per vota obedientiæ, castitatis et paupertatis suscipiunt (can. 487). Agitur evidenter de religione ab auctoritate ecclesiastica probata.

Contractu matrimoniali regulariter impossibilis redditur voti observantia, uti dictum est de voto suscipiendi ordines sacros, attento can. 542, 1° quo, durante matrimonio, conjux ad novitiatum admitti nequit, suppresso quoque bimestri neo-conjugibus olim concesso ad deliberandum de ingredienda religione (cf. can. 1111).

Nota. Quamvis in casu aliquo particulari et inspecto solo jure naturæ, votum aliquod non stricte prohibeat matrimonii celebrationem, manet tamen semper prohibitio juris ecclesiastici fundata in periculo universali, quod satis constat ex tenore canonis, in quo absolute et sine restrictione statuitur prædicta vota matrimonium impedire.

IV.

Q. *Quomodo cessare contingit hoc impedimentum impediens?*

R. Impedimentum cessat omnibus iis modis quibus votum extinguitur (1). Porro, tenore can. 1311 « cessat votum lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi, mutatione substantiali materiæ promissæ, deficiente conditione a qua votum pendet aut ejusdem causa finali, irritatione, dispensatione, commutatione ».

Cessat itaque votum :

1/ *Lapsu temporis ad finiendam obligationem appositi :* Si votum, v. g. castitatis perfectæ aut cœlibatus, fuit emissum ad tempus, tempore elapso cessat, uti patet, voti obligatio.

2/ *Mutatione substantiali materiæ promissæ :* si res promissa facta est inhonesta, minus bona aut impossibilis. Sic, qui voto ligatus virginitatis admittit actum consummatum, nequit jam votum suum observare: quia periit ipsi objectum voti irrecuperabiliter. Item, qui ab ordine sacro vel a religione tanquam inhabilis repellitur, voto suscipiendi ordines sacros vel amplectendi statum relisiosum jam non ligatur.

Ad hanc causam reducitur notabilis mutatio status voventis relate ad materiam voti. Sic, votum suscipiendi ordines sacros aut ingrediendi religionem. ob mutationem valde notabilem adjunctorum, nonnunquam cessare contingit, quia intentio voventis non fuit ut in tali casu promissio subsisteret.

3/ *Deficiente conditione a qua votum pendet.* Ratio patet.

Sedulo tamen determinanda est vera intentio voventis. Ita, qui convivens cum sorore vovet religionem *si soror*

---

(1) Uti notat cl. Desmet, *Tractatus de Matrimonio*, t. II, 1920, n. 490: « posset etiam per dispensationem auferri impedimentum, remanente voto, quatenus ab Ecclesia permittatur, non obstante voto, matrimonium celebrari, seposita utique, juxta modo dicta, prohibitione juris naturalis-divini ».

nupserit, plerumque vovisse censetur: si soror nupserit vel quovis modo ipsum dereliquerit, quare tenebitur si soror moriatur vel religionem ingrediatur. Qui vovet religionem *si pater moritur*, potuit hanc conditionem apponere ne patrem sine auxilio derelinquat; qua de causa, ligatur voto si pater ab alio filio optime recipitur; non vero ligatur, si conditionem apposuit ne patrem suo discessu contristat. Qui vovet religionem *nisi pater dissentiat*, et postea mendaciis patrem ad dissensum movet, non tantum peccat ita agendo sed votum dissensu patris generatim non extinguetur, quia sensus conditionis appositæ fuit: nisi pater libere, non coactus aut deceptus, dissentiat. Contra, qui vovet religionem *dummodo frater apud parentes maneat*, et eum postea metu aut fraude movet ut abeat, ordinarie non tenebitur suo voto: mens enim ejus respexit materiale factum fratris abeuntis et parentes sine auxilio relinquentis (1).

Uti his exemplis apparet, sæpe dubia remanet conditionata intentio, adeoque et voti obligatio: quo casu, neglecto impedimento impediente dubio, ad matrimonium procedere licet.

4/ *Deficiente causa vere finali*, ipso scil. fine rei promissæ et non causa mere impulsiva.

Sic, qui emittit votum non nubendi ut curam habeat fratris sui cæci, non jam tenetur voto, fratre mortuo. Ratio est quia intentio voventis non fuit ut in tali casu votum subsisteret.

Ob quatuor rationes hucusque allatas votum cessat, uti dicitur, ab intrinseco. Ab extrinseco autem cessare contingit ob tres causas, de quibus nunc est agendum.

5/ *Irritatione*, facta ab eo cujus potestati ipsa voluntas voventis subditur.

Nimirum, « qui potestatem dominativam in voluntatem voventis legitime exercet, potest ejus vota valide et,

---

(1) Cfr Dignant O. E., *Tractatus de virtute Religionis*, ed. 3a. Brugis, 1921, n. 170 p. 98.

ex justa causa, etiam licite irrita reddere, ita ut nullo in casu obligatio postea reviviscat » (can. 1312, § 1). Sic parentes irritare queunt omnia vota filiorum suorum impuberum, puerorum scil. ante decimum quartum, puellarum ante duodecimum annum completum. Imo id plures ob can. 89 ad omnes filios minores (can. 88) non emancipatos extendunt. Valent irritare vota quocumque tempore postea implenda, ea quoque quibus prius consenserint. Imo remanere videtur illa potestas irritandi post amissam potestatem in voluntatem filiorum, pro votis antea emissis, quamdiu non fuerint confirmata a vovente ipsorum infirmitatis conscio (1).

Ad validitatem irritationis nulla prorsus causa requiritur, ad liceitatem vero causa rationabilis sufficit.

6/ *Dispensatione*, debiti scil. ex voto contracti condonatione nomine Dei facta.

Adverte ad valorem dispensationis requiri causam rationabilem et voti gravitati proportionatam. Præterea, dispensatur aliquando absolute, aliquando restrictive, in ordine scil. ad determinatum matrimonium ineundum. De causa dispensationis agitur in can. 1313.

7/ *Commutatione:* « opus voto non reservato promissum potest in melius vel in æquale bonum ab ipso vovente commutari; in minus vero bonum ab illo cui potestas est dispensandi... » (can. 1313).

Commutari nequit votum *reservatum*, ne frustretur reservatio per commutationem in materiam non reservatam Reservatur autem votum (e. g. castitatis perfectæ, perpetuæ vel temporariæ) *publicum*, i. e. in religione emissum (can. 251, § 3). Vota autem *privata* Sedi Apostolicæ reservata sunt tantummodo votum perfectæ ac perpetuæ castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium, quæ emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum ætatis annum (can. 1309).

---

(1) Cfr *ibidem*, n. 189-190.

Contra, omnia vota non reservata proprio voventis arbitrio in melius vel æquale bonum commutari queunt. Sic votum non nubendi optime commutatur cum menstrua susceptione sacramentorum.

Qui habent potestatem *commutandi-dispensando*, mutare queunt in *minus* opus voto non reservato promissum, sed non in *multo minus*, quia facultas dispensandi accessoria tantum datur. Ad commutandum dispensando postulatur justa causa et quidem ad valorem. Attamen, quando commutatio in minus facta est sine causa sufficiente et opus subrogatum jam peractum est, sufficit ut vovens ita suppleat ut tota materia æqualis evadat (1).

V. Coucke.

V.

De indulgentiis acquirendis.

Q. *Quænam sunt juxta novum codicem conditiones requisitæ* ex parte subjecti *ad lucrandas indulgentias* (2) ?

R. — Cum ipso codice, can. 925, duplici paragrapho propositæ quæstioni respondebimus, nimirum 1° quid requiratur ut quis sit *capax* sibi lucrandi indulgentias, 2° quid vero ut eas *revera* lucretur.

De subjecto capaci lucrandi sibi indulgentias.

« Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias, debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiæ saltem in fine operum præscriptorum, subditus concedentis » (can. 925, § 1).

Unde quatuor conditiones requiruntur ut quis sit capax sibi comparandi indulgentias, quas breviter explicamus et vindicamus.

---

(1) Cfr *ibidem*, n. 206.

(2) Cfr Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, t. I, p. 58 ss.; A. Schaepman, apud *Nederlandsche Katholieke Stemmen*, t. XX, 1920, p. 360 ss.; M. Lecler, apud *Collationes Namurcenses*, t. XVIII, 1923-1924, p. 39 ss.; Vermeersch-Creusen, *Epitome juris canonici*, t. II, p. 113 ss.

1/ Debet esse *baptizatus.*

Etenim « Baptismate homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum juribus et officiis, nisi, ad jura quod attinet, obstet obex, ecclesiasticæ communionis vinculum impediens, vel lata ab Ecclesia censura » (can. 87).

Unde indulgentias *sibi* lucrandi incapaces sunt, ex hoc capite, infideles et catechumeni (1).

2/ Debet esse *non excommunicatus.*

Etenim excommunicatio est censura qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus qui in codice enumerantur (can. 2257, ss.). Excommunicati autem alii sunt vitandi alii tolerati (can. 2258, § 1).

Jam autem inter illos effectus omnis excommunicationis ille enumeratur: « Excommunicatus non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiæ precum » (can. 2262 § 1).

Unde, præter non baptizatos, indulgentias sibi lucrandi incapaces sunt omnes qui *per excommunicationem* a communione Ecclesiæ exclusi sunt. Hac igitur ratione a lucrandis sibi indulgentiis excluduntur omnes hæretici et schismatici formales (2).

---

(1) Catechumenis possunt dari benedictiones imprimis impertiendæ catholicis, juxta can. 1149; inter has autem benedictiones etiam veniunt sacramentalia publica, ac proinde impositio cinerum, traditio candelarum et palmarum, juxta responsum S. Congregationis Rituum, 8 martii 1919. Cfr *Acta Apost. Sedis*, t. XI, 1919, p. 144. Catechumeni non possunt *sibi* lucrari indulgentias, ut in textu dicitur, et hæc ratio reddi potest, indulgentiam nimirum pro vivis ab Ecclesia concedi per modum absolutionis seu veræ jurisdictionis (can. 911), jurisdictionem autem Ecclesiæ sese ad eos tantum extendere qui ipsi per baptismum fuerunt incorporati. Atvero quæstio poni potest nonne catechumenis agnoscenda sit capacitas lucrandi indulgentias pro defunctis, quæ nimirum per modum suffragii, per modum intercessionis seu impetrationis conceduntur (can. 911), quippe quum jam per fidem et charitatem Christo sint uniti, atque jam in potentia proxima ad corpus Ecclesiæ pertineant.

(2) Quoad vero hæreticos aut schismaticos materiales, merito, ut videtur, quæstio agitatur ulterius. Atque hæc nobis solutio arridet, salvo meliore, baptizatum acatholicum, si sit bonæ fidei atque adeo ab excommunicatione immunis, et si ceteras conditiones ad lucrandas

3/ Debet esse *in statu gratiæ saltem in fine operum præscriptorum.*

Optimum quidem ex omni parte est, uti patet, ast non de necessitate est ad sibi lucrandam indulgentiam ut quis reliqua opera præscripta in statu gratiæ peragat. Dum autem ultimum ex præscriptis operibus impletur, juxta ordinem a lucrante libere electum (1), status gratiæ necessario requiritur.

Qui igitur in peccatum mortale misere lapsus est, debet, ut indulgentiam sibi acquirat, in gratiam prius redire cum Deo, sive per bonam confessionem, sive per actum contritionis perfectæ, juxta postea dicenda. Etenim remissio pœnæ temporalis obtineri nequit nisi deleto prius reatu culpæ mortalis cum reatu pœnæ æternæ. Quum autem indulgentia regulariter eo momento acquiritur quo ultimum opus ad eam præscriptum impletur (2), requiritur ut saltem hoc momento anima sit in statu gratiæ.

---

indulgentias præscriptas adimpleat, non esse incapacem dicendum eas etiam sibi lucrandi. Cfr VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome juris canonici*, t. II, n. 214 in nota. Unde can. 87 interpretandus est quod indulgentias attinet ratione habita canonis 925, § 1, ita ut sola censura excommunicationis ab Ecclesia lata, non vero alius obex ecclesiasticæ communionis vinculum impediens obstet indulgentiarum participationi.

(1) Quando ad aliquam indulgentiam plura opera præscribuntur, quovis ordine ea peragi possunt.

(2) Dico regulariter. Datur enim exceptio pro indulgentia plenaria in articulo mortis. Hæc scilicet applicatur ipso momento quo anima vere e corpore discedit, dummodo utique tunc sit in statu gratiæ, adeoque opera ad eam indulgentiam præscripta non statim sortiuntur suum effectum, sed suspenditur ille effectus ad verum usque momentum mortis. Jam autem, si can. 925 § 1, de quo in textu, stricte heic applicaretur, dicendum videretur illum tantum lucrari indulgentiam plenariam in articulo mortis qui fuit « in statu gratiæ saltem in fine operum præscriptorum ». At contra S. C. Indulg. 29 junii 1836 (*Raccolta* n. 257) ad quæsitum 7^{m}: « licetne aut saltem convenitne iterum applicare indulgentiam in articulo mortis quando ægrotus accepit applicationem in statu peccati mortalis », respondit: « negative », ita innuens benedictionem apostolicam — de hac enim agitur, ut ex contextu apparet, — fuisse valide applicatam, ac momento mortis indulgentiam plenariam posse obtineri, dummodo tunc in anima

Quodsi quis peccatum veniale admiserit, non potest is per indulgentiam sibi acquirere remissionem pœnæ huic peccato debitæ donec prius reatum culpæ deleverit. Et hæc est ratio cur sæpe fideles non plene sibi acquirant indulgentiam plenariam quia non omnem reatum peccati venialis debite excusserint: hi tamen non totaliter frustrantur indulgentia. Statuit enim can. 926 « Plenaria indulgentia ita concessa intelligitur ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet » : plenam scilicet obtinet remissionem pœnarum debitarum omnibus peccatis quoad culpam deletis, manente reatu pœnæ peccatorum venialium quorum reatus culpæ perseverat (1). Unde concludes optimum medium ad plenarie plenariam indulgentiam lucrandam esse ut s. communio, si præscribatur, tamquam ultimum opus eligatur, utpote quæ suapte natura excitet in anima fervorem charitatis qui directe omni peccato veniali contrariatur.

Quæstio autem ulterius ponitur utrum status gratiæ sit etiam de necessitate requisitus ad lucrandas indulgentias pro defunctis.

Disputant auctores « alii affirmant statum gratiæ requiri saltem in fine operum, quia, aiunt, nemo potest alteri indulgentiam applicare, nisi prius eam fecerit suam ; jamvero non potest suam facere nisi sit in statu gratiæ. Quam sententiam s. Alphonsus veriorem affirmat. Alii negant, quia juxta ipsos, is qui lucratur indulgentiam pro defuncto, nullo modo prius sibi eam lucratur et

---

status gratiæ fuerit restauratus. Ut vero per orationem: *Domine Deus meus jam nunc quodcumque mortis genus.... suscipio*, ex concessione Pii X, 9 martii 1904, obtineatur ind. plen, in art. mortis, ipse Pontifex has conditiones exigit, scilicet ut christifideles die ab iisdem eligendo sacramentali confessione rite expiati sacraque Synaxi refecti cum vero caritatis in Deum affectu prædictum actum ediderint.

(1) Quando v. g. ad lucrandam indulgentiam partialem adnexam alicui orationi præscribitur ut hæc recitetur *corde saltem contrito*, id intelligendum est de necessitate illius dispositionis animæ de qua in textu; non autem per hæc verba imponitur aliquis actus contritionis eliciendus tamquam opus ad indulgentiam præscriptum.

deinde alteri applicat, sed solummodo opus tanquam conditionem requisitam perficit, quo opere posito, s. Pontifex tribuit indulgentiam defuncto, offerendo directe Deo satisfactiones Christi et Sanctorum » (1).

Nec s. Congregatio Indulgentiarum nec codex hanc controversiam voluerunt dirimere (2).

Ut patet sententia affirmans necessitatem status gratiæ etiam ad indulgentias pro defunctis lucrandas tutior est, adeoque fidelibus commendanda.

4/ Debet esse *subditus concedentis*.

Omnes fideles, etiam ritus orientalis, utpote subditi R. Pontificis, possunt indulgentias tum pro vivis tum pro defunctis ab ipso concessas lucrari.

Præter Romanum Pontificem ii tantum possunt potestate ordinaria indulgentias elargiri, quibus id expresse a jure concessum est (3), et quidem pro vivis tantum (4). Quum autem indulgentia pro vivis concedatur per modum jurisdictionis, nonnisi subditis ad quos uniuscujusque jurisdictio extenditur, concedi potest, nisi tamen Ecclesia ampliorem concesserit facultatem. Ita Cardinales habent facultatem « concedendi indulgentiam 200 dierum etiam toties quoties lucrandam, in locis vel institutis ac pro personis suæ jurisdictionis vel protectionis ; item in aliis locis, sed a præsentibus solummodo singulis vicibus lucrandas » (5).

Archiepiscopi possunt in diœcesibus suffraganeis sicut

---

(1) M. Lecler, *o. c.*, p. 42 sq. Ibidem vide auctores allegatos.

(2) « Probabilius sacerdos qui in statu peccati mortalis missam ad *altare privilegiatum* vel cum privilegio personali altaris privilegiati celebrat, indulgentiam plenariam hujus altaris pro anima cui eam applicat lucratur. Indulgentia enim annexa est sacrificio, et ipsa Ecclesia applicat alicui animæ eandem indulgentiam, si celebrans vel eleemosynam offerens de hac applicatione non cogitaverit ». Génicot-Salsmans, *Institutiones theologiæ moralis*, t. II, n. 404, 2°.

(3) Cfr can. 912.

(4) Cfr can. 913, 2°. Nuntii tamen et delegati apostolici pro locis missionis suæ amplas obtinuerunt facultates concedendi indulgentias etiam defunctis applicabiles. Vide elenchum apud Vermeersch-Creusen, *o. c.*, I, n. 715, p. 362.

(5) Can. 239, § 1, 24°.

in propria indulgentias 100 dierum concedere (1). Episcopi, in suæ jurisdictionis locis (2), Vicarii et Præfecti apostolici intra sui territorii fines (3), item Abbates vel Prælati nullius (4) possunt indulgentias 50 dierum concedere.

Has autem indulgentias ab Episcopo concessas — sub quo nomine intelligendi sunt etiam Vicarii et Præfecti apostolici, Abbates vel Prælati nullius (5) — lucrari possunt, nisi aliud ex concessionis tenore appareat, tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi, omnesque exempti in territorio degentes (6).

De conditionibus ut quis *revera* indulgentias lucretur dicemus postea.

A. Legrand.

VI.

De corporum crematione II.

Q. *Describe ambitum pœnæ ab Ecclesia ad impediendam cremationem statutæ* (can. 1240, § 1, n. 5).

R. Vidimus supra (7) quamplura circa corporum cremationem prohiberi ; non omnes tamen illi actus prohibiti sanctione pœnali plectuntur. Inspectis codicis textu et documentis S. C. Officii a codice confirmatis, pœnæ ad cremationem impediendam statutæ ad sequentia capita reduci possunt :

1/ Privatio sepulturæ ecclesiasticæ statuitur contra eos qui voce vel scripto « *mandaverint suum corpus cremationi tradi* » (8), nisi ante mortem aliqua pœnitentiæ signa dederint.

(1) Cfr can. 274, 2°.
(2) Cfr can. 349, § 2, 2°.
(3) Cfr can. 294, § 2.
(4) Cfr can. 323.
(5) Cfr can. 294, § 1, can. 323, § 1, can. 215.
(6) Cfr can. 927.
(7) Cfr supra, p. 41.
(8) Can. 1240, § 1, 5°.

Hæc sepulturæ denegatio gravissima est pœna in Ecclesia, ideoque valde odiosa est, et stricte interpretari debet (1), nec ultra casus a jure expressos extendi potest, nec applicari nisi conditiones a jure prævisæ stricte verificentur.

Inde : *a*/ pœna afficit *tantum* illos qui mandatum sui corporis cremationem peragendi dederunt, illudque nec explicite nec implicite retractarunt, sed « in hac voluntate certo ac notorie usque ad mortem perseverarunt » (2). Tales ut *publici* peccatores ab Ecclesia habentur. *Explicita* retractatio fit ab illo qui expressis verbis vel nutu coram uno saltem teste fide digno mandatum illud revocat ; *implicita* fit ab illo qui, expresse quidem nihil manifestando, actionem ponit retractationem implicantem. Ad quod *practice* sufficiet ante mortem dare aliqua, etiam minima, pœnitentiæ signa, etiamsi quis ob temporis carentiam vel aliam rationem de retractatione non cogitaverit (3). Talis enim sepultura non esset privandus, utpote qui a jure non expresse ab hac prohibetur (4).

b/ Ob defectum hujusmodi personalis mandati (sive hoc numquam exstiterit, sive sufficienter retractatum fuerit) pœna non ligat illos, qui *aliorum tantum voluntate* cremantur, prout ante codicem jam declaravit S. C. Officii : « Quoties agatur de iis, quorum corpora, non propria ipsorum, sed aliena voluntate cremationi subjiciantur Ecclesiæ ritus et suffragia adhiberi posse tum domi, tum in Ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum etiam removeri poterit, si notum fiat, cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse » (5).

---

(1) Can. 19.

(2) Decret. S. C. Officii, 15 dec. 1886, apud *Coll. de Prop. Fide* II², n. 1665.

(3) Cfr *Collat. Namurc.*, t. XVIII, p. 272.

(4) Can. 1239, § 3.

(5) Decret. S. C. Officii, 15 dec. 1886.

c/ Ob eamdem rationem pœnam non incurrunt qui, sui corporis crematione non mandata, nomen societati crematoriæ dederunt, vel legibus cremationi faventibus introducendis cooperati sunt.

2/ Insuper, mandantes corporis sui crematione, et post monitionem retractare nolentes, privantur jure recipiendi sacramenta morientium (1). Quousque autem in bona fide relinquendi sint ii ex quorum monitione non speratur fructus, et quanam ratione in hujusmodi casu vitari possit aliorum scandalum, quæstio est quæ a moralistis tractatur ; de hoc casu scribit S. C. Officii : « ut vero fiat aut omittatur monitio, serventur regulæ a probatis auctoribus traditæ, habita præsertim ratione scandali vitandi » (2).

3/ Non licet, pro fidelibus, quorum corpora non sine eorum culpa cremata sunt, missæ sacrificium *publice* offerre, sed tantum privatim (3), ita ut v. g. non liceret e suggestu hujusmodi missæ oblationem populo nuntiare.

J. Brys.

(1) Decret. S. C. Officii, 27 julii 1892, apud *Coll. de Prop. Fide* II², n. 1808 : « Utrum liceat sacramenta morientium ministrare fidelibus, qui massonicæ quidem sectæ non adhærent, nec ejus ducti principiis, sed aliis rationibus moti, corpora sua post mortem cremanda mandarunt, si hoc mandatum retractare nolunt. R. Si moniti renuant. Negative ». — Circa hanc prohibitionem merito scribit Matthæus a Coronata : « hæc privatio ut pœna considerari potest, at proprie pœnà non est, et solummodo ut applicatio principiorum theologiæ moralis consideranda est ».

(2) Cfr *ibid.* et Claeys-Bouuaert et Simenon, *Manuale juris canonici*, Gandæ, 1924, p. 471.

(3) Decret. cit. ad 2m, et cfr Matthæus a Coronata, *De locis et temporibus sacris*, Augustæ Taurinorum, 1922, p. 135.

De Jubilæo anni Sancti 1925.

In vigilia Nativitatis Domini, 24 decembris 1924, solemni pompa aperuit s. Pontifex Pius Pp. XI portam sanctam in basilica vaticana, quæ cœremonia simultanee in tribus aliis basilicis majoribus romanis locum habuit, circa horam meridianam. Abhinc inchoavit universale jubilæum anni Sancti 1925 in Urbe celebrandum juxta indictionem Pii XI, die 29 maii 1924 factam, inde a prima vespera Natalis Domini 1924 usque ad primam vesperam Natalis Domini 1925 (1).

Supra jam compendiose exhibuimus præcipua documenta romana circa jubilæum. In præsenti pauca exponemus quæ ad jubilæum universim spectant, et præprimis quæ durante hoc anno sancto in nostris regionibus practica sunt.

I. Quid venit nomine jubilæi ?

1/ *Jubilæum* est indulgentia plenaria a Romano Pontifice cum variis privilegiis solemniter in quibusdam specialibus circumstantiis concessa iis fidelibus qui opera bona præscripta impleverint.

Quamvis jubilæum vocetur indulgentia *plenissima*, non tamen differt quoad essentiam a reliquis indulgentiis plenariis, sed tantum quoad quædam accidentalia, nimirum 1. quatenus adnexas habet quasdam speciales facultates pluribus confessariis tributas in ordine præsertim ad conscientiam penitius emundandam a reatu culpæ, et 2. quatenus ipsa solemnitas promulgationis et opera præscripta conferunt ad eas dispositiones apud fideles

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, 1924, t. XXIV, p. 625 ss. et p. 430 ss. Ritus servandi a R. Pontifice in aperienda et claudenda porta sancta describuntur in periodico *Ephemerides liturgicæ*, t. 38, 1924, p. 339 ss. Cœremonia vero proclamationis anni sancti per lectionem bullæ indictionis exponitur apud *Revue apologétique*, t. 39, 1924, p. 340 sq.

provocandas in quibus plenam solutionem a reatu pœnæ plene sibi comparent.

2/ Distinguitur jubilæum *ordinarium* et jubilæum *extraordinarium*.

Ordinarium scilicet, quod etiam *magnum*, aut *majus* vocatur, inde a tempore Pauli II celebratur Romæ quolibet vigesimo quinto anno per integrum annum, qui *annus sanctus* vocatur, dein, insequenti anno, ad universam Ecclesiam extendi solet per tempus brevius, generatim per sex menses. Ultimum jubilæum ordinarium indictum est a Leone XIII anno sæculari 1900 : præsens jubilæum est ordine vigesimum primum inde ab anno 1300 quo primum jubilæum a Bonifacio VIII concessum est.

Extraordinarium, seu *minus*, seu *ad instar* dicitur jubilæum quod Romanus Pontifex pro arbitrio suo in quibusdam majoribus circumstantiis indicit v. g. occasione exaltationis suæ ad supremum pontificatum. Promulgatur absque solemnitate, durat per tempus sat restrictum, simultanee celebratur Romæ et in reliquo orbe, si sit universale : aliquando enim restringitur ad aliquam nationem aut ad aliquem cœtum fidelium. Ultimum jubilæum extraordinarium universale proclamatum est a Pio X anno 1913 in memoriam pacis constantinianæ anno 313 Ecclesiæ concessæ.

3/ Totam materiam jubilæi primus ordinavit Benedictus XIV. Præsens autem jubilæum regitur sequentibus quatuor actis Pii XI : bulla indictionis, *Infinita Dei*, 29 maii 1924, constitutione *Ex quo primum*, 5 julii 1924, circa suspensionem indulgentiarum et facultatum, constitutione *Si unquam alias*, 15 julii 1924, quæ pænitentiariis et aliis in Urbe confessariis tribuit facultates extraordinarias pro anno sancto, et constitutione *Apostolico muneri*, 30 julii 1924, qua monialibus aliisque stabiliter impeditis quominus peregrinationem romanam aut visitationes basilicarum instituant, conceditur jam hoc anno indulgentia jubilæi;

et aliquo documento s. Pœnitentiariæ *Monita* de usu facultatum confessariis per annum sanctum tri-

butarum deque ratione indulgentiæ jubilæi lucrandæ, 31 julii 1924 (1).

4° Notemus tandem quoad interpretationem in disciplina jubilæi hanc communiorem opinionem auctorum, nimirum *privilegia* seu *favores jubilæi* esse latæ interpretationis, *conditiones* vero præscriptas ad jubilæi consecutionem esse stricte interpretandas, nisi latiorem interpretationem suadeat stylus Curiæ (2).

II. **De Suspensione indulgentiarum et facultatum per annum sanctum.**

A. — *De suspensione indulgentiarum.*

1/ Durante jubilæo ordinario, non vero durante ejus extensione nec durante jubilæo extraordinario, *ubique locorum*, *etiam Romæ*, suspenduntur *indulgentiæ pro vivis* præter jubilæum et præter eas quæ expresse excipiuntur: « ceteras omnes indulgentias plenarias aut partiales, aut ab apostolica sede directe concessas aut ab aliis quoque pacto concessas concedendasve ex facultate jure ipso vel peculiari indulto sibi facta, decernimus per totum annum

---

(1) Præcipua ex his documentis quæ magis practica sunt pro nostris regionibus compendiose exhibuimus apud *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 1924, p. 430 ss. Reliqua in proximo fasciculo invenientur. Adverte id quod notat cl. VERMEERSCH, apud *Periodica pro re canonica et morali*, t. XIII, 1924, p. (105): « Postquam Leo XIII et Pius XI regulas Benedicti XIV ad præsentem usum accommodarunt, applicandus est canon 22: « Lex posterior .... obrogat priori, si .... totam de integro ordinet legis prioris materiam. Anteriores tamen leges afferunt interpretationi subsidia quæ in canone 6 indicata sunt ».

(2) Cfr J. BESSON, apud *Nouvelle revue théologique*, t. 51, 1924, p. 579 sq.

Circa jubilæum consules utiliter J, LOISEAUX, *Traité canonique et pratique du jubilé*, Tournai 1859; P. BASTIEN, O. S. B., *Tractatus de jubilæo anni sancti*, Rollarii 1901; *Collat. Brugen.*, t. V, 1900, t. VI, 1901, t. XVIII, 1913; H. MAHIEU, *De jubelaflaat van 1913*; L. FANFANI, O. P., *De jubilæo seu anno sancto... 1925*, Taurini, Marietti, 1924; BERINGER-STEINEN, *Die Ablässe*, Paderborn, 1921, t. I; A. VERMEERSCH S. J., *De jubilæo anni 1925*, Brugis, Beyaert, 1924. Sub respectu historico A. JANSSENS, apud *Ons Geloof*, 1924, p. 433 ss., p. 481 ss. Alia periodica in decursu articuli citantur.

sanctum vivis nequaquam prodesse, sed tantummodo vita functis (1). »

2/ *Quasnam igitur indulgentias possunt fideles communiter lucrari in nostris regionibus durante anno sancto?*

Infra dicemus quinam fideles stabiliter impediti possint jam hoc anno indulgentiam jubilæi per privilegium lucrari quin basilicas romanas visitent. Sequentes autem indulgentiæ possunt ab omnibus communiter obtineri.

a/ Indulgentiæ pro defunctis.

Omnes indulgentiæ quæ pro defunctis, aut pro vivis et defunctis concessæ sunt, imo omnes indulgentiæ quæ de se solis vivis applicabiles sunt, possunt durante anno sancto lucrifieri in refrigerium fidelium defunctorum, et quidem nonnisi pro defunctis acquiri possunt, paucis exceptis quas sub *b/* enumeramus et quas fideles sibi obtinere possunt. Unde omnes indulgentiæ piis sodalitatibus concessæ, omnes indulgentiæ in nostro calendario liturgico relatæ, indulgentiæ altaris privilegiati, indulgentiæ toties quoties etc. hoc etiam anno perseverant cum hac tamen restrictione supradicta quod sint solis defunctis applicabiles nisi inter eas annumerentur quas nunc relaturi sumus.

b/ Indulgentiæ quæ etiam vivis applicabiles manent.

1. Indulgentiæ in articulo mortis lucrandæ (2).

2. Indulgentiæ pro recitatione orationis *Angelus Domini* vel *Regina cœli*.

3. Indulgentiæ adorationis quadraginta horarum, et etiam, ut videtur, adorationis perpetuæ qualis apud nos in usu est (3).

4. Indulgentiæ concessæ iis qui sacramentum augus-

---

(1) Constit. *Ex quo primum* 5 julii 1924. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 1924, p. 430 ss.

(2) Inter quas venit etiam indulgentia a Pio X adnexa formulæ acceptationis mortis : *Domine Deus jam nunc quodcumque mortis genus..... suscipio.*

(3) Cfr A. Vermeersch, apud *Periodica de re canonica et morali*, t. XIII, 1924, p. (140). Vide has indulgentias apud *Collat. Brugen.*, t. XIX, 1914-1919, p. 273 sq.

tum comitantur cum ad ægrotos defertur, aut cereum vel facem per alios ferendam ea occasione mittunt.

5. Indulgentia toties-quoties lucranda in sacello Portiunculæ prope Assisium, scil. 2 Augusti (1).

6. Indulgentiæ « quas S. R. E. cardinales, apostolicæ sedis nuntii, itemque archiepiscopi et episcopi in usu pontificalium aut impertienda benedictione aliave forma usitata largiri solent » (2). Unde non tantum indulgentiæ adnexæ osculo annuli illorum præsulum, et indulgentiæ quas ipsi, v g cum pontificalem missam celebrant, largiri possunt, sed, ut videtur, etiam benedictio papalis quam juxta can. 914 bis in anno impertiri valent (3), manent vivis applicabiles.

7. Indulgentiæ quæ jam dudum ex decreto apostolicæ sedis ab usitata suspensione per annum sanctum fuerunt exceptæ, « modo authentice constet talia indulta seu privilegia revera et in perpetuum fuisse concessa, ad can. 70, 71 et 60 § 2 » (4). — Paucæ tantum recensentur indulgentiæ in quarum concessione decernitur dicta exemptio. Citantur indulgentiæ Terræ sanctæ (5), imo et indulgentiæ concessæ congregationibus B. M. V. per bullam auream *Gloriosæ Dominæ*, 27 septembris 1748, Benedicti XIV (6).

3/ *An ex suspensione indulgentiarum sequitur etiam suspendi facultates quovis modo obtentas circa indulgentias ?*

---

(1) Indulgentia portiunculæ quæ alibi lucrifieri potest, animabus purgatorii tantum applicari potest. De portiuncula cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 1924, p. 478 ss.

(2) Constit. *Ex quo primum.* Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 1924, p. 431.

(3) Cfr J. Besson, apud *Nouvelle revue théologique*, t. 51, 1924, p. 582. Abbates autem vel prælati *nullius*, vicarii et præfecti apostolici possunt eamdem benedictionem semel in anno dare : ea autem, hoc anno, est defuntis tantum applicabilis, quippe quæ non expresse a suspensione excipitur. Cfr O. Lejour, apud *Collat. Gandav.* t. XI, 1924, p. 190.

(4) *Monita s. Pœnitentiariæ apostolicæ*, 31 julii 1924, n. XIX.

(5) Cfr A. Vermeersch, *a. c.*, p. 1140 .

(6) Cfr J. Besson, *a. c.*, p. 583 sq.

Id nequaquam sequitur. Qui igitur debitas habent facultates possunt etiam hoc anno :

a/ benedicere cruces, rosaria, scapularia, numismata etc. iis adnectendo indulgentias ab Ecclesia concessas ;

b/ impertiri, v. g. tertiariis, absolutionem generalem aut benedictionem apostolicam statutis diebus ; impertiri benedictionem papalem in fine missionum etc. ;

c/ communicare semel in hebdomada plenariam indulgentiam pœnitentibus qui quotidie vel quasi quotidie ad s. Synaxim accedere consueverunt.

Hæ tamen indulgentiæ, nisi inter exceptas supra enumeratas veniant, hoc anno nonnisi in refrigerium defunctorum lucrifieri possunt. Adverte etiam, durante anno sancto, remanere confessariis facultatem commutandi pia opera ad lucrandas indulgentias injuncta, juxta can 935, servatis sane restrictionibus ex materia ipsa aut ab auctoritate ecclesiastica impositis.

4/ *Quid de publicatione indulgentiarum durante anno sancto ?*

Sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ aliisque pœnis arbitrio Ordinariorum infligendis, vetatur quominus, præter indulgentias jubilæi easque superius singillatim exceptas, ullæ uspiam aliæ publicentur, indicantur vel in usum demandentur (1).

Ille igitur incurreret censuram qui e suggestu publicaret, nuntiaret aut commendaret tamquam vivis applicabiles alias indulgentias præter indulgentiam jubilæi et paucas exceptas supra relatas. Certo autem licet eas omnes indulgentias nuntiare et commendare pro vivis aut pro defunctis prouti eas supra enumeravimus. Imo, quum fideles fuerunt publice moniti de suspensione indulgentiarum durante anno sancto, sensu supra

---

(1) « Publier, annoncer, mettre en usage ». « Mettre en usage signifie d'après les meilleurs canonistes: exciter les fidèles à s'efforcer de gagner les indulgences ». Cfr J. Creusen, *Nouvelle revue théologique*, t. 51, 1924. p. 626; J. Loiseaux, *Traité canonique et pratique du jubilé*, p. 679.

exposito, jam licet simpliciter nuntiare indulgentias consuetas sicuti extra annum sanctum, quin opus sit singula vice distincte animadvertere quænam sint vivis applicabiles, quænam vero pro defunctis tantum lucrifieri possint.

B. — *De suspensione facultatum* (1).

Prænota. — Dum indulgentiæ ubique locorum suspenduntur, sensu supra explicato, facultatum contra suspensio restringitur quoad locum et quoad personas. Etenim 1° « suspensio facultatum... ad Urbem ejusque suburbium minime pertinet, cum summopere intersit per annum sanctum heic sacrorum operariorum copiam et auxilia pœnitentibus e culparum cæno ad divinam gratiam revocandis nec imminui nec deficere. Quisquis igitur Romæ ejusmodi facultatibus sit legitime munitus, eas per piacularem annum in Urbe et suburbio... libere exerceat » (2). Sed 2° et extra Urbem conservant confessarii omnes suas facultates quovis titulo obtentas relate ad absolvendas in foro sacramentali eas omnes personas stabiliter impeditas quæ jam hoc anno indulgentiam jubilæi acquirere valent, quin basilicas romanas visitent (3), de quibus infra ex professo agemus.

1/ *Quænam facultates suspenduntur?*

Facultates et indulta (4) :

1. « absolvendi etiam a casibus nobis et Apostolicæ Sedi reservatis, relaxandi censuras » : unde generatim cessant facultates absolvendi a casibus S. Sedi reservatis, sive ratione peccati, ut est falsa denuntiatio sacerdotis innocentis (can. 894), sive ratione censuræ Romano Pontifici vel simpliciter, vel specialiter, vel specialissime reservatæ (5) ;

---

(1) Cfr Constit. *Ex quo primum.*

(2) *Monita s. Pœnitentiariæ*, n. XIX.

(3) Cfr Constit. *Apostolico muneri.*

(4) *Facultates et indulta* intelliguntur generalia, quasi ponatur: *facultates ex indultis generalibus*, A. VERMEERSCH, *a. c.* p. (141).

(5) Non ergo suspendi videntur facultates circa censuras a jure Ordinario reservatas. Cfr VERMEERSCH, *l. c.*

2. « dispensandi a votis eademque commutandi » ;

3. « dispensandi præterea ab irregularitatibus », quas vide in can. 983 ad 986 : his autem irregularitatibus non sunt annumeranda impedimenta ad ordines de quibus in can. 987 (1) ;

4. « et [dispensandi ab] impedimentis » : intellige impedimenta matrimonialia (2).

2/ *Quænam facultates manent durante jubilæo etiam extra Urbem ?*

1/ Omnes facultates quæ non explicite suspenduntur, vel quia « non spectant ad absolutiones casuum reservatorum vel censurarum, neque ad dispensationem a votis, ab irregularitatibus aut ab impedimentis matrimonii » (3), ut sunt v. g. facultates circa indulgentias de quibus supra, aut facultates dispensandi quoad abstinentiam, jejunium, observantiam festorum, indulta permittendi lectionem librorum in indicem relatorum, etc.,

vel quia, quamvis ad materiam absolutionis aut dispensationis spectent, non tamen cadunt sub stricta suspensionis interpretatione, ut sunt facultates circa casus a jure Ordinario, aut (ubi tales adhuc existunt) ab Ordinario sibi reservatos, aut circa impedimenta ad ordines sacros aut ad admissionem ad novitiatum (can. 542).

2/ Omnes facultates circa absolutionem et dispensationem quæ explicite a suspensione eximuntur in ipsa constitutione *Ex quo primum*, nimirum *a*/ facultates omnes *per codicem* juris canonici quovis modo concessæ, non eæ tamen quæ, ut ait constitutio *Ex quo primum*, proveniunt *ex privilegio* per codicem non revocato.

Jam autem vi codicis sequentes præcipue concessæ

---

(1) Cfr H. Beyersbergen, apud *Nederlandsche katholieke stemmen*, t. XXIV, 1924 p. 371.

(2) Vermeersch, *l. c.*, « Facultas dispensandi ab impedimentis intelligitur de impedimentis matrimonialibus, non autem de impedimentis ad ordines vel professionem ». Cfr Beyersbergen, *l. c.* ; G. Simenon, apud *Revue ecclesiastique de Liège*, t. XVI, 1925, p. 204. Aliter tamen J. Besson, *a. c.*, p. 586 n. 3.

(3) Vermeersch, *o. c.*, p. (142).

sunt facultates : α/ quoad *casus S. Sedi reservatos* possunt omnes *confessarii* absolvere in periculo mortis et in casibus urgentioribus ad normam can. 2252 et can. 2254 (1) ; *Ordinarius* vero potest præterea absolvere per se vel per alium, in casibus occultis, a censuris simpliciter reservatis S Sedi, juxta can. 2237, § 2 (2), et quoad excommunicationem qua percelluntur hæretici et schismatici fruitur Ordinarius facultate in can. 2314 § 2 ipsi collata ;

β/ quoad *vota* possunt *confessarii* opus voto non reservato promissum in melius vel in æquale bonum commutare, siquidem ipse vovens id potest vi can. 1314 , *Ordinarius* vero potest dispensare a votis non reservatis juxta can. 1313, 1° ; item, ex eodem can. 1313, 2°, superiores religionis clericalis exemptæ cum suis subditis intellectis ad normam can. 514 § 1. Quoad irritationem votorum vide can. 1312 (3) ;

γ/ quoad *irregularitates*, possunt *Ordinarii* per se vel per alios dispensare ab irregularitatibus ex delicto occulto, excepta ea quæ ob homicidium aut abortum fuit contracta, aliave deducta ad forum judiciale, juxta can. 990 § 1, coll. can. 985, n. 4. ; *confessarii* vero idem possunt in casibus urgentioribus et unice ad licitum exercitium ordinum jam susceptorum, ad tramitem can. 990 § 2.

δ/ quoad *impedimenta* matrimonii, dispensare possunt *Ordinarii* ad normam can. 1043 et 1045, etiam in dubio facti juxta can. 15 ; *parochus* vero *confessarius* et *sacerdos qui matrimonio assistit ad normam can. 1098, n. 2*, in

---

(1) Cfr etiam can. 2290 circa suspensionem et dispensationem a pœnis vindicativis latæ sententiæ.

(2) Vi canonis 2253, 3°, potest Ordinarius absolvere a censuris sibi a jure reservatis, si forsan hæc facultas, contra id quod supra opinati sumus, dicenda foret inclusa in generali suspensione facultatis absolvendi a casibus s. Sedi reservatis.

(3) Cfr O. Dignant, *De virtute religionis*, 3a ed., n. 187 ss., p. 106 ss., coll. n. 202 ss., p. 112 ss.

periculo mortis juxta can. 1044 et in casu urgentiori de quo in can. 1045, § 3 (1).

b/ Facultates *pro foro externo* ab Apostolica Sede tum nuntiis, internuntiis et delegatis apostolicis factæ, tum Ordinariis locorum et Antistitibus religiosorum ordinum quoque modo in subditos suos tributæ. Tales sunt facultates pro foro externo a variis Congregationibus Romanis Ordinariis communicatæ. Merito autem notat cl. Vermeersch (2) juxta can, 202 § 1 : « Constitutio... *Ex pro primum*, dum ratas habet facultates pro foro externo, usum ad forum externum non limitat quando facultas etiam ad forum internum pertingit. Meminerimus quoque pro foro etiam interno valere actum potestatis jurisdictionis pro foro externo collatæ ».

c/ Facultates tandem *pro foro interno* quas s. Pœnitentiaria impertire solet Ordinariis aut confessariis, ita tamen ut erga eos dumtaxat pœnitentes exerceantur qui quo tempore confessionem peragunt, judicio Ordinarii aut confessarii nequeant sine gravi incommodo Urbem adire.

Hæ facultates contentæ in Pagella s. Pœnitentiariæ, respiciunt absolutionem a censuris, dispensationem a votis, ab irregularitatibus et ab impedimentis matrimonii. Exerceri tantum possunt, ut videtur, in foro sacramentali (3). Debuerunt obtineri a s. Pœnteintiaria (4).

Atvero hæ facultates exerceri tantum possunt erga pœnitentes qui etiam transeunter momento confessionis

---

(1) Cfr A. VERMEERSCH, *a. c.*, p. (141); BEYERSBERGEN, *a. c.*, p. 372 sq.

(2) *Periodica*, 1924, p. (142) sq.

(3) Cfr can. 202 § 2.

(4) Ita A. VERMEERSCH, *a. c.*, p. (143). Contra immerito, ut videtur juxta superius dicta de privilegiis, censet BEYERSBERGEN, *a. c.* p. 374, iisdem facultatibus a s. Pœnitentiaria tribui solitis licere uti si quis eas non vi pagellæ a s. Pœnitentiaria obtinuerit sed v. g. ex privilegio ordinis sui a s. Sede participaverit. — Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIII, 1923 p. 161 ss., coll. p. 410 ss.

serio impediuntur ab itinere romano instituendo. Hæc vero conditio in nostris regionibus plerumque verificatur (1).

III. **De obtentione indulgentiæ jubilæi extra Urbem durante anno sancto.**

S. Pontifex constitutione sua *Apostolico muneri* plurimis jam hoc anno largitur gratiam jubilæi, qui nimirum stabili impedimento detinentur quominus aut romanam peregrinationem aut, si Romæ degant, visitationes basilicarum præscriptas instituant.

1/ *Quinam sunt stabiliter impediti qui hoc privilegio dotantur ?*

Illos ipsis verbis constitutionis enumeravimus in tomo præcedenti p. 432 ss. Sufficiat hanc enumerationem breviter recapitulare.

Sunt nimirum 1. omnes religiosæ, (sive sint moniales stricte dictæ (2), sive sint religiosæ votorum simplicium juris pontificii vel diœcesani, aut oblatæ, etiam sine votis, communiter viventes sub regula ab auctoritate ecclesiastica probata aut tertiariæ regulares), cum suis novitiis, postulantibus, puellis educandis semi-convictricibus quoque, non tamen externis, mulieribus contubernalibus quæ famulatus vel stipis colligendæ gratia sæpta religiosa egrediuntur (tourières), aliisque mulieribus quæ cum religiosis communi mensa utuntur seu apud illas domicilium habent aut quasi-domicilium.

2. Puellæ et mulieres in gyneceis (3) seu conserva-

---

(1) Vermeersch, *l. c.*, ; J. Besson, apud *Nouvelle revue théologique*, 1924, p. 589: « Le cas se réalisera notamment pour un grand nombre de personnes à raison de leur profession, comme les militaires, les employés, les domestiques, les étudiants, les écoliers, ... les marchands etc.,; Génicot-Salsmans, *Institutiones theologiæ moralis*, 1920, p. 381; « Grave autem incommodum desumi potest e sanitate, e munere implendo, e negotiis magni momenti hic et nunc gerendis etc. ».

(2) Inter has numerandæ sunt v. g. carmelitanæ in Belgio, quæ ex dispositione s. Sedis in hac regione vota simplicia tantum emittunt (can. 488, 7°). Cfr J. Besson, *a. c.*, p. 590.

(3) « *Gynecæi* nomine venit omnis domus hospitandis stabiliter mulieribus destinata » (hospices, refuges et maisons de préservation ou de protection etc.)

toriis (1) degentes quamvis non sint religiosis concreditæ.

3. Anachoretæ et eremitæ qui in continua, licet non omnino perpetua, clausura et solitudine vitam agunt contemplativam et monasticum aut regularem ordinem profitentur, ut trappistæ, camaldulenses, carthusiani.

4. Fideles utriusque sexus captivi, carcere inclusi, item ecclesiastici vel religiosi viri, qui in cænobiis aliisve domibus, emendationis gratia, detinentur.

5. Utriusque sexus ægroti, senes qui septuagesimum ætatis annum compleverint et ii qui ægrotis in nosocomiis continuata opera inserviunt (infirmier, infirmières).

6. Operarii, utriusque sexus, qui cotidiano labore sibi victum comparantes nequeunt se ab eo per tot dies atque horas abstinere (2).

2/ *Quænam sunt opera præstanda ab his privilegiatis ut indulgentiam jubilæi lucrentur?*

Prænota. Generales conditiones requisitæ ad indulgentiam jubilæi lucrandam sunt *intentio* saltem generalis hanc indulgentiam lucrandi (can. 925 § 2); *status gratiæ* saltem quando ultimum opus præscriptum perficitur (can. 925 § 1 et *Monita s. Pœnitentiariæ*, n. XIII). « Si quis igitur post confessionem peractam, ultimo nondum completo opere, in lethale rursus inciderit, iteret confessionem oportet, si sacram synaxim debet adhuc suscipere; secus, satis erit, ut actu contritionis perfectæ elicito, cum Deo reconcilietur » (3); *devota ac personalis*

---

(1) « Conservatorium est omne institutum servandis educandisve puellis destinatum etiam si catholicus animus desideretur ». VERMEERSCH, *a. c.*, p. (134) sq.

(2) Hisce personarum impeditarum classibus annumerandi sunt ii quos ipsa bulla indictionis *Infinita Dei misericordia* ita designat: « qui aut morbo aliaque legitima causa in Urbe vel in ipso itinere prohibiti aut morte interim prærepti, ... [præscriptas visitationes] ... nondum compleverint neve inchoaverint quidem ». Quibus ipse s. Pontifex indulget ut « a culpis rite absoluti ac sacra communione refecti indulgentiæ remissionisque jubilaris participes perinde sint ac si quatuor.... basilicas reapse invisissent ».

(3) *Monita s. Pœnitentiariæ*, n. XIII.

impletio operum injunctorum intra annum sanctum scil. intra spatium temporis a primis vesperis Nativitatis Domini 1924 ad primas vesperas Nativitatis Domini 1925. Nullus autem ordo inter hæc opera est de necessitate impositus.

Jam autem opera a privilegiatis præstanda sunt sequentia :

1. *Confessio*, et quidem non sacrilega, nec ex præcepto annuæ confessionis obligatoria, etiam ab iis instituenda qui nullius peccati mortalis sibi conscii sunt. Sufficit confessio particularis quamvis de se suadenda sit generalis. Sufficit autem *confessio* etiam si nulla absolutio sequatur v. g. quia confessarius æstimaverit materiam insufficientem aut dubie sufficientem (1).

Nullus confessarius potest ab hac conditione ad jubilæum lucrandum dispensare aut eam commutare.

2. *S. Communio*, scil. sacramentalis, non sacrilega, non ex præcepto paschali obligatoria (2). Sufficit communio viatica seu ex præcepto viatici facta.

Hæc etiam conditio ad jubilæum requisita a nullo potest commutari ; exceptio tantum fit in favorem ægrotorum qui ab ea suscipienda prorsus impediuntur, quibuscum scilicet communio potest commutari in alia pia opera.

3, *Preces* ad mentem s. Pontificis in indictione indicatam (3) dicendæ.

Requiruntur nimirum preces vocales, pro arbitrio

---

(1) Cfr VERMEERSCH, *a. c.*, p. (109).

(2) Attamen constit. *Si unquam* benigne indulget ut « qui paschale præceptum misere neglexerit possit is deinde una communione utrique obligationi satisfacere », i. e. possit una eademque communione satisfacere præcepto communionis paschalis et simul conditionem communionis ad jubilæum requisitæ implere.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 1924, p. 430. Hisce intentionibus novam addidit S. Pontifex in sua allocutione consistoriali 24 decembris 1924, nimirum *ut arceatur socialismus et communismus*. Non tamen requiritur ut fideles distincte intentiones s. Pontificis cognoscant vel recogitent; sufficit autem « implicite et generatim ad mentem Romani Pontificis orare ». *Monita s. Pœnitentiariæ* n. XVI.

uniuscujusque electæ, quas quis vel solus recitat vel alternatim cum socio. Muti satisfaciunt, vi can. 936 si preces « mente recolant signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant ». Quantitas precum obligatoria non est definita ; s. Pœnitentiaria autem declarat sufficere quinque *Pater*, quinque *Ave* et quinque *Gloria Patri* (1).

« In ægrotantium tantum commodum liceat eas [preces] imminuere aut commutare » dicit constitutio *Si unquam*, n. XI.

4. « *Opera religionis, pietatis et caritatis* quæ Ordinarius per se vel per prudentes confessarios visitationi basilicarum Urbis pro conditione et valetudine singulorum ac pro loci temporisque rationibus substituerit » (2). Etiam *inchoata* illa opera sufficiunt si morbus periculosus oppresserit.

« Operibus *religionis* cultus Dei promovetur, ut si pars sumatur in sacra processione vel cantu sacro ; opera *pietatis* sunt potissimum *preces ;* opera *caritatis*, sunt v. g. eleemosynæ, visitationes ægrotorum, pauperum, lectiones catechismi » (3).

Vitandum autem ne præscribantur talia opera ad quæ alio titulo fideles jam sunt stricte obligati.

3/ *Quænam sunt alia privilegia his stabiliter impeditis concessa ?*

1. Bis possunt, iteratis operibus præscriptis indulgentiam jubilæi *etiam sibi* lucrari. Præterea autem possunt ii *qui in Urbe aut suburbio* stabili impedimento detinentur toties eamdem indulgentiam lucrari in defunctorum suffragium, quoties opera injuncta repetant : idem nequaquam possunt alii privilegiati (4).

---

(1) *Monita*, n. XVI.

(2) Constitutio *Apostolico muneri* ; cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 1924, p. 434.

(3) Vermeersch, *o. c.*, p. (136).

(4) Cfr Constit. *Apostolico muneri*, apud *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 1924, p. 434; *Monita s. Pœnitentiariæ*, n. XVII. Cfr Vermeersch, *a. c.*, p. (136) et (137). G. Simenon, *a. c.*, p. 207. Adverte autem eos qui

2. Possunt sibi eligere confessarium a suo Ordinario ad præscripta codicis approbatum. Unde habent omnes moniales et religiosæ liberam electionem inter omnes confessarios diœceseos speciali ab Ordinario approbatione pro quibusvis religiosis feminei sexûs donatos, ad normam can. 876 § 1, collatis can. 520-521. Confessarium autem pro mulieribus, non vero pro religiosis approbatum, quem religiosæ graviter ægrotantes arcessant, juxta can. 523, aut imo quem aliqua religiosa vi canonis 522 adeat ad suæ conscientiæ tranquillitatem, satis approbatum censemus ut facultatibus specialibus de quibus statim, uti possit (1).

Ea autem libera electione etiam *pluries* uti possunt in ordine ad jubilæum lucrandum « donec perfecerint opera ad jubilæum requisita » (2).

3. Confessario ut supra quem aliquis ex privilegiatis eligat in ordine ad jubilæum lucrandum, id est habens animum serium et sincerum indulgentiam jubilæi consequendi et cum illo animo ad confessionem accedens, ipso facto immediate a S. Sede conceduntur speciales facultates sequentes :

a/ facultas absolvendi privilegiatum a quibusvis censuris et peccatis etiam speciali modo (non vero specialissimo modo) S. Sedi reservatis, excepto casu hæresis formalis et externæ, impositis salutari pœnitentia aliisque secundum canonicas sanctiones rectæque disciplinæ regulas injungendis (3) ;

b/ præterea facultas dispensandi pœnitentem si sit *monialis*, a votis privatis quibuslibet quæ ipsa post

---

romanam peregrinationem et visitationes basilicarum instituere debent, indulgentiam jubilæi semel tantum posse sibi lucrari, animabus vero purgatorii toties quoties opera injuncta iteraverint.

(1) Cfr VERMEERSCH, *o. c.*, p. (136).

(2) Decretum s. Pœnitentiariæ 5 junii 1901, ad 3m. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XVIII, 1913, p. 465 sq.; VERMEERSCH, *l. c.*

(3) Constitutio *Apostolico muneri*, Cfr *Collat. Brugen.*, t. XVIII, 1913, p. (137) et *Monita s. Pœnitentiariæ* n. III ad XI.

professionem solemnem emiserit et quæ regulari observantiæ non adversentur. Quoad vota autem quæ ipsa forsan ante professionem solemnem emiserit aut quæ vitæ regulari adversentur, ea non indigent dispensari, cum ab ipso jure sint suspensa (1).

c/ si autem pœnitens privilegiata sit *religiosa* votorum simplicium, aut *oblata*, *tertiaria regularis*, aut una ex *puellis* aut *mulieribus quæ communibus domibus vitam agunt* et quas supra enumeravimus inter privilegiatas sub n. 1 et 2, confessarius habet facultatem *dispensando commutandi* omnia vota privata non reservata (2), etiamsi sint jurata (3).

Adverte autem confessarium privilegiatorum præter has facultates recensitas etiam uti posse relate ad eosdem pœnitentes omnibus facultatibus quas forte alio titulo habeat, ut supra jam notavimus (4).

Nota 1. Potest confessarius facultatibus supra expositis absolvendi, dispensandi et dispensando commutandi *pluries* uti cum eodem pœnitente jubilæum lucrari intendente quousque omnia opera ad illud lucrandum nondum implevit (5).

2. Attamen id tantum potest in ordine *ad unam jubilæi consecutionem* ; unde, si pœnitens semel indulgentiam jubilæi obtinuerit seu omnia opera præscripta valide impleverit, et si, cum indulgentiam jubilæi lucratus est,

---

(1) Vermeersch, *a. c.*, p. (137). cfr Can. 1315. In illa tamen dispensatione servanda est clausula c. 1313: « dummodo dispensando ne lædat jus aliis quæsitum ».

(2) Vota privata reservata s. Sedi sunt hæc duo tantum: Votum perfectæ ac perpetuæ castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum solemnium, quæ emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum ætatis annum ». Can. 1309. Eadem tamen servanda restrictio de qua supra, in nota superiore, juxta can. 1313.

(3) Constit. *Apostolico muneri*. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 1924, p. 434.

(4) Constit. *Apostolico muneri*, cfr *Collat. Brugen. l. c.*

(5) Vermeersch, *a. c.*, p. (120). Cfr *Collat. Brugen.*, t. XVIII, 1913, p. 469 sq.

jam impetraverit absolutionem a censuris vel dispensationis aut commutationis gratiam, confessarius non potest denuo erga ipsum uti suis facultatibus (1). Unde « quicumque absolutionem a censuris aliasve dispensationis vel commutationis gratias tum impetravit cum primum jubilæi veniam lucratus est, si quidem denuo in censuram inciderit et reservatum casum admiserit, aut novis votorum dispensationibus commutationibusve indigeat, a facultate is decidat jubilæum iterum acquirendi atque a confessario ad usitatas codicis normas tractetur » (2).

Quodsi contra pœnitens tunc *primum* tali absolutione, dispensatione aut commutatione indigeat *postquam* omnia præscripta opera ad lucrandum jubilæum implevit, concedit ipsi s. Pontifex ut possit *semel* iisdem gratiis frui (3).

3. « Absolutiones a censuris... itemque commutationes votorum et dispensationes ex facultatibus extraordinariis, per piacularem annum, confitentibus jubilæi causa semel concessæ, in suo robore permanent et consistunt, etiamsi qui eas, sincero animo jubilæum lucrandi impetravit, deinde, mutato proposito, cetera opera imperata intermiserit atque ab eo acquirendo destiterit » (4).

A. Legrand.

---

(1) Constit. *Si unquam*. n. XV; cfr *Monita s. Pœnitentiariæ*, n. XVII.

(2) *Monita*, n. XVII.

(3) *Monita*, *ibidem*.

(4) *Monita*, n. XVIII. Adverte hæc monita, utut immediate directa ad confessarios in Urbe, etiam tamen spectare ad confessarios extra Urbem, qui facultatibus extraordinariis jubilæi causa per constitutionem *Apostolico muneri* donati sunt, qui nimirum his monitis eatenus uti possunt quatenus ipsis applicari possunt, ut ibidem dicitur n. XXI, et ut nos supra jam fecimus v. g. quoad dispensationem in conditionibus ad jubilæum extra Urbem lucrandum.

Fabriques d'église.

Les administrations fabriciennes doivent se conformer aux prescriptions de la loi fiscale en ce qui concerne les traitements payés par elles aux employés d'église, et les suppléments de traitements concédés au clergé paroissial (1).

« D'après les lois coordonnées établissant l'impôt sur le revenu, la taxe sur les rémunérations diverses des fonctionnaires et employés, publics et privés, ainsi que sur tous salaires (art. 25, § 2) doit être retenue lors de leur mise en paiement par tous ceux qui, à titre de débiteurs, paient ces revenus en Belgique (art. 31, § 1*b*) mais elle peut être déduite du montant des traitements et salaires dus (art. 31, § 3).

Ces revenus comportent les traitements, indemnités, émoluments, primes, gratifications et toutes autres rétributions, fixes ou variables, quelle que soit leur qualification, à l'exclusion des indemnités allouées pour dépenses professionnelles (art. 29, § 1) ; les avantages en nature doivent y être compris et comptés pour leur valeur réelle ou évaluée à une moyenne forfaitaire (art. 29, § 2). Pour satisfaire à cette obligation, les redevables — c'est-à-dire ceux qui paient les rémunérations — doivent remettre, au receveur des contributions du ressort, une déclaration mentionnant, par catégorie, le montant des revenus taxables (art. 54, § 2) et la taxe retenue doit être remise au fisc dans les 15 jours qui suivent l'expiration du mois pendant lequel les revenus ont été payés (art. 58, § 1). Si les taxes retenues ne

(1) Cfr A. De Meester, *La sépulture et les fabriques d'églises*, p. XV.

dépassent pas 100 frs. il suffit d'en faire la déclaration et le paiement, pour le semestre écoulé, avant le 15 juillet ou le 15 janvier.

Les instructions ministérielles concernant l'exécution de la loi donnent toutes les précisions nécessaires pour faciliter l'accomplissement des formalités de déclaration, et les formules appropriées sont mises à la disposition des intéressés (1).

D'après ces instructions, la déclaration à faire par ceux qui paient les revenus professionnels est double :

1° Ils doivent déclarer, dans le délai indiqué ci-dessus, la somme totale des rémunérations payées par eux, et le montant de la taxe retenue. Cette première « *déclaration* » ne doit pas mentionner les noms des titulaires des revenus.

Pour les retenues à opérer, il faut se conformer au barème mis à la disposition des intéressés par l'administration (ar. royal 14 août 1920). Ce barème donne toutes les indications nécessaires pour son utilisation. Il faut remarquer toutefois que la décision ministérielle du 23 septembre 1920 est toujours en vigueur : elle exempte provisoirement, de toute retenue, les rémunérations n'excédant pas les 2/3 des sommes partiellement exemptées de l'impôt professionnel (2).

Il faut remarquer en outre que seules les rémunérations payées par le même débiteur doivent entrer en ligne de compte pour la retenue à faire par lui conformément au taux du barème correspondant a la somme qu'il paie.

---

(1) On peut se procurer ces formules chez le receveur des contributions du ressort.

(2) Le minimum de revenu partiellement exempté de l'impôt professionnel est de

Frs 2.100	dans les	communes	de moins de		5.000	habitants;
Frs 2.400	»	»	»	5.000 à	15 000	»
Frs 2.700	»	»	»	15.000 à	30.000	»
Frs 3.000	»	»	»	30.000 à	60.000	»
Et Frs 3.600	»	»	»	plus de	60.000	»

(Arrêté royal 11 oct. 1920).

Ces minima s'entendent dés revenus *taxables*, c'est-à-dire qu'ils représentent les 9/10 des revenus bruts y correspondant.

L'administration établira l'année suivante la taxe totale qui serait due sur le revenu professionnel global et réclamera un supplément d'impôt.

2° Ils doivent, au début de janvier, remettre le « *relevé* » complet des rémunérations payées par eux l'année prédédente. Cette liste mentionnera les nom, prénoms et domicile des intéressés, la somme payée à chacun pour toute l'année, ainsi que la taxe retenue.

Cette liste doit comprendre les noms des titulaires et le montant des traitements payés même lorsque ceux-ci n'ont pas donné lieu à retenue, les guillemets seront alors portés dans la colonne réservée au montant de la taxe » (1).

La non-déclaration des revenus taxables dans les délais voulus ou la non-production de la liste des titulaires de ces revenus est punissable d'une amende de 50 à 1000 francs (2).

J. Brys.

(1) A. Loncin, art. *Impôts sur les revenus*, dans *Revue diocésaine*, XIII (1924). p. 363 s.

(2) Nous attirons aussi sur ce point l'attention de MM. les directeurs des établissements d'instruction, des supérieurs des communautés religieuses, qui paient des salaires ou des traitements, en espèces ou en nature.

Consultatio.

De contractu locationis.

Q. Agricola, inito anno 1919 scripto contractu locationis ad novem annos, occupat et colit prædium seu villam alicujus proprietarii; post annos autem quinque, aucto interim terrarum fructuumque valore, urget dominus ipsum ut pretium locationis jam augeatur : minitans villico, ni obediat, expulsionem a villa post revolutum tempus novem annorum: promittens vero ipsi futuram locationis renovationem, si postulationi acquiescat. An in conscientia licet hujusmodi coactio?

R. — Salva meliori sententia, licere rem arbitramur: cum nec justitiæ, nec caritati, nec probabiliter æquitati repugnet.

Etenim, cum villæ de quibus hic agitur non cadant sub speciali lege locationum, nunc iterum emendata et promulgata die 31 Dec. 1924 (1), subjiciuntur ut antea juri communi: adeoque, revoluto locationis tempore, liberum manet proprietario, ad normam legis civilis, tum ut alteri jam agricolæ prædium suum locet, tum ut majus locationis pretium exigat. Utique durante locatione pretium conventum immutabile per se manet, nec proinde agricola proprietario annuere tenetur, augmentum pretii interim postulanti. Verum per accidens, signanter mutuo consensu, pretium augeri valet; et sic oritur quæstio num contra jus aut conscientiam agat tunc proprietarius,

(1) Minimæ tamen villæ huic legi subjiciuntur; cfr legem citatam (*Moniteur*, 31 Déc. 1924), art. 2 : « la loi s'applique également à celui qui occupe une habitation dont dépend une exploitation agricole, si celle-ci n'excède pas 2 hectares appartenant au propriétaire de l'habitation et si le loyer total, au 1er Août 1924, ne dépassait pas 500 fr. par an ».

qui villicum ad hujusmodi consensum moraliter cogit, promittendo renovationem locationis si acquiescat, aut secus expulsionem minitando.

Jamvero dicendum primo videtur hanc agendi rationem justitiæ strictæ non repugnare. Etenim nullum jus strictum habet villicus ut post revolutum tempus novem annorum, novum pactum cum ipso ineat proprietarius villæ; manetque proinde renovatio locationis, ad justitiam quod attinet, favor quidam et gratia (1). Jamvero minari alicui exclusionem a favore non est stricte injustum; idemque ipsi minari, ni majus pretium circumstantiis proportionatum solvat, oblato simul favore secus indebito si solvat, non constituet incussionem injusti metus, nec pro villico injustam privationem libertatis contrahendi.

Secundo, nec contra caritatem apparet ista comminatio: siquidem caritas bene ordinata incipit a seipso; et ex alia parte nullatenus inde redigetur villicus ad egestatem, prout ex actuali prosperitate agriculturæ facile eruitur. Verum est ipsum, si obedire renuat, a villa postea ejiciendum fore, indeque forsan ad inopiam redigendum; sed cum ipse præ manibus medium teneat vitandi periculum istud, annuendo nempe petitioni domini, ipse sibi, non domino, hoc infortunium imputare deberet.

Tandem, ad æquitatem quod attinet, plures hinc inde rationes afferri possunt quæ tum villico, tum domino

---

(1) Hic objici posset favorem istum, seu futuram renovationem locationis, omni casu *ex æquitate* jam debitum esse villico, modo suas e priore contractu obligationes rite exsolverit, adeoque dominum omni casu etiam ad hoc concedendum jam obligari: unde metum injustum injicit agricolæ, dum nunc exclusionem ipsi minatur ni magis solvat, et simul ipsius libertatem contrahendi injuste lædit. Sed respondetur per se quidem æquitatem revera postulare ut dominus non ejiciat locatarium bene merentem; verum per accidens, ut infra statim exponitur, æquitatem hic etiam in favorem domini invocari posse; et ita pro circumstantiis casus non obligatur proprietarius ad concedendum villico hunc favorem etiam ex æquitate, si ille recuset æquitatem audire in gratiam proprietarii; manetque proinde renovatio locationis ex omni parte favor indebitus, si prior contractus nunc non immutetur.

favere videantur. Arguet enim agricola æquum non esse ut prior justaque conventio sic per vim moralem immutetur, aut ipse secus a villa ejiciatur, quamvis omnes obligationes suas rite exsecutus fuerit ; addet insuper pretium locationis prius statutum rationem habuisse aleæ inseparabilis a villicatione; ultimos quidem annos prosperos fuisse, sed interim non fuisse sperandum ut proprietarius pretium locationis imminuisset, si infausta fuisset tunc sors agriculturæ; tandem infelices annos adhuc manere possibiles in futurum, tum ob aeris forsan inclementiam tum ob alias rationes: ut si valor nostræ monetæ notabiliter crescat, ita ut hinc pretium fructuum inde minuatur, hinc vero auctum jam locationis pretium importabile onus constituat; etc.

Respondebit autem proprietarius æquum non esse ut pretium locationis jam nullatenus in actuales circumstantias quadret; novumque pretium a se requisitum optime adhuc rationem habere aleæ agriculturæ, quæ nedum major sit quam antea, minor potius post bellum apparet; præterea, si valor nostræ monetæ insperato crescat, agricolam tanto majorem inde fructum percepturum fore ex peculio jam nunc acervato; insuper, occasionem quam offert villico renovandi postea locationem prædii, esse favorem notabilem pretioque æstimabilem, adeoque æquum esse ut et hoc computetur; tandem legem civilem aliis permittere proprietariis ut contractum locationis, etiam rite conscriptum, immutent et pretium ejus multum adaugeant, dum ipse legali hac facultate privatur, adeoque sola comminatione partes suas tueri valet; etc.

Quæ cum ita sint, censemus rationes ex æquitate deductas rem non dirimere, quippe quæ in utramque partem probabilitatem ingerere videantur; adeoque proprietarium villæ, omnibus perpensis, tuta conscientia procedere posse.

Interim liberum manet et villico proprias partes pro posse tueri, etiam per se petitionem domini rejiciendo; neutrique in casu usuvenit adagium : summum jus

summa injuria est. Quodsi postulationi acquiescat agricola, sapienter aget si exigat et ipse a domino ut pro concessione facta alter statim concedat in scriptis locationem productiorem (v. g. adhuc ad novem annos); imo, si novum pretium deinceps solvendum sic statuere satagat ut contra fluctuationes cambii protegatur: v. g. solvendo frumento seu fructibus loco pecuniæ, aut scalam pretii ascendentem et descendentem prævidendo secundum varium monetæ valorem. E. Hosten.

Communication.

Fonds des mieux doués.

Nous empruntons à l'ouvrage de M. Bauwens, *Fonds des mieux doués*, 4e éd., 1924, la note suivante qui peut intéresser nos lecteurs.

Dépêches ministérielles 20 sept. et 20 oct. 1922 (1)

Une bourse peut-elle être accordée en vue des études de philosophie et de théologie poursuivies au grand séminaire, alors que l'art. 25 exclut formellement les études supérieures du bénéfiice de la loi ?

Il est à remarquer que cette exclusion est motivée uniquement par l'existence de la fondation universitaire, qui fournit l'aide nécessaire en vue des études de cet ordre. Elle ne se justifie donc que pour autant que les études envisagées soient réellement favorisées par la fondation universitaire ; dans l'hypothèse opposée, elle cesserait, au contraire d'être conforme aux intentions du législateur. Or, en fait la fondation universitaire n'assiste pas les jeunes gens qui se destinent à la prêtrise et poursuivent à cette fin des études au grand séminaire. Dès lors, les Fonds des mieux doués peuvent intervenir en faveur de ces études.

(1) Le Bulletin du Ministère des Arts et des Sciences contenant ces dépêches n'a pas paru.

Notæ Bibliographicæ

Laenen, J. (Chanoine). *Introduction à l'histoire paroissiale du diocèse de Malines. Les institutions.* Bruxelles, Dewit, 1924. — Grand in 8, 469 p. — Pr. 30 fr.

Voilà un livre que nous voudrions voir entre les mains de tous ceux, qui, chez nous aussi, s'occupent d'histoire paroissiale. Le titre pourrait faire croire qu'il n'intéresse que le diocèse de Malines; il n'en est rien! Sans doute l'auteur, archiviste de l'archevêché et chargé, en 1902 déjà, par le Cardinal Goossens de la révision des monographies paroissiales que ses confrères, les curés du diocèse, avaient été invités à rédiger, a eu spécialement en vue l'évolution et les institutions de la paroisse brabançonne; il a cherché et trouvé sa documentation surtout dans le riche dépôt confié à sa garde. Mais, en dégageant des sources et des travaux, qu'il avait sous la main, « le cadre général et les éléments nécessaires à l'intelligence des textes » (p. 5) pour la mise sur pied d'une bonne monographie de paroisse brabançonne, il s'est rendu presque aussi utile à ceux d'entre nous, qui s'intéressent au passé de la paroisse flamande et désirent en retracer l'histoire. Bruges en effet n'est pas si distant de Malines; notre pays, notre peuple, notre histoire générale ne diffèrent pas si essentiellement de ceux du Brabant; nos anciens diocèses, Tournai et Thérouanne sont issus du même mouvement, venant du Sud, qui christianisa le Brabant; et nos diocèses plus récents, Bruges, Ypres, Tournai et Gand, ont été créés en même temps que Malines et Anvers: dans les mêmes circonstances, et sous les mêmes influences; ils ont été généralement gouvernés par les mêmes lois et coutumes, ecclésiastiques et civiles. C'est dire que, moyennant les modifications de détail, qui s'imposeront, nos historiographes flamands peuvent se laisser conduire sans crainte par Mr Laenen dans la recherche du cadre, du plan, des questions à résoudre et dans l'étude des textes et des institutions, qui ne manquent pas de présenter aux novices beaucoup d'énigmes.

Voici d'abord, au chap. I, un rapide coup d'œil sur la géographie physique et son influence sur la genèse et l'évolution de la paroisse, ensuite sur la géographie administrative. Le chap. II étudie l'origine et le développement de la paroisse, d'abord avant le XIme siècle, puis du XIme siècle à la fin de l'ancien Régime. Au chap. III est exposé tout ce qui a trait à la dotation paroissiale: l'origine et la nature des revenus paroissiaux (domaine foncier — dîmes — oblations), l'administration du patrimoine par les *provisores fabricæ*, par les proviseurs des pauvres (tables du Saint-Esprit), par le curé lui même (bénéfice pastoral); enfin les charges grevant les revenus paroissiaux, tel l'impôt épiscopal (*cathedraticum* et *procurationes*), tel encore l'impôt pontifical et l'impôt princier. Les

chap. IV et V examinent dans quelles conditions était faite jadis la désignation du titulaire de l'église paroissiale, et ici se déroule, fortement étayée par de nombreux textes et par les meilleures études spéciales sur la matière, l'histoire du séniorat laïque: l'origine et le développement du patronage, ses prérogatives et les resctrictions que celles-ci subirent par les provisions romaines, de le Concile de Trente instituant les concours, par l'intervention du pouvoir civil, mais surtout de par l'autorité toujours croissante des évêques. Le chap. VI traite des personnes, physiques et juridiques, qui peuvent se réclamer d'une part quelconque de l'autorité pastorale et des avantages qu'elle comporte; ils sont nombreux dans notre histoire paroissiale : à côté du *verus pastor*, on rencontre le *pastor primitivus*, la *persona personatus*, le *vicarius perpetuus*, le *sacerdos mercenarius* et le *deservitor*. Mais à côté du titre pastoral, il y a encore les bénéfices simples : les chapellenies et la coûtrerie, auxquelles l'auteur consacre tout le chapitre VII. Au chap. VIII enfin, Mr Laenen étudie la paroisse urbaine, qui a une origine autre que celle de la paroisse rurale et a généralement donné naissance à des institutions spéciales, notamment aux chapitres ; il termine son ouvrage par un bref aperçu de l'histoire de nos paroisses depuis le Concordat.

Nous nous sommes efforcé de résumer quelque peu, non pas l'ouvrage de Mr Laenen — ce serait impossible — mais la table des matières, et encore ce résumé est-il bien incomplet. Puisse-t-il au moins donner une idée de l'abondance des renseignements fournis ! Nous félicitons sincèrement l'auteur et le remercions du le service qu'il a rendu à tous ceux, qui, selon le désir de leur évêque, s'occupent à mener à bonne fin le *liber memorialis* de leur paroisse.

R. Deschepper.

Fallon, V. (S. J.) *Principes d'Economie sociale.* 3e éd. **Bruges, Beyaert, 1924. — In 8, XVI-445 p. — Pr. 10 fr.**

L'empressement avec lequel le public a enlevé, en l'espace de quelques mois, la 2e édition du Manuel social du R. P. Fallon, a dignement récompensé les mérites de cet excellent ouvrage, et fourni à l'auteur l'occasion de mettre sur pied une édition nouvelle, meilleure encore que la précédente. Les perfectionnements qu'il y a apportés ne vont pas à changer les solutions de fond, qui d'ailleurs, dans leur grande majorité, présentent la note juste, mais bien à retoucher certains exposés, à développer la documentation, à mettre à jour la bibliographie et l'index analytique; ajoutons que l'exécution typographique, elle aussi, a subi d'heureux remaniements qui la rendent appropriée à l'usage classique.

Nous renvoyons nos lecteurs, pour plus de détails, aux éloges par lesquels nous avons salué l'an dernier l'apparition de la 2e édition, en ajoutant que cette édition-ci mérite, plus encore que la précédente, la faveur du public catholique.

E. Hosten.

Cremers, V. (S. J.). *De verlossingsidee bij Athanasius den Groote* (Proeve eener wijsgeerig-theologische synthese. — Bijdragen tot de geschiedenis van het dogma, onder redactie van V. Cremers, S. J.). Turnhout, Brepols, 1921. — In 8, 232 bl.

Zooals S. in zijn voorwoord zelf bemerkt « stelt deze studie zich niet ten doel al de gegevens over verlossing en zaligmaking, die verspreid liggen in het uitgebreid levenswerk van den h. Athanasius te verzamelen en volgens een min of meer willekeurige orde te rangschikken en aaneen te rijgen », maar wil ze veeleer de grondgedachte van den griekschen Kerkvader († 373) in al haar uitingen achterhalen en aantoonen hoe uit haar, als uit een levenden kiem, geheel het stelsel zich ontwikkeld heeft. Wel is waar loopt men met deze methode gevaar aan den h. Athanasius meer toe te schrijven dan hij uitdrukkelijk gezegd heeft ; toch blijft men nog objectief, meent S., op voorwaarde dat men den h. Athanasius niet meer doe zeggen dan hij werkelijk zeggen wilde ; groote denkers denken immers ook wel eens verder dan hun woorden dragen en zeggen niet altijd, uitdrukkelijk ten minste, wat ze zeggen wilden.

Na een korte inleiding, die als wegwijzer in Athanasius' schriften dienen moet, handelt S. achtereenvolgens over : 1. Geestelijke stroomingen ten tijde van Athanasius. 2. Het heil en de Heiland in Gods raadsbesluit. 3. Het Heilsontwerp in de schepping. 4. De heilsmogelijkheid na den zondenval. 5. De bovennatuurlijke aard der Godsgelijkenis. 6. Het herstel van het heil of de vergoddelijking door de deelneming aan het menschgeworden Woord. 7. Eenige metaphysische aanteekeningen over onze deelname aan den Logos-Heiland. 8. Het herstel van het heil of de vergoddelijking door de kennis van den Godmensch. 9. Het herstel van het heil door den zoendood van den Godmensch. — In zijn besluit steunt S. erop hoe beide gezichtspunten, die men in het heilswerk van Christus kan onderscheiden : de ontologische natuurdeelneming, die haar eigenlijke en uitsluitende toepassing heeft in de menschwording en dan de juridische vertegenwoordiging, die in 't werk van de verlossing door den dood van den Godmensch, meest in aanmerking komt, nochtans nauw met elkander zijn verbonden en in één moeten gewerkt. De eenzijdige beschouwing der juridische vertegenwoordiging bevat in zich den kiem der protestantsche dwalingen over de rechtvaardiging van den mensch, enkel uiterlijk opgevat ; van daar dan de misopvatting die uitkomt op een loochenen van de ware sakramenten der nieuwe wet. Door de synthese integendeel van natuurdeelname en juridische vertegenwoordiging, waarvan zoo rijke elementen bij Athanasius te ontdekken zijn, kan het heilsplan in zijn ontwerp, in zijn uitwerking en ook in zijn voltooiing volkomen worden verklaard.

Het boek van P. Cremers heet een proeve van wijsgeerig-theologische synthese ; sommigen zullen aan de waarde van deze synthese wel twijfelen en meenen dat S. hier en daar zijn eigen gedachten aan

den h. Athanasius inderdaad toedicht ; niemand zal echter ontkennen dat het werk van P. Cremers voor de geschiedenis van het dogma der verlossing van het grootste belang is en wij wenschen dat meer dergelijke studies mogen worden aangevat, waardoor dan ook het argumentum traditionis met meer klaarheid en meer zekerheid kunne worden voorgesteld. H. LAMIROY.

Durand, A. (S. J.). *Evangile selon Saint Matthieu, traduit et commenté* (coll. *Verbum salutis*, I), 3e édit. Paris, Beauchesne, MCMXXIV. — In 12, XIV-500 pp., 1 carte. — Pr. 14 fr.

Huby, J. (S. J.) *Evangile selon Saint Marc, traduit et commenté* (coll. *Verbum salutis*, II). Paris, Beauchesne, MCMXXIV. — In 12, XXIX-428 pp., 1 carte. — Pr. 14 fr.

Nous sommes heureux d'attirer l'attention de nos lecteurs sur ces deux volumes par lesquels vient de débuter, si avantageusement, la collection *Verbum salutis*, collection qui comprendra, traités de la même façon, tous les livres du Nouveau Testament. Le titre même que l'on a donné à la collection indique l'esprit dans lequel ces différents ouvrages furent ou seront conçus ; et à ce sujet, pour avoir examiné avec soin ces deux premiers volumes, nous ne croyons pouvoir mieux rendre l'impression qu'ils ont faite sur nous, qu'en faisant nôtre et en approuvant pleinement ce que nous dit le R. P. Huby dans l'Avant-Propos à son Evangile selon saint Marc : Ce commentaire « a été composé par un catholique pour des catholiques, afin de les aider à comprendre et à goûter l'évangile. Après les travaux des trente dernières années, où la réponse aux attaques du dehors constituait une tâche urgente, il nous a paru que le moment était venu de faire moindre la place de la réfutation et beaucoup plus large, celle de la simple et tranquille exposition. Pour les esprits de notre temps saturé de luttes, pour ceux du dedans et même pour ceux du dehors, quand ils sont de bonne volonté, cette méthode n'est-elle pas la plus efficace des apologétiques ? — Traitant l'Evangile avec tout le respect et tout l'amour que nous devons à la source la plus pure de la vie religieuse, nous nous sommes aidé, pour l'expliquer, des lumières qu'au cours des siècles, la doctrine et la pratique de l'Eglise catholique ont projetées sur son interprétation. Comme nous écrivions, non pour les spécialistes de l'exégèse, mais pour un plus large public, nous avons réduit au minimum les discussions d'allure technique. Des commentaires comme ceux du R. P. Lagrange, de l'anglican K.-B. Swete, du R. P. Knabenbauer, ont longuement traité ces questions et nous n'avions qu'à cueillir les fruits de leurs patientes recherches. Par contre, nous ne nous sommes interdit aucune des considérations théologiques, ascétiques ou mystiques qui nous ont paru propres à faire pénétrer jusqu'à la moelle de la doctrine évangélique et à en faire goûter la saveur ». — On ne pouvait mieux dire : les deux ouvrages, tout en recélant une connaissance approfondie de toutes

les questions scientifiques, et malgré certains points de détail où l'on pourrait ne pas être d'accord avec les auteurs sur l'interprétation admise, — se lisent à la façon d'un captivant et bienfaisant livre de lecture spirituelle ; ils contribueront certainement à faire des Evangiles, non pas des livres prêtant à des discussions arides et toujours recommencées, d'une utilité bien problématique au point de vue de la vie spirituelle, mais vraiment le *Verbum salutis* que le Christ avait en vue en prêchant, et l'Esprit Saint en inspirant le saint Evangile.

A. Vander Heeren

Bessières A. (S. J.). *Le livre de la croisade eucharistique.* Toulouse, Apostolat de la prière, 9, rue Montplaisir, 1922. — In 8, XVI-414 p. — Pr. 8.50 fr. — Du même, *Directoire des aumôniers, zélateurs et zélatrices* — In 12, 127 p. — Pr. 1,50 fr.

Le R. P. Bessières, que nous appellerions volontiers le Pierre l'Ermite de la « dernière croisade », la croisade eucharistique, a fait œuvre éminemment utile en réunissant en un volume toutes les archives importantes concernant cette guerre sainte. Par là il a composé le manuel classique de la C. E., où les prêtres et les laïques qui s'intéressent à ce mouvement admirablement fécond, trouveront matière abondante à s'édifier eux-mêmes et à instruire leurs croisés, enfants et adultes. — A ceux qui désireraient une vue rapide, un aperçu d'ensemble de la C. E. nous recommandons la seconde brochure.

Thibaut, E. (S. J.). *Le récit du pèlerin.* S. Ignace raconté par lui-même. 2 éd. Museum lessianum (1). Bruges, Beyaert, 1924. — In 8, 182 p. — Pr. 4 fr.

Le R. P. a publié ce travail en 1re édit. à l'occasion du 3me centenaire de la canonisation de s. Ignace de Loyola (1622) et du 4me centenaire de la composition des *Exercices spirituels* (1522). Ce livre n'a rien d'une étude historique; on pourrait presque l'intituler: « les Fioretti de s. Ignace ». On y surprend le s. fondateur faisant à son disciple, le P. Louis Gonzalès de Camara, ses confidences sur sa conversion, sa préparation à son rôle providentiel, ses exercices, les origines de sa Compagnie. Lisez-le dans cet esprit et vous y puiserez une leçon de confiance en Dieu, de docilité à la grâce, de grandeur d'âme.

A. Legrand.

(1) Traduction faite sur la texte hispano-italien avec quelques emprunts à la traduction latine.

Collationes Brugenses

Introductio in theologiam mysticam.

Tabula III.

Regnum Dei supernaturale, per peccatum turbatum, restauratur et perficitur per Verbum incarnatum, Redemptorem.

Pars altera.

Adventus Christi, ejusque opus redemptionis.

III. — Passio et mors Christi, ejusque glorificatio (1).

Quo propinquior passio Christi, eo manifestior demonstratio suæ liberæ voluntatis, adversus quam nihil possunt, nisi eo permittente, inimici. Post suscitatum Lazarum, secedit in civitatem Ephrem, in confiniis deserti, unde mox regreditur Bethaniam ; quo in itinere prædicit discipulis suam proximam mortem et resurrectionem, docetque eos humilitatem et mansuetudinem. Transiens per Jericho sanat uno verbo cæcum, se invocantem ut filium David ; convertit Zachæum, principem publicanorum ; Bethaniam regressus, accipit cœnam apud quemdam Simonem, cum suis discipulis, Lazarus redivivus unus est e discumbentibus, Martha inservit et Maria unguento pretioso eum ungit, quod permittit, ut ait, intuitu sepulturæ suæ, et quod occasionem præbet Judæ, avaro et furi, traducendi ut perditionem hunc

(1) Vid. supra hoc tomo, p. 3.

amoris Mariæ actum, atque adeundi principes Judæorum ut magistrum suum vendat (1).

Postridie sabbati, nostra Dominica palmarum, tendit Salvator ultima jam vice in Jerusalem, ubi populus eum quasi triumphantem excipit dum ipse flet super eam et incredulitatem populi sui, et prædicit horribilem ejus punitionem (2). Ingreditur templum, et circumspectis omnibus, cum jam vespera erat hora, exiit in Bethaniam cum duodecim (3). Postridie redit et ejicit e templo vendentes et ementes (4), sicut fecerat olim primum visitans templum (5). Singulis diebus docet in templo (6), præprimis annuntians mortem suam proximam, redemptionem mundi, glorificationem Patris sui, inculcans necessitatem fidei sub pœna æternæ damnationis. Principes Judæorum, non valentes vim adhibere, conantur eum capere verbo, sed eos confundit, interrogans et ipse de rebus quibus responsum non inveniunt, et coguntur insidiis renuntiare. Ipse pergit docendo discipulos et turbas, quas contra errores et vitia scribarum et pharisæorum præmunit, et ruinam templi et urbis, necnon populi judaici reprobationem prædicit (7). Per diem docebat in templo, per noctem morabatur in monte Oliveti (8), ibique Apostolis nuntiat multa futura de ruina templi, de ultimo judicio et de fine mundi (9).

Itaque Jesus sese revelaverat ut Messiam cuncto populo Israël, doctrina et miraculis suis, tum in Jerusalem occasione festorum, tum per totam quam prædicando percurrerat regionem ; efformaverat corpus quoddam cre-

---

(1) *Matt.*, XXVI, 6-16 ; *Marc.*, XIV, 3-11 ; *Joan.*, XII, 1-7.

(2) *Matt.*, XXI, 1-11 ; *Marc.*, XI, 1-10 ; *Luc.*, XIX, 28 sq. ; *Joan.*, XII, 12-18.

(3) *Marc.*, XI, 11.

(4) *Matt.*, XXI, 12, 13 ; *Marc.*, XI, 15-17 ; *Luc.*, XIX, 45, 46.

(5) *Joan.*, II, 13 sq.

(6) *Luc.*, XIX, 47.

(7) *Marc.*, XI, 27 sq. XII ; *Luc.*, XX.

(8) *Luc.*, XXI, 87.

(9) *Matt.*, XXIV et XXV ; *Marc.*, XIII ; *Luc.*, XXI.

dentium, nucleum suæ Ecclesiæ, cujus prima fundamenta, apostolos elegerat, et inter hos petram fundamentalem et caput ; omnesque præmuniens adversus falsam doctrinam et vitia principum, suorum persecutorum, horum demonstraverat omnimodam impotentiam perdendi se, absque suo consensu et voluntate. Nunc manent duo tantum dies ante Pascha (1), et Christus abrumpit jam publicam cum turbis conversationem, ut se imminenti passioni et sacrificio pro redemptione mundi præparet, et de apostolis suis ac fundatione Ecclesiæ specialem curam habeat.

Igitur, cum tempus advenit manducandi agnum paschalem, mittit Petrum et Joannem ut cœnam parent in Jerusalem, quo dein venit et accumbit cum duodecim. Ast, non de sola cœna paschali, lege mosaïca præscripta, jam agitur, quæ nonnisi figura cedet realitati, et maxima complebuntur mysteria, et gravia proponentur documenta.

Christus semper exegerat *fidem*, utpote « initium salutis, fundamentum et radix omnis justificationis » (2), fundamentum *positivum* vitæ supernaturalis ; sæpe etiam inculcaverat necessitatem humilitatis, quæ ad instar fundamenti est *negativi* vitæ virtuosæ, qua removens prohibens, directe oppositum superbiæ, fontis omnis peccati : nunc jam proponet fidei apostolorum et committet, in eorum persona, Ecclesiæ suæ, illud quod Ecclesia quotidie celebrans vocat *Mysterium fidei* ; simulque dabit exemplum mirabile humilitatis, lavans pedes apostolorum (3).

Mysterium eucharisticum antea nuntiaverat discipulis suis et turbis, eorum objectionibus et dubiis non respondens, nisi exigendo iteratim fidem ; quæ quidem occasio fuit etiam nonnullis discipulis eum relinquendi, Petro

---

(1) *Matt.*, XXVI, 2 ; *Marc.*, XIV, 1.
(2) Ita *Concilium Tridentinum*, Sess. VI, c. 8.
(3) *Joan.*, XVIII, 4-20.

vero, nomine fidelium discipulorum, confitendi Christum, Filium Dei, Messiam exspectatum, qui verba vitæ æternæ habet (1). Nunc jam implet Salvator promissum, donans sub specie panis et vini corpus suum et sanguinem in sacrificium incruentum et sacramentum novæ legis (2).

Mox oblaturus erat idem sacrificium cruentum in salutem mundi, isque actus, martyrium Christi, perfectissimus omnium possibilium actuum humanorum (3), semel tantum hoc modo fieri poterat, maxime tamen decebat tale ac tantum sacrificium non transitorio tantum modo fieri, sed alio modo permanens ac perpetuum renovari omni loco et tempore ad finem usque sæculorum. Hoc præstandum invenit omnipotentia, sapientia et amor infinitus Servatoris : antequam se offerret in cruce, sese mystice immolavit incruento sacrificio, quo merita sanguinis sui in monte Calvariæ effusi applicaret omnibus hominibus in finem sæculorum.

In eadem ultima cœna prædicit Christus se tradendum fore inimicis ab aliquo e præsentibus apostolis, et interrogatus a Juda ipsum fore proditorem secreto illi manifestat, sicut et Joanni dilecto, qui in pectore suo recumbit, idem fiducialiter aperit. Tum exit Judas, nefarium suum consilium executurus. Prædicit quoque Salvator omnes apostolos se derelicturos, et Petrum ter negaturum ; simul tamen, constanti intuitu Ecclesiæ suæ, dixerat hæc maxime notanda verba : « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos [apostolos] ut cribraret sicut triticum ; Ego autem rogavi [oratione semper efficaci] pro te [Simone Petro] ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos [omnes, etiam apostolos] (4).

---

(1) *Joan.*, VI.

(2) *Matt.*, XXVI, 26-29; *Marc.*, XIV, 22-25; *Luc.*, XXII, 19, 20; I *Cor.*, XI, 23-26.

(3) V. *Collat. Brugen.*, t. IV, p. 370-371 ; *Cajetan.*, in 2, 2, q. 124, a. 3 in fine.

(4) *Luc.*, XXII, 31, 32.

Post discessum proditoris, affectuosissime alloquitur Christus apostolos, præceptum novum dat ut se invicem diligant, sicut ipse dilexit eos. Consolatur apostolos de sua profectione : vadet præparare eis locum in domo Patris sui ; ipse est via, veritas et vita: mittet ad eos Spiritum paraclitum ; iterum modicum videbunt eum. Illos hortatur ut orent, ipse vero et pro se et pro discipulis et omnibus fidelibus effundit admirandam suam orationem sacerdotalem (1). Quot in hisce documenta divina reperimus ad vitam perfectam instituendam, nunquam satis meditanda !

Nunc jam consummabitur opus redemptionis per passionem et mortem Salvatoris, ejusque gloriosam resurrectionem. Tempus enim opportunum divinæ Providentiæ dispositione a Christo paratum advenit : videlicet, quando gaudium Satanæ e spe proximi triumphi ad summum gradum excreverat, ut ipse tum causa ruinæ sui imperii foret, cum se impossibilem reddidisse redemptionem credebat. Et hoc quidem credebat diabolus : etenim synedrium, summa religiosa potestas Judæorum mortem Christi decreverat, Judas eum tradere inimicis paratus erat, et sententia mortis cum a Romanis exequenda esset, non aliud quam crucis supplicium exspectabatur, maxime ignominiosum, ita ut sine dubio finem imponeret fidei in Christum, morte adeo probrosa extinctum, præsertim publice inter festa paschalia coram multitudine populorum ex omni regione confluentium. Imo vero, etiamsi resurrexerit Christus, uti dixit, omnes — ita putabat Satan — puderet in eum credere.

Atvero, quantus fuerit error diaboli ejusque sequacium, non tantummodo ex eventu didicerunt, sed et tum seipsos decepisse satis manifestum est, cum non attenderint ad historiam vitæ anterioris Christi. Re quidem vera, nonne ex narratione evangelica evidenter nobis patet, Christum ipsum, ex mandato Patris, tum actione posi-

(1) *Joan.*, XIII, 31-35, XIV-XVII.

tiva, tum permittendo nefaria consilia inimicorum, omnipotenti sua libertate, omnia conduxisse ad impletionem mirabilem operis redemptionis per mortem suam in cruce, quam pluries prædixerat cum adjunctis et passione ad eam ducente, sicut et prædixerat suum de morte et inferno triumphum ?

Hujus instituti non est narrationem quatuor Evangeliorum, quorum concordia heic facilior est et apud commentatores invenitur, exscribere, sed propositum nostrum est aliquas generales animadversiones proferre quibus eluceat quam celsa et divina sint quæ in passione et morte Christi, quam satis notam censemus, obvia sunt. Et primo quidem, quomodo Christus in sua passione quasi summam et compendium exhibuit totius suæ vitæ mortalis: summam omnium laborum et dolorum suorum in salutem mundi et gloriam Patris sui, in passione ad extremum gradum deductorum. Deinde, quomodo compendium quoque suæ cœlestis doctrinæ in passione proposuit. Tandem tertio, quod exemplorum virtutum vitæque perfectæ quasi coronis sit Christi passio.

Primo, quæ passus est Salvator in corpore et in anima, in natura illa humana perfecta, vividius quam in quovis homine omnia sentiente, quis intellectu assequi poterit ? In corpore quidem tormenta, prævisa adeoque jam in antecessum sentita, excedunt omnem cogitationem : recordare vel solam cruentam flagellationem, spineam coronam, bajulationem crucis, sub qua fatiscunt humeri et corpus totum laceratum et exsangue, crucifixionem manibus pedibusque clavis perforatis, supplicium sitis ardentis, longam in cruce agoniam In anima vero quam crudele martyrium: tædium et horror prævisæ passionis et mortis, tristitia ad mortem usque propter pondus omnium peccatorum Christo impositum, propter horum quoque tam diræ expiationis frustrationem apud multos impœnitentes peccatores. Adde proditionem Judæ apostoli, negationem Petri, fugam cæterorum apostolorum ; falsas accusationes, seditionis, violationis legis Dei, blas-

phemiæ, prolatas adversus ipsum, *Filium Dei ;* injurias, derisiones, opprobria servorum et militum Romanorum in horrenda illa nocte, et postea ipsorum Principum populi sui et regis Herodis eum spernentis et illudentis ut stultum. Revera nullus ei pepercit dolor, traditus tortoribus ab omnibus derelinquitur etiam amicis et ingratis turbis, per quas transierat bene faciendo et sanando omnes; a sola Matre sua benedicta non relinquitur, quam cum discipulo dilecto invenit ad pedem crucis, sed ad majorem intimunque dolorem, nempe transfixionem cordis materni doloris gladio, a Simeone prædictam. Tandem extremæ angustiæ ei obveniunt ex derelictione a Patre, ut testatur recitans et adimplens prophetiam Psalmistæ : *Deus meus, ut quid dereliquisti me* (1). Hæc omnia patitur Christus in expiationem peccatorum nostrorum, plena voluntate et libertate, adeoque ea patientia et divina serenitate, quæ admirationem vel ipsius Pilati provocat, ita ut cum metu reverentiali erga ipsum et nonnisi post longum certamen conscientiæ ad eum liberandum, Judæis eum tradet ad crucifigendum.

Secundo, Christus in passione sua summam proposuit suæ doctrinæ, tum formaliter verbis, tum re et facto docendo.

Verbis, inquam : etenim expresse et clarissime declarat se esse Messiam exspectatum, Filium Dei, verum Deum verumque hominem, qui judicaturus est olim vivos et mortuos. Idque declarat publice, coram Synhedrio, suprema potestate religiosa populi sui. Et vult quidem ut hæc declaratio sit causa mortis suæ ; vult enim mori ut Messias Salvator, ita significans mortem suam esse voluntariam et liberam, sacrificium expians peccata mundi. Unum ex ultimis verbis in cruce prolatis confirmabit hoc sacrificium ceu opus redemptionis jam esse absolutum : *Consummatum est.*

Similiter coram Gentilibus, coram Procuratore Romano,

---

(1) *Psalm.* XXI.

affirmabit, minus expresse ut decebat, missionem suam divinam, missionem testimonium perhibendi veritati, regnum suum quod non est de hoc mundo, sed spirituale quo regnat in animas et fundavit Ecclesiam. Et titulum suum Regis inscribi faciet in cruce a Pilato, tamquam causam suæ mortis : *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Quasi diceretur : Jesus, etsi Nazarenus despectus et rejectus a principibus populi sui, est vere Rex Judæorum, Messias exspectatus, qua talis moriens pro omnium salute. Non qui se dixit regem, uti voluerunt principes Judæorum, sed *quod scripsi*, *scripsi* : Rex Judæorum. Et hic titulus scribetur hebraïce, græce et latine, ut eum omnes legant, Judæi et Gentiles, Græci et Romani, pro quibus quippe omnibus salvandis mortuus est.

Præter doctrinam formalem verbis, facto quoque mirabilia documenta edidit ; videlicet divinas perfectiones dilucide revelans : omnipotentiam et sapientiam, supremumque dominium et libertatem, dirigendo omnes eventus hominumque, salva horum libertate, actiones cunctas in finem prævisum et præfinitum suæ mortis in cruce cum definitis adjunctis ; implendo quoque omnes prophetias plurimas, quas evangelistæ notant ad singulas passionis et mortis circumstantias ; manifestavit quoque Christus Dei amorem et misericordiam, quibus Filium unigenitum nobis dedit ad nos redimendos ; simulque justitiam Dei, qua Filio suo non pepercit peccata mundi ferenti. Eo etiam ipso docemur pretium animarum, malitiam peccati, timorem divinorum judiciorum, rigorem supplicii damnatorum et ex opposito gloriam et felicitatem justorum.

Tertio, Christus coronam imposuit vitæ suæ mortali, dando per passionem quasi summam exemplorum omnium virtutum. A momento incarnationis obedientiam professus erat sub forma perfectissima absolutæ devotionis et omnimodæ impletionis voluntatis Patris : nunc obedit ad mortem usque, mortem autem crucis. In ipsa jam nativitate exemplum mirabile dederat trium virtu-

tum, oppositarum triplici concupiscentiæ, regnanti in mundo perverso, triplici vulneri peccati originis et fonti personalium peccatorum : exemplum paupertatis, quæ nunc ad extremam omnium rerum spolationem extenditur, cum et vestibus exuitur, quas videt inter tortores divisas ; exemplum pœnitentiæ et mortificationis, quas innocens pro nobis sontibus exercet, non renuntiando tantum delectationi sensuum, sed subeundo dirissima tormenta corporis, omnemque dolorem spiritus, absque modo et solamine ; exemplum summissionis seu humilitatis, acceptans omne genus despectus et opprobrii, atque obediens factus ad mortem usque ignominiosissimam. In dolorosissima sua passione exemplar erit perfectum patientiæ, fortitudinis, mansuetudinis, gratitudinis, misericordiæ, oblivionis injuriæ. Tandem ipsum sacrificium in cruce erit actus amoris Dei et hominum, qualis perfectior non est nec excogitari potest. Perfectus quidem semper fuit amor Christi, sed nunc externam suam formam seu expressionem perfectissimam induit: immolatione sua offerens Patri sanctissimam suam humanitatem, perfectissimo modo agnoscit supremum Dei dominium, vitæ et mortis, Deumque adorat et laudat sola ratione digna divina Majestate ; gratias agit Deo dignas ; humanum genus redimit, solvens integre peccati debitum ; meretur tandem hominibus omnem gratiam, omne divinum beneficium. Similiter Christi charitas erga homines, fratres suos heic evidentius apparet universalis, erga omnes communis, et si, uti vere dixit ipsemet : « majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (1) », hanc profecto dilectionem nobis ostendit moriendo pro nobis, ut ex inimicis faceret amicos.

Ex his omnibus dictis quoque patet Salvatorem passione et morte sua de inimico Dei et hominum victoriam egisse completam, Deoque gloriam dedisse ratione vere digna

(1) *Joan.*, XV, 13.

divina Majestate, quod quidem solus valebat. Etenim Satan, dæmoniorum princeps, qui auctor erat inspirans quidquid tormentorum malitia Iudæorum et crudelitas tortorum excogitaverunt, ignorabat consilia Dei et modum redemptionis et putabat se Messiam perdidisse atque victoriam agere de Omnipotente. Merito autumamus ipsum, cum cuncta suo militia infernali, præsentem fuisse morti Christi ad triumphandum et ad Christo irridendum, quod fecerunt ejus instrumenta et asseclæ judæi; sicuti militia cœlestis ibidem adfuit ad adorandum Christum morientem, devictorem mortis, peccati et inferni, quemadmodum, teste S. Paulo (1) eum in momento incarnationis adoraverunt omnes angeli Dei. Atqui, quam putabat diabolus suam victoriam, ad quam constanter allaboraverat, præsertim ab adventu Christi, revera triumphus erat Redemptoris splendidus: Satan reapse inconscius cooperatus erat saluti hominum, propriæ suæ confusioni, ruinæ sui imperii, gloriæ Dei et Christi ejus, qui supremam, ut vidimus, Deo gloriam attulit.

De gloriosa Christi resurrectione. In ipsa jam morte incipit Christi glorificatio: eum adorant militiæ cœlestes, et heic inferius glorificant eum cœlum et terra; terra tremit et tenebris obvolvitur, sole miraculosa ratione obscurato et mox iterum lucente, saxa rumpuntur et e sepulchris apertis multi sancti, post Christi resurrectionem resurgunt et apparent multis, velum templi claudens Sanctum Sanctorum scinditur in duas partes a summo usque deorsum, annuntians finem cultus Mosaïci figurativi, et apertionem cœli, cujus symbolum erat Sanctum Sanctorum. Anima autem Christi, corpus relinquens, descendit ad inferos, comitantibus probabiliter Angelis. Et primum quidem visitat Limbos, ut nuntiet justis, suis meritis redemptis, proximum introïtum in gloriam cœlestem. In purgatorium eam quoque descen-

(1) *Ad Hebr.*, 1, 6.

disse merito creditur, quod insinuat Officium liturgicum defunctorum : « Visitasti infernum, et dedisti eis lumen ut viderent te, qui erant in pœnis tenebrarum (1) ». Nec immerito dicitur infernum quoque damnatorum eam visitasse, stipatam angelis et electis, ut triumphum suum et illorum ageret de omnibus inimicis, præprimis Satana angelisque ejus, qui coacti sunt hanc supremam subire confusionem.

Per commorationem suam deinde in limbis cum amicis suis, præparavit quoque ipse argumenta certissima suæ resurrectionis : et primo quidem procurando, et per ipsos quidem auctores sui supplicii, ut constaret absque dubio de morte sua; ipsi judæi, id permittente Pilato, mittunt milites qui frangerent crura crucifixorum, illi autem vident Jesum jam mortuum, neque adeo frangunt ejus crura, sic implentes prophetiam de agno paschali scriptam : os non comminuetis ex eo; unus vero lancea aperit latus Christi, et cor ejus transfigit, ex quo exivit sanguis et aqua, figura baptismi et Eucharistiæ; novum argumentum certum mortis, simulque impletio alius prophetiæ. Interim Joseph ab Arimathæa, discipulus Christi et membrum Synedrii, qui non consenserat condemnationi Salvatoris, petit corpus Jesu a Pilato. Hic sciens milites nondum profectos ut frangerent crura et ignorans mortem Christi, vocat centurionem, qui testis fuerat prodigiorum mortem Jesu comitantium et simul cum adstantibus dixerat : Hic homo vere Filius Dei erat. Centurio confirmat mortem. Tum Joseph cum Nicodemo deponunt corpus e cruce, illudque unctum deponunt in sepulchrum novum, quod sibi Joseph in rupe construxerat. En novi testes mortis Christi, omni exceptione majores, qui publica in luce cum honore sepeliunt Jesum.

Ast, absoluta certitudo resurectionis postulabat præterea ut corpus emortuum identificaretur, ut nec substitui eidem aliud posset, nec corpus auferri. Jamvero

(1) 3m Resp. 3i Noct. quando hic solus dicitur.

omnem cautionem hac in re adhibuit Christus: sepultura publice facta a duobus viris principibus, testibus mortis Christi, quem optime noverant, omnem substitutionis possibilitatem excludit. Sed et ipsi inimici Jesu reliquas cautiones adhibent, noverant ipsum suam resurrectionem prædixisse, et ideo rogant Pilatum custodiam, quam reapse ad sepulchrum adducunt, prius identificato corpore, et lapide suo sigillo munito. Notetur etiam sepulchrum in rupe excisum fuisse, et novum ita ut objectio alius forte ex eo resurgentis excluderetur.

Quod autem factum ipsum resurrectionis attinet, quam quidem pluries prædixerat, illud tot et tam evidentibus argumentis munivit Christus, quot et qualibus nullus eventus historicus fulcitur. Ipsi Principes Judæorum adeo stupore perculsi sunt ut stolide recurrerint ad testimonium custodum, quos pecunia soluta inducere voluerunt ut testarentur ipsis dormientibus corpus fuisse sublatum. Apparent pluries angeli sanctis mulieribus, quibus nuntiant Christum surrexisse; ipse Christus apparet pluries, Mariæ Magdalenæ, Petro, discipulis in Emmaüs, Apostolis. Et his quidem ac discipulis per quadraginta dies, quibuscum conversatur, longos sermones habet, manducat, demonstrat cicatrices gloriosas manuum, pedum et lateris, carnem suam et ossa palpanda præbet, ita ut Apostoli, etsi tardi ad credendum, testes præordinati facti sint invicti resurrectionis, ad quam ut fundamentum prædicationis suæ et fidei immotum semper et ubique appellarunt.

Merito notandum qua de causa et quem in finem Christus voluit per quadraginta dies post gloriosam suam resurrectionem remanere his in terris, et tot præbere argumenta veritatis illius. Videlicet, ab una parte resurrectio confirmatio est splendida suæ missionis et divinitatis, et quasi sanctio fidei in se quam semper exegit et usque exigit ; ab alia parte, volebat Christus, non tantum confirmare fidem Apostolorum et discipulorum, sed et ipsos ad futurum munus suum exercendum

perficere, atque institutionem suæ Ecclesiæ complere. Sic ipsis tunc confert missionem (1), et Petro primatum, antea promissum (2), et complet numerum sacramentorum, instituens nominatim sacramentum Pœnitentiæ (3).

Tandem (4), die quadragesimo post resurrectionem, ultimo apparet Apostolis suo jussu congregatis in Jerusalem, quos jubet ibi exspectare adventum promissum Spiritus sancti. Deinde eos conducit versus Bethaniam, ad montem olivarum, iisque benedicens ascendit in cœlum. Duo angeli sub figura humana eos dimittunt nuntiando secundum ejus adventum, gloriosum sicuti discessum, quique suprema erit ejus glorificatio, qua judicis vivorum atque mortuorum. Apostoli gaudentes redeunt Hierosolymam, ubi simul cum discipulis et Matre Jesu ac sanctis mulieribus, in oratione perseverant ; tum etiam, id proponente Petro, eligunt Matthiam in apostolum, loco proditoris Judæ. Die decima, in festo Pentecostes, descendit in ipsos Spiritus sanctus, anima Ecclesiæ, quæ statim incipit vivere, ut videbimus in sequente tabula.

† G.-J., Episc. Brugen.

(1) Vid. *Matt.*, XXVIII, 18-20 ; *Marc.*, XVI, 15 sqq. ; *Joan.*, XX, 21.
(2) *Joan.*, XXI, 15-17.
(3) *Joan.*, XX, 22 et 23.
(4) De his vid. *Luc.*, XXIV, 49 sqq., et *Act. Apost.*, I et II.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis decembris propositas.

—

I.

Impositio manuum in Novo Testamento.

Q. *Paucis ostende, collatis aliis locis N. T. ubi eadem formula occurrit, quid* Act. Ap., *XIII, 3 veniat sub formula :* imponentes eis manus.

R. Jam supra, pp. 46 ss , conati sumus determinare sensum quo l. c. *Act. Ap.* de impositione manuum fit mentio, et putavimus vel ex solo inspecto hoc loco merito admitti posse sententiam longe communiorem ibidem de *consecratione episcopali* Pauli et Barnabæ agi. Eamdem hanc conclusionem egregie confirmare licet ex collatis aliis locis N. T. ubi similiter de impositione manuum mentio occurrit. Revera :

Impositio manuum, si una excipiatur qua Christus benedicit parvulis eisque divinum favorem apprecatur (1), nusquam in Novo Testamento est apprecativa tantum, sed semper *efficiens* aliquid. Ita in *Evangeliis* Christus imponendo manus efficit — non apprecatur — sanationem aut resurrectionem (2) ; item in *Act. Apost.* Apostoli

---

(1) *Mt.*, XIX, 13-15 ; — *Mc.*, X, 13-16 ; — *Lc.*, XVIII, 15-17. — Huic loco probabiliter addi potest *Lc.*, XXIV, 50 s., ubi videtur Jesus extendendo sicque imponendo manus benedixisse Apostolis suis, dum elevabatur in cælum.

(2) Cfr *Mt.*, IX, 1, 18 ; *Mc.*, V, 23 ; VI, 2, 5 ; VII, 32 ; VIII, 25 ; XVI, 18 ; *Lc.*, IV, 40, XIII, 13 ; — ex quibus locis apparet populo ex consuetudine Jesu notum factum esse Jesum per impositionem manuum sua miracula patrare : accurrentes enim ad Jesum ipsi rogant eum ut super ægros manus imponat.

apparent manuum impositione similia miracula efficere (1). Ita quoque, quod thesi nostræ demonstrandæ magis appropriatum apparebit (2), aliis locis Novi Testamenti apparet impositio manuum tamquam effectiva et collativa gratiæ cujusdam Spiritus sancti aut muneris et functionis ecclesiasticæ : per impositionem manuum communicatur Spiritus sanctus neo-baptizatis (3) ; — confertur munus quoddam administrandi in Ecclesia, ut puta diaconis (4) aut presbyteris aut episcopis (5).

Porro si hæc ita se habent, jam solide ex variis his locis confirmatur sententia quam circa *Act. Ap.*, XIII, 3 supra propugnavimus, et signanter : *a*/ nullo textu parallelo confirmatur sententia Estii et Suarezii paucorumque aliorum quasi impositio manuum de qua h. l. agitur, nihil fuerit quam gestus quo fideles præpositique Antiocheni in Paulum et Barnabam ad missiones profecturos divinum favorem apprecabantur ; — *b*/ apparet variis his locis suaderi ut gestum illum interpretemur de potestate Paulo et Barnabæ collata quæ ipsis in ordine ad missiones apostolicas peragendas necessaria erat ; porro vidimus supra nullo fundamento fulciri sententiam juxta quam Paulus et Barnabas jam ante hanc manuum impositionem episcopali dignitate insigniti fuissent : unde etiam hæc dignitas et potestas, ipsis ad instantes missiones apprime necessaria, collata fuit. A. VAN DER HEEREN.

---

(1) *Act. Ap.*, V, 12, 16 ; IX, 12, 17 ; XIV, 3 ; XIX, 11 ; XXVIII, 8. Vide quoque quomodo Jesus, profecturus in cælum, impositionem manuum ad patranda miracula indicaverit suis discipulis : « *Super ægros manus imponent, et bene habebunt* ». *Mc.*, XVI, 18.

(2) Certe enim *Act. Ap.*, XIII, 5 non agitur de sanatione aut resurrectione quadam in Paulo et Barnaba operanda.

(3) Cfr *Act. Ap.*, VIII, 17-19 ; XIX, 1-6.

(4) *Act. Ap.*, VI, 6.

(5) *Act. Ap.*, XIV, 23 ; *I Tim.*, 4, 14 ; *II Tim.*, I, 6. — Utrum *I Tim.*, V, 22 similiter intelligendum sit de ordinatione sacra, ut tenet communior hodie sententia, an vero de reconciliatione peccatorum, controvertitur ; hanc ultimam sententiam vide propugnatam a GALTIER, in *Dict. de Théol. cath.*, v° *Imposition des mains*, c. 1306 ss. et *Recherches de Sciences religieuses*, 1912, pp. 448 ss.

II.

De divina gubernatione.

Q. *Proba Deum omnes res creatas gubernare seu ad finem dirigere.*

R. — Uti in præcedenti quadam responsione de providentia divina exposuimus (1), gubernatio sumi potest sensu strictiore pro ipsa directione rerum in finem; de hoc fine, in quem res a Deo diriguntur, plerumque agitur in tractatu de Deo creante, ubi de creatione considerata secundum causam finalem.

Recolatur etiam, quod supra pariter observavimus, nimirum hanc directionem intime nexam esse cum motione divina, quæ supponit conservationem omnium rerum a Deo, qui facit omnia esse: Deus movendo res, quas facit esse et conservat, easdem simul dirigit in finem, atque dirigendo easdem movet, quas conservat(2). Hoc solum nunc proponitur demonstrandum : Deus dirigit res creatas omnes in finem.

Jam autem hæc veritas probari valet tum argumento rationis, quod potius ad philosophiam spectat ; tum argumento revelationis, quod est proprie theologicum (3).

1/ Argumentum *rationis* unum sic cum s. Thoma adstruere sufficiat : « Quicumque facit aliquid propter finem, utitur illo ad finem. Ostensum est autem supra, quod omnia quæ habent esse quocumque modo sunt effectus Dei, et quod Deus omnia facit propter finem, qui est ipse. Ipse igitur utitur omnibus, dirigendo ea

---

(1) Supra p. 21 s.

(2) Cfr ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, n. 237 s., apud *Collat. Brugen.*, VI, p. 561 s.

(3) Cfr VAN DER MEERSCH, *Tract. de Deo uno et trino*, n. 514 s., p. 395 s. — Demonstrata gubernatione divina ex ordine rerum, concludere licet ad providentiam stricte sumptam, uti hæc dicit rationem ordinis rerum in finem in mente divina existentem, sicut proponit s. THOMAS, *Sum. theol.*, I, q. 22, a. 1, c.

in finem. Hoc est autem gubernare. Est igitur Deus per suam providentiam omnium gubernator » (1).

2/ Argumentum proprie theologicum desumitur *ex revelatione*, videlicet ex Scriptura sacra et traditione orali.

a/ Jam in *Scriptura sacra* veteris testamenti hæc doctrina præclare continetur et sæpissime proponitur.

Sic in libro Sapientiæ: « Attingit [divina sapientia] a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter » ; « omnia in mensura et numero [tu, Deus] disposuisti » ; « tua, Pater, providentia gubernat ». De minimis etiam curat Deus: « Pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus » (2).

Quæ nobis videntur fortuita, revera a Deo gubernantur, uti docemur in libro Proverbiorum: « Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur »; in eodem libro providentia Dei specialis relate ad homines generatim inculcatur: « Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus ejus » ; sic etiam ducem Deus ducit: « Cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud » ; nec valet quisquam contraniti divinæ gubernationi : « Non est consilium contra Dominum » (3).

Exemplis eadem veritas illustratur in multis locis veteris testamenti, ut puta in libro Job, ubi in fine divina sapientia et gubernatio poetice describitur et encomiis celebratur (4); ita pariter apud Isaiam prophetam, ubi de præparatione regni messianici (5) ; rursus in psalmo messianico LXXI, in quo adumbratur indoles regni Messiæ futuri, a Deo parati (6).

---

(1) *Sum. contra gentiles*, III, 64 coll. II, 15 et III, 17 ; cfr etiam *Sum. theol.*, I, 103, a. 1, c. et a. 5, c.

(2) *Sap.*, VIII, 1 ; XI, 21 ; XIV, 3 ; VI, 8.

(3) *Proverb.*, XVI, 33, 9 ; XXI, 1 et 30 b. ac cfr *Sum. theol.*, I, q. 103, a. 8, c.

(4) *Job*, XXXVIII s.

(5) *Is.*, II, 2 s. etc.

(6) *Ps.* LXXI, 1 s. et cfr VANDER HEEREN, *Psalmi et cantica*, ad h. l. — Difficultates, quæ sæpius afferuntur ex impiorum felicitate, etiam prævertuntur in *Ps.* LXXII, *Eccli.*, II, 5 s. etc.

In Scriptura sacra novæ legis hæc doctrina pluries, haud minus clare, at magis suaviter, ab ipso Jesu Domino proponitur: Pater cœlestis pascit volatilia cœli et vestit lilia agri, omnia sic ordinando ut minima etiam inter creata, sibimet necessaria inveniant et finem suum attingant simul ac gloriam Dei, finem ultimum omnis creationis, manifestent; unde a fortiori Deus curam habet hominum (1); nec iis quidquam vere nocere poterit, quoniam in manu Dei sunto m nia: « Vestricap illicapitis omn es numerati sunt » (2).

b/ Testimonia *traditionis oralis*, post hanc præclaram doctrinam e sacris litteris, pauca referre satis erit.

Contra eos, qui negant providentiam divinam, ex ordine in rebus existente arguit Minucius Felix (3); item Clemens alexandrinus, qui merito notat: « Et fortasse ne conari quidem oportet hæc demonstrare, cum sit manifesta divina providentia, ex aspectu omnium, quæ videntur, effectorum, quæ arte constant et sapientia » (4); ita etiam Theophilus antiochenus (5) et s. Irenæus: « Nihil omnino horum quæ facta sunt, et quæ fiunt et fient scientiam Dei fugit, sed per illius providentiam unumquodque eorum et habitum et ordinem et numerum et quantitatem accipere et accepisse propriam » confitemur (6).

Jure igitur scribit s. Gregorius nazianzenus: « Crede mundum universum, tam qui visibilis est quam qui invisibilis, ex nihilo a Deo factum esse, et creatoris providentia gubernari » (7).

---

(1) *Matth.*, V, 25-34.

(2) *Ibidem*, X, 30. — Ita et in ordine supernaturali Deus omnia dirigit, uti docet Apostolus, v. g. Eph., I, 4 s. et Rom., VIII, 28 s., sed de hisce ubi de providentia speciali in ordine supernaturali seu de prædestinatione tractatur.

(3) Minucius Felix, *Octavius*, 18 (MPL, III, 288).

(4) Clemens alex., *Stromata*, V, I, 6, 2 (MPG, IX, 16).

(5) Theophilus antioch., *Ad Autolycum*, I, 6 (MPG, VI, 1034).

(6) S. Irenæus, *Adv. hæres.*, II, XXVI, 3 (MPG, VII, 801).

(7) S. Gregorius naz., *Oratio* XL, 45 (MPG, XXXVI, 434).

Hæc veritas itaque, utpote revelata, credi debet *fide divina;* sed Ecclesia, quæ in oratione sua publica hanc suam fidem sæpius exprimit (1), eamdem doctrinam *fide catholica* tenendam esse solemniter definivit, hisce verbis jam recitatis in eadem præcedenti responsione de divina providentia generatim : « Universa vero, quæ condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter » (2).

H. Lamiroy.

III.

De oratione in genere.

Q. *Da et explica definitionem* orationis stricte dictæ seu deprecatoriæ, *ostendens simul hanc orationem esse actum religionis secundum propriam speciem suam.*

R. Missa generali significatione qua dicitur oratio : quævis ascensio mentis ad Deum, sive per cogitationem sive per affectum, in honorem et cultum ipsius, speciali nunc seu stricto sensu definitur a theologis communiter, post Damascenum : *decentium à Deo petitio* (3). Quæ definitio tum deprecatoriæ mentali tum vocali orationi presse sumptæ communis est, et nunc ad mentem s. Thomæ explicanda venit.

1/ Itaque oratio sic intellecta vocatur primo : *petitio* ; hæc autem in genere dicitur : « actus quo aliquis ad

---

(1) In breviario ad sextam : « Rector potens, verax Deus, qui temperas rerum vices » ; in oratione dominicæ secundæ post epiphaniam : « Deus, qui cœlestia simul et terrena moderaris, » etc.

(2) *Conc. vatic.*, sess. III, *Const. dogm. de fide cath.*, cap. I (*Enchir.*, n. 1784) ; vide notam 6 supra ad p. 23.

(3) *De fide orth.*, l. 3, c. 24. Quam definitionem approbat s. Thomas in II-II, q. 83, a. 3 et in IV Sent., dist. 15, q. 4, a. 1. Nota quosdam auctores speciem aliquam orationis ulterius distinguere, inter late et stricte dictam intermediam : illam nempe mentis ascensionem « qua Deum laudamus, ei pro collatis donis gratias agimus, aut ejus auxilium petimus ». Dignant, *De virtute Rel.*, n. 19.

benevolentiam alterius appellat ad aliquid ab eo obtinendum per modum favoris » (1). Petitio igitur qua talis nullatenus a parte petentis obligationem imponit, etiamsi altera pars jam aliunde forsan ad petitum concedendum obligatur ; sed, quantum ex se est, desiderium petentis significat ut alium inducat ad illud benevolenter implendum.

Jamvero actus ille, secundum communiorem auctorum sententiam post s. Thomam, non est appetitivæ sed intellectivæ partis ; nam « et imperari, et petere sive deprecari, ordinationem quamdam importat, prout scilicet homo disponit aliquid per aliud esse faciendum ; unde pertinent ad rationem, cujus est ordinare » (2).

Patet autem petitionem hanc actum humanum esse debere ; unde jam sequitur vocalem orationem, sicubi nulla prorsus attentione nec formali nec virtuali proferri contingat, veram orationem dici non posse, sed materialem solum modo verborum prolationem præ se ferre, quamvis externam orationis speciem retineat.

Insuper, cum hic unice de oratione salutari sermo habeatur, ad petendum salutariter requiruntur sane fides et spes supernaturalis in adjutorium Dei promissionesque divinas, pariterque auxilium gratiæ. Possibilis quidem est oratio deprecatoria solo lumine rationis : ut si quis, naturali ratione sciens Deum omnia noscere et gubernare, ipsumque ad petita donanda operari posse etiam præter naturæ cursum, sic absque auxilio gratiæ decentia ab ipso peteret. Iste profecto jam inde orare

---

(1) Bouquillon, *De Religione*, I, n. 153.

(2) S. Thomas, II-II, q. 83, a. 1. — Cfr Bouquillon, *ib.* ; Prümmer, *Man. Theol. mor.*, II, n. 335 : « Subjectum proximum orationis non est voluntas, sed ratio practica. Ita s. Thomas, et manifeste patet ex definitione orationis, quæ est ascensio mentis ad Deum, vel petitio decentium a Deo. Nam orare est loqui ad Deum, intimare, manifestare suum desiderium. Jamvero isti actus sunt rationis practicæ. Cum tamen etiam desiderium voluntatis in oratione operatur, voluntas ad actum orationis excitat. Licet igitur oratio sit actus virtutis religionis residentis in voluntate, tamen ipsa formaliter elicitur a ratione ».

Deumque colere dici posset ; verum illud omne in ordine puræ naturæ remaneret (1).

2/ Porro, non quælibet aut de qualibet re petitio nomen orationis merebitur; sed solummodo petitio *decentium*. Illa enim petitio quæ ad Deum dirigeretur ad impetranda mala, scilicet peccaminosa, ut auxilium ad furtum patrandum, non oratio sed potius exsecratio dici deberet, ut notat Cajetanus (2) : quippe quæ in Dei contumeliam cederet loco honoris.

Itaque bona tantum in vera oratione petuntur, abstrahendo nunc a speciali determinatione hujus materiæ, et inter hæc bona, illud sane per se quod « ordinatur ad gratiam et gloriam consequendam » (3).

Quod autem quidam auctores hic in definitione addunt : ut et *decenter* fiat petitio, redundare videtur. prout advertit Suarezius : « primo dici potest, sub illa particula *decentium* includi etiam ut decenter fiat oratio, quia debet esse petitio et materiæ, et ei ad quem funditur, proportionata. Secundo et fortasse melius dicitur, in actu virtutis definiendo non esse necessarium adjungere modum requisitum ex parte operantis, sed solum ex parte ipsius actus, quia vel illud prius supponitur tanquam generale, solumque explicatur id quod est proprium et speciale ; vel certe illud prius est extrinsecum, et pertinens ad circumstantias actus, hoc autem posterius est intrinsecum, spectans ad substantiam ejus. Unde petitio decentium a Deo, quamvis ex parte operantis interdum fiat, modo, tempore aut loco minus opportuno, nihilominus

---

(1) Ad rem P. VERMEERSCH : « In ordine naturalis religionis, quia Deus etiam cognosceretur ut liber, providus ac bonus, locum obtinuisset oratio ; quæ de se probaretur utilissima ; deficiente tamen positiva promissione, infallibilem efficaciam non habuisset. Tanta autem est propensio nostra ad orandum cum necessitate premimur, ut etiam in ordine naturæ constitutus homo qui omnem fundere orationem renuisset, affectum prodiisset irreligiosum ». *Quæstiones de Virtutibus Religionis et pietatis*, n. 33.

(2) In II-II, q. 83, a. 4.

(3) S. THOMAS, *ib.*, a. 4.

substantiam et naturam orationis retinet, estque substantialiter bona, quamvis accidentalem defectum habeat; at vero petitio rei indecentis etiam substantiam orationis non retinet » (1).

Quod vero quidam theologi in definitione orationis notant: ut *pia* sit petitio, significando per hoc intentionem cultus divini ad orationis substantiam esse necessariam; verum quidem dicunt, ut in fine responsi explicabitur; attamen in ipsa definitione communiter non assumitur hæc particula, sed potius supponitur tanquam modus requisitus ex parte operantis.

3/ Tandem, oportet ut ad *Deum* dirigatur oratio petitionis nostræ. Nam, ut notat s. Thomas (2), in quantum oratio ad aliquem porrigitur tanquam per ipsum implenda, in tantum oportet ad illum recurrere qui potestatem habeat donandi: et hic est solus Deus. Ipse enim auctor est postulati boni, ipseque solus per seipsum petita concedere valet. Præterea oratio sub hac primaria ratione intellecta ad cultum latriæ pertinet, soli Deo tribuendum, estque actus religionis elicitus, ut statim dicemus; jamvero religio presse sumpta nil aliud est quam cultus exclusivus Dei, ob ejus nimirum incommunicabilem excellentiam qua est omnium creator, gubernator ac dominus.

Attamen et Sanctos pariter colimus atque oramus; verum alio cultu disparique ratione: nam in eis cultu duliæ propriam eorum excellentiam, creatæ scilicet sanctitatis, honoramus religione quadam inferiori; ipsos insuper imploramus qua Dei amicos, ratione virtutis impetrandi qua pollent, potestatisque ministerialis quæ a Deo in ipsos derivatur.

Quamquam et Sanctos orando, principalis intentio honoris divini hunc cultum duliæ optime imperare potest; imo omissa intentione duliæ, sola intentio divini

---

(1) SUAREZ, *De virtute et statu Religionis*, tract. 4, l. 1, c. 2, n. 5.
(2) *Ib.*, art. 4.

cultus in hac oratione exerceri potest : ut si quis in Sanctis propriam eorum excellen iam minime præ oculis haberet sed solam excellentiam Dei, quæ in eis tanquam ministris et templis singulariter resplendet. Quo sensu de devotione ait s. Thomas : « Devotio quæ habetur ad Sanctos Dei mortuos vel vivos, non terminatur ad ipsos, sed transit ad Deum, in quantum scilicet in ministris Dei Deum veneramur » (1).

4/ Restat ut orationis sic definitæ propriam rationem reddamus cur sit actus specificus religionis. Considerandum est nempe ipsum affectum orandi, ut ad Deum debite fiat petitio, « esse debere ex motivo colendi Deum, et offerendi illi mentem nostram, mediante oratione, ad colendum ipsum, recognoscendo et quasi protestando petitione ipsa nostram subjectionem ad Deum, et nostram indigentiam ac dependentiam ab ipso, et e converso potentiam ejus, bonitatem ac providentiam erga nos. Hic ergo affectus sub hoc motivo manifeste est actus elicitus a religione, cujus proprium munus est cultum Deo reddere » (2).

Ratio autem cur ille affectus religionis in orando sit necessarius, inde patet quod, ad impetrandum quod petimus, non sufficiat quovis modo petere, sed requiratur modus ex parte nostra aptus ad beneficium consequendum. Jamvero ex hac parte, petitum non ideo exspectare possumus quia ipsa oratione Deum nostræ indigentiæ certiorem tunc primum faceremus, nec magis quia petendo immutabile consilium ejus ad conversionem provocaremus ; sed solummodo quia sic agendo cultum et honorem ipsi nostra deprecatione exhibemus ; ad quod utique requiritur affectus religionis. Unde Deum ita colendo, nosmetipsos disponimus, ad beneficium accipiendum (3) ; et sic solummodo convenienter ora-

(1) II-II, q. 82, a. 2, ad 3.

(2) Suarez, *ib.*, c. 7, n. 4.

(3) Apposite Lehmkuhl, *Theol, Mor.*, I, n. 475 : ex sese enim, si modo debito fiat, ab intimo sensu nostræ indigentiæ procedit (oratio),

mus : scilicet *pie*, prout quidam auctores in ipsa definitione orationis notant.

Manifestum est igitur orationem veri nominis esse actum religionis secundum propriam speciem suam, – et quidem actum ejus elicitum, quod attinet ad ipsum affectum internum ; ipsa vero oratio dicetur actus religionis sive elicitus sive immediate imperatus, secundum diversam auctorum terminologiam de qua in præcedentibus disputavimus. Nec obstat quod ex affectu caritatis vel pœnitentiæ quis orare velit ; nam imperatur quidem oratio ex his virtutibus, sed non elicitur ; semper autem religio est quæ beneficium debite postulat. Quod sic concinne proponit s. Thomas : « Ad religionem proprie pertinet reverentiam et honorem Deo exhibere ; et ideo omnia illa per quæ Deo reverentia exhibetur, pertinent ad religionem. Per orationem autem homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit, et profitetur orando se eo indigere sicut auctore suorum bonorum. Unde manifestum est quod oratio est proprie religionis actus » (1).

---

atque hujus indigentiæ et dependentiæ a Deo plena agnitio et libera professio est, sed simul voluntaria agnitio divinarum perfectionum plenitudinis et excellentiæ, hujusque agnitionis erga Deum libens protestatio. Imo cur per orationem Deus, ut re ipsa fecit, nobis necessaria bona communicare constituerit, ratio præcipua hæc est, ut conscii maneamus nostræ erga Deum relationis, eamque, ut religio postulat, frequenter agnoscamus ».

(1) II-II, q. 83, a. 3. Quocirca scite advertit Suarezius non ideo inculpandas esse in genere orationes simplicium, quasi rationem cultus nullatenus attingerent sicque non vere orarent. Nam sufficit intentio cultus generalis, quæ facillime adest. « Satis est ergo ut qui orat, cognoscat se indigere ope Dei, et quod orando velit se Deo submittere tanquam superiori et potenti, quod sine dubio facit quisquis ex vera fide orat, etiamsi ex magno affectu ad rem postulatam, vel ex ingenti timore mali contrarii oret ; imo quanto hic affectus magis movet, tanto solent homines etiam simplices majori submissione et reverentia submitti Deo ad orandum ». *Ib.*, c. 7, n. 13. — Quodsi tamen aliquis, raro casu, nullo prorsus modo de cultu Dei cogitaret dum petit, scilicet nec de reverentia ac submissione erga Deum, nec de recognoscenda potentia ejus vel dependentia ab ipso, nec de re quadam æquivalenti, illius utique petitio nonnisi materialiter cultum divinum exhiberet, adeoque formaliter oratio non esset.

IV.

Q. *Breviter refuta sequentem difficultatem contra orationem ad Sanctos: vel exorantur Sancti ut ipsi nobis petita concedant, et hoc est contra honorem Dei auctoris omnis boni; vel ut pro nobis intercedant, quod est contra honorem Christi unici mediatoris. — Insuper superflua est hujusmodi oratio, siquidem Deus promptior est ad dandum nobis quam Sancti ad petendum pro nobis.*

R. *Ad primum.* Exorantur quidem Sancti partim ut nobis petita concedant potestate ministeriali, quod minime injuriosum est Deo; partim vero ut pro nobis intercedant qua mediatores secundarii et dependentes a mediatione Christi, quod nequaquam injuriosum est Christo. Utrumque punctum sic breviter explicatur :

a/ Profecto alio et alio modo ac intentione Sanctos et Deum imploramus, ut jam in præcedenti responso ostensum est. Quamvis enim quandoque contingat ut iisdem quasi verbis utrimque utamur, rogando v. g. ut et Sancti misereantur nostri nobisque petitum concedant, non alia tamen quam duliæ religione ipsos colere intendimus, nec quidquam ipsis tribuimus quod eorum dignitatem aut potentiam excedat, quodque Deo injuriam inferre possit.

Et sane, dum ipsos primo exoramus ut quoddam petitum nobis præstent, minime eos recognoscimus ut primum principium beneficii conferendi; sed hoc probe noscentes, Deum nempe Sanctis suis potestatem quamdam ministerialem sæpe conferre, consequenter rogamus ut ipsi, per exhibitionem hujus ministerii, Deo cooperarentur ad præstandum nobis postulatum, quantum scilicet ipsis a Deo commissum est. Et sic nequaquam Deo inferimus injuriam, dum v. g. Angelum nostrum oramus ut nos protegat atque custodiat; « sic etiam a Sancto aliquo, si credamus habere a Deo virtutem miraculorum, vel sanitatum, postulare possumus, ut id faciat secundum gratiam sibi a Deo concessam » (1).

---

(1) SUAREZ, *De virtute et statu Religionis*, tract. 4, l. 1, c. 10, n. 7

b/ Alio insuper et alio modo ad intercessionem confugimus Sanctorum, et Christi. Christus enim unicus est mediator noster, primarius scilicet et principalis, quatenus per passionem suam propria virtute nos liberavit; unde etiam talis est ejus mediatio ut a nulla alia pendeat, omnis vero alia pendeat ab ipsa. Verumtamen ipse Christus constituit, non secus ac Pater, ut et Sancti mediationis munus dependenter ab ipso aliquatenus participarent, sicque prærogativa ipsius quadam secundaria ratione membris corporis ejus mystici communicaretur.

Unde tum ad Christi mediationem præcellentem recurrimus, ut ipse pro nobis intercedens propria merita Patri præsentet; tum etiam ad subordinatam mediationem Sanctorum confugimus. Et dum hi eadem Christi merita pro nobis Deo offerunt, nil sane faciunt injuriosum Christo, sed contra hac ipsa agendi ratione exclusivam ejus dignitatem recognoscunt et extollunt (1). Dum vero personali supplicatione pro nobis intercedunt, nullo rursus modo derogant honori Salvatoris: sed vel ad ipsum recurrunt et orant, sic pro nobis munere fungentes mediatoris ad mediatorem ; vel ad Deum accedunt nixi meritis Christi, nobisque in Christo et propter Christum beneficia postulantes. Nec tandem oratio hujusmodi insufficientiam arguit mediationis Christi sive sollicitudinis ejus pro nobis, ut ex dictis sufficienter eruitur ; « quinimo oratio nostra ad Sanctos eorumque vicissim pro nobis intercessio plane conformis est illi divinæ

---

(1) Verum est nos etiam quandoque orare ut Deus propter Sanctorum merita nobis beneficium concedat. « Quod autem per hoc Christo nihil derogetur, patet, tum quia longe excellentior est modus mediationis Christi quam aliorum Sanctorum, nam ipse solus mediat solvendo et satisfaciendo pro omnibus de toto rigore justitiæ, et pro omnibus pænis temporalibus et æternis, et pro universis culpis ; tum etiam quia omnium Sanctorum merita fundantur in Christi meritis, et sunt veluti causæ particulares, quibus mediantibus merita Christi nobis applicantur ». SUAREZ, *ib.*, n. 12.

Providentiæ œconomiæ, juxta quam in ordine etiam supernaturali locus est influxui causarum secundarum, simulque prærogativæ Christi capitis a membris corporis ejus participantur » (1).

Ad secundum. Minime superflua est oratio ad Sanctos ; siquidem vult Deus ut ordo suæ providentiæ in nostram utilitatem sic adimpleatur.

Sane, ratio ad objectionem addita, si quid valeret, æque probaret a nemine nec pro seipso Deum esse exorandum, cum tanta sit erga singulos bonitas ejus. Et tamen, ut verbis s. Thomæ utamur, « dicendum quod Deus nobis multa præstat ex sua liberalitate, etiam non petita ; sed quod aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem : ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum, et ut recognoscamus eum esse bonorum nostrorum auctorem » (2).

« Igitur habet quidem Deus paratissimam voluntatem ad dandum, sed vult dare ordinato modo juxta dispositionem suæ providentiæ ; unde quædam vult dare non rogatus ; alia rogatus a nobis tantum ; alia et a nobis, et ab amicis viventibus rogatus ; alia exoratus etiam a Sanctis cum ipso regnantibus. Unde nos non oramus Sanctos quia de divina voluntate diffidamus, sed ut ordinem suæ Providentiæ impleamus ; nescimus enim quomodo disposuerit aliquid nobis dare, et ideo plures intercessores adhibemus » (3).

---

(1) Bouquillon, *De virtute Religionis*, I, n. 149.

(2) II-II, q. 83, a. 2, ad 3.

(3) Suarez, *ib.*, n. 21 ; ubi addit : « Atque ita per hoc nihil agimus contra fiduciam quam debemus habere in verbis Christi : Petite et accipietis ; et : si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam ; quia hæc promissio non excludit quin hæc petitio per nos vel per alios fieri possit, neque etiam excludit quin facilius exaudiatur petitio per unum facta vel oblata, quam per alium. Nam, ut infra dicemus, promissio hæc, ut infallibilis sit, multas conditiones requirit, quæ interdum inveniri possunt vel suppleri, accedente Sanctorum intercessione, et non sine illa, propter defectum nostrum »,

Ulterius autem efficacia hujusmodi orationis multipliciter apparet. Ut quædam notemus : ex meritis jam eruitur et dignitate Sanctorum ; dein ex ipsis precibus eorum, quippe quæ apud amicum Deum plurimum valent (1) ; adde quod, colendo eos, magis per hoc disponimur ad beneficia impetranda, etc.

Et per se quidem « quanto sunt (Sancti) Deo conjunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces » (2). Per accidens « contingit tamen quandoque quod imploratio inferioris Sancti efficacior sit, vel quia devotius imploratur, vel quia Deus vult ejus sanctitatem declarare » (3).

E. Hosten.

V.

De Kerk van Belgie onder het hollandsch bewind.

III. De Grondwetherziening.

V. *Beschrijf de beweging der belgische katholieken tegen het ontwerp van grondwet, door koning Willem op 18 Juli 1815 aan de goedkeuring der Belgen voorgesteld.*

---

(1) Cfr s. Thomas, *ib.*, a. 4.

(2) S. Thomas, *ib.*, a. 11.

(3) S. Thomas, *ib.*, ad 4. Quocirca scite advertit P. Vermeersch, *Quæstiones de virtutibus religionis et pietatis*, n. 35 : « Quare non imprudenter agunt qui speciali fiducia eos orant quorum beatificatio agitur. Facile enim in istiusmodi adjunctis causa esse potest cur Deus velit quædam per istos Sanctos obtineri ». Cfr etiam Bouquillon, *op. cit.*, n. 151 : « Sicut in corpore non omnia membra eumdem habent actum, neque in aliquo regno omnes ministri eodem funguntur munere, neque natura ubique easdem exserit vires : ita nemini mirum videri debet, si Deus dividens munera sua prout vult, specialia quædam beneficia per hos potius quam per alios velit elargiri Sanctos ; hinc neque superstitiosum dicere licebit, si idcirco fideles alios pro aliis gratiis obtinendis invocent Sanctos. Ad hæc, propter arctiorem alicujus Sancti ad certas personas, urbem, societatem, etc. relationem conjunctionemque, merito confidimus eum impensius etiam pro his intercedere, unde ceu patronum specialem posse invocari ».

A. In de eerste maanden van 1815, schenen de katholieke Belgen met den nieuw geschapen toestand verzoend, dank zij de toegemoetkomingen en herhaalde verklaringen van koning Willem, die we hooger (1) vermeldden, dank zij ook den gunstigen afloop van den veldslag tegen Napoleon, waar de Belg naast den Hollander voor de vrijheid had gestreden. Het verbond der Belgen en Hollanders was vastgeklonken op het slagveld, zoo meenden de diplomaten, en Willem I zelf riep in de Generale Staten geestdriftig uit, dat de geschiedenis eens de gevechten van Quatre-Bras en Waterloo zou aanwijzen als de twee schitterende kolommen van het nieuwe koninkrijk der Nederlanden. Doch de vrijheidsoorlog, aldus P. Albers (2), was eene flikkerende meteoor, die weldra plaats maakte voor dikke duisternis.

Deze begon reeds in te vallen bij de besprekingen over de grondwet. De conferentie van Londen (20 Juni 1814), die over het lot der Belgen had beschikt zonder ze te raadplegen, had ook beslist dat de grondwet, in Holland met vliegende haast in elkander gezet en op den 30n Maart 1814 aangenomen, ook voor den nieuwen Staat zou gelden, mits er de veranderingen aan te brengen, door den nieuwen toestand geeischt. Aan deze beslissing nu wenschte Willem I aanstonds gevolg te geven, toen hij koning der Vereenigde Nederlanden werd, en stelde daarom reeds op 22n April 1815 een grondwetscommissie in om te « overwegen welke veranderingen noodzakelijk of dienstig zouden zijn ».

Doch zoowel de samenstelling der commissie als de inhoud van het ontwerp der gewijzigde grondwet, dat allengerhand bekend werd, vooral de artikelen betreffende den godsdienst, moesten de Belgen zeer verbitteren.

Het bleek vooreerst dat Willem I, door zijn eigen landgenooten daartoe gedwongen, de door de mogendheden

---

(1) Zie hooger bl. 34.

(2) *Geschiedenis van het herstel der hierarchie in de Nederlanden*, Eerste Deel, bl. 47.

gewenschte versmelting niet durfde doordrijven ; wilde hij immers Noord en Zuid op denzelfden voet stellen, dan moest hij voor zijn grondwetscommissie vertegenwoordigers uit beide deelen van het rijk nemen *pro rata* van de bevolking, zoodat natuurlijk de zuiderprovinciën met hun drie milioen en half inwoners, sterker moesten vertegenwoordigd zijn dan de twee milioen noordnederlanders. Daar kwam echter niets van : in de commissie zetelden enkel elf Belgen, tegenover evenveel noordnederlanders, onder het voorzitterschap van Van Hogendorp, eveneens noordnederlander. Daarbij waren de belgische leden heel willekeurig uitgekozen en konden niet aangezien worden als ware vertegenwoordigers van het belgische volk ; terwijl er bij voorbeeld voor de provincie Luik drie vertegenwoordigers waren, hadden Brabant en Oostvlaanderen, tweemaal meer bevolkt, er elk maar een. Wat echter vooral het vertrouwen der katholieke Belgen van het ontwerp zou afkeeren, was het al te groote aandeel in de samenstelling der commissie geschonken aan de partij der nieuwsgezinden en vijanden van de Kerk (1).

Deze eerste redenen tot misnoegdheid waren te midden het oorlogsrumoer der beruchte « honderd dagen » aan velen ontsnapt. Des te meer gaf men naderhand aandacht aan de besprekingen en besluiten van het berek. Deze waren wel niet openbaar, doch genoeg lekte uit om de wantrouwende Belgen op de hoogte te brengen. Meer dan een hoofstuk gaf aanleiding tot mistevredenheid (2),

---

(1) Zie daarover DELPLACE, *o. c.*, p. 60 ss. en TERLINDEN *o. c.*, p. 74 ss. De belgische leden waren : de Thiennes, de Mérode, Raepsaet en Dubois, die zooveel mogelijk den vroegeren toestand wilden bewaren in ons land en in 't bijzonder de rechten van de katholieke Kerk verdedigden ; Dotrenge, Gendebien, Leclercq, Holvoet, De Coninck en de graaf van Aerschot, liberaalgezind en tegen de geestelijkheid gekant, en eindelijk de Méan en d'Anethan, die als onafhankelijk doorgingen.

(2) Zie bij BLOK, *Geschiedenis van het Nederlandsche volk*, dl. VII, bl. 337-349, een belangrijke uitzetting der werkzaamheden van de grondwetscommissie, naar brieven en gedenkschriften uit dezen tijd.

doch we hebben ons hier enkel bezig te houden met de artikelen die het meest opspraak verwekten, namelijk degene, die de verhouding moesten regelen tusschen den Godsdienst en den nieuwen Staat (art 190-196 van het ontwerp).

De hollandsche grondwet gaf gelijke bescherming aan alle gezindheden, en waarborgde volkomen vrijheid van godsdienstige begrippen ; dit wilde men thans aan gansch het nieuw koninkrijk toepassen. De belgische katholieke leden hadden daar echter geen vrede mede : ze drongen aan, opdat bij de godsdienstartikelen zou gevoegd worden, dat de rechtstoestand van den katholieken godsdienst zou geregeld worden door een concordaat, zoohaast mogelijk met den H. Stoel te sluiten, en dat intusschentijd in de zuiderprovinciën het statu quo mocht bewaard blijven. Dit amendement door acht belgische en twee hollandsche leden gesteund, en naar het schijnt door den koning zelf begeerd (1), werd echter verworpen. De bepalingen der hollandsche grondwet bleven behouden, alleen de bepaling, dat de koning den hervormden godsdienst moest belijden werd geschrapt ; verders werd beslist dat de openbare godsdienstoefening niet slechts « toegelaten » was, zooals in 1814, maar niet mocht « belemmerd », dan in geval zij « de openbare orde of veiligheid zoude kunnen storen » (2).

Ook bij andere hoofdstukken van de grondwet stelden de katholieke leden (nl. de Thiennes, Dubois en Raepsaet) wijzigingen voor : zoo deden ze namelijk pogingen om de bisschoppen als leden van de 1ste kamer te doen aannemen, alsook om den invloed van het geestelijk gezag op het onderwijs en het armwezen te versterken ; doch al deze pogingen bleven vruchteloos.

Er was dus in geenen deele aan de welbekende eischen

---

(1) Volgens RAEPSAET, *Journal des séances de la Commission chargée de rédiger un projet de constitution*. (t. VI van *Œuvres complètes*) p. 170.

(2) Zie den vastgestelden tekst bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 78.

en verlangens der katholieken voldoening gegeven; integendeel, het ontwerp-grondwet scheen voor de katholieken min voordeelig dan de hollandsche grondwet van 1814. daar het zoo bijzonder nadruk legde op het toezicht door den Staat te houden op den « publieken godsdienst » en op de zorg, aan den koning toevertrouwd, om alle gezindheden te houden « binnen de palen der gehoorzaamheid aan de wetten van den staat » (art. 196).

Algemeen was dan ook de teleurstelling en de verbittering in de zuiderprovinciën, toen de koning in een proclamatie van 18n Juli liet weten dat het ontwerp gereed was en dat de notabelen eerlang zouden aangeduid worden om, in naam des volks, de nieuwe grondwet te aanvaarden of te verwerpen (1). De koning had het niet gedurfd den inhoud zelf van de grondwet bekend te maken, hij liet enkel de VIII artikelen van Londen afkondigen, ten einde deze te doen doorgaan als den grondslag en de rechtvaardiging van de grondwet zelf Deze rechtvaardiging kwam echter veel te laat: waren de beruchte londensche artikelen vroeger bekend gemaakt geweest, dan hadden onze katholieke landgenooten van 't begin af kunnen inzien dat de schuld verder lag, namelijk bij de mogendheden, die ons land als een veroverd land aangezien hadden en het bijzonderste van de grondwet opgedrongen. Nu echter ging de mistevredenheid naar den koning, dien men na zooveel ijdele beloften van eerbied voor den godsdienst, niet verder meer scheen te mogen betrouwen (2).

---

(1) Over de wijze, waarop de grondwet in Belgie moest worden aangenomen heerschte aanvankelijk verschil van meening: Raepsaet wilde daartoe de oude Staten bijeenroepen, de Thiennes en de Mérode waren voor een eenvoudige afkondiging namens den koning, Dotrenge begeerde de bijeenroeping eener vergadering van notabelen. Op dit laatste voorstel werd ten slotte ingegaan: voor elk arrondissement zou een lijst opgemaakt worden (1 op 2.000 inwoners) onder toezicht der regeering; maar de notabelen die er op voorkwamen zouden gedurende acht dagen door de huisvaders mogen geweigerd worden. BLOK, *t. a. pl.*, bl. 344.

(2) TERLINDEN, *o. c.*, p. 79 ss.

De mistevredenheid nam nog toe, toen de lijsten der notabelen bekend gemaakt werden, daar die lijsten vele namen bevatten van allerlei vijanden van de Kerk, onder anderen van oud beëedigden en zwartgoedkoopers uit den franschen tijd. Op sommige plaatsen werden die officieele notabelen in grooten getale geweigerd, terwijl elders de door de regeering uitverkorenen voor de opgedragen taak zelf bedankten.

De kerkelijke overheid kon natuurlijk in zulke omstandigheden ook niet onverschillig blijven : ze was regelmatig op de hoogte gehouden geweest der besprekingen, door twee trouwe katholieke leden der grondwetscommissie, en had ook langs dezen weg de verlangde waarborgen trachten te verkrijgen voor den godsdienst. Daar deze onrechtstreeksche tusschenkomst niet gebaat had, wilde ze, aanstonds na de koninklijke proclamatie, nog eene laatste poging wagen : op 28ª Juli richtte ze tot den koning een « eerbiedige klacht » waarin ze het ontwerp strijdig noemde met den geest van de Kerk en de decreten van het concilie van Trenten. Zij heette de vrijheid aller godsdiensten een der hoofdbeginsels der moderne valsche philosophie en treurde, wijl dat noodlottig artikel de belgische bevolking in droefheid had gedompeld. Het stuk was geteekend door de bisschoppen van Gent, Namen en Doornik, alsook door de generaalvicarissen der vacante bisdommen Luik en Mechelen (1). Van den Haag kwam er geen antwoord.

Nu was het voor de overheid een plicht de geloovigen zelf te vermanen. Reeds aanstonds na de koninklijke proclamatie van 18 Juli werd aan al de notabelen een naamlooze omzendbrief besteld, uitgaande van het bisschoppelijk paleis van Gent en geheeten « Avis aux notables de Belgique », waarin bewezen werd dat het aan

(1) Zie *Recueil des Mandements*... p. 271. De bisschoppen kloegen ook dat ze in eene zaak van zulke aangelegenheid niet waren geraadpleegd, en, naar ze hadden vernomen, voor de toekomst ook buitengesloten zouden blijven uit de wetgevende Kamers.

katholieken in geweten niet geoorloofd was de grondwet te stemmen (1). Den tweeden Augustus daarop teekende Mgr de Broglie van Gent zijn veelbesproken mandement. Op grond der H. Schrift en van het Concilie van Trenten bewees hij in aansluiting bij de leer van Pius VI en Pius VII, dat het beginsel van de vrijheid van godsdiensten strijdig is met de katholieke Kerk, noodlottig voor het behouden der ware religie, dat het de dwaling en de onverschilligheid in godsdienstzaken begunstigt. Daarom verbood hij aan alle notabelen van zijn bisdom aan de gewraakte artikelen der grondwet hun stem te geven (2). Een open brief in denzelfden zin schreef Forgeur, generaal-vicaris van Mechelen, den 7 Augustus. Mgr Hirn van Doornik verzette zich tegen de vrijheid van godsdienst in zijn herderlijken schrijven van 11 derzelfde maand. Een dag vroeger werd dat van Mgr Pisani, bisschop van Namen, onder de pers in beslag genomen (3).

De regeering deed haar best om den indruk dezer verklaringen weg te nemen, niet door matiging maar door krachtig optreden : zij gaf bevel den herderlijken brief van Mgr de Broglie bij de pastoors en de bijzonderen van het bisdom Gent aan te slaan (4) en liet overal

---

(1) In-8°, 12 pp. Het stuk was opgesteld door Kan. Lesurre, vikaris generaal te Gent. Enkele dagen later, in den maand Augustus, kwam een ander vlugschriftje uit met zelfde doel en onder titel : *Solution d'une question très importante.* Vooraleer nog de uitslag der besprekingen bekend was, had Kan. De Lantsheere van Mechelen, die goed stond met Rome, aan Kard. di Pietro, inlichtingen gevraagd nopens de gedragslijn die moest gevolgd, bijaldien door de grondwet de openbare eeredienst der protestanten in Belgie zou toegelaten worden. Rome oordeelde echter geraadzaam daar nog geen antwoord op te geven.

(2) Zie *Recueil des Mandements...* p. 275.

(3) TERLINDEN, *o. c.*, p. 88. *Recueil des Mandements...* p. 438 ss.

(4) Op 10 Aug. werd E. H. de Foere, hoofdopsteller van *Le Spectateur belge* gevangen gezet, en kregen de brugsche drukkers verbod nog iets te drukken 't zij voor 't zij tegen de grondwet. Terwijl men echter de vrijheid van drukpers, ten nadeele der katholieken aldus aan banden legde, mochten de officieele bladen en liberale uitgevers vrijen teugel vieren in hunne aanvallen tegen de geestelijkheid. Zie DELPLACE, *o. c.*, p. 73.

officieel verklaren dat de londensche artikelen de gelijkstelling der godsdiensten eischten; de koning zelf toonde ondubbelzinnig zijn mistevredenheid (1). Maar dit alles kon niet beletten, dat op 18 Augustus, dag der stemming, van de 1573 notabelen ongeveer 250 niet verschenen en van de overigen niet minder dan 796 het ontwerp verwierpen, onderwie 126 uitdrukkelijk verklaarden, dat zij het deden wegens de artikelen over den eeredienst: slechts 527 notabelen stemden er voor (2).

Met verontwaardiging vernam men in Holland deze beslissing der Belgen, die den koning in eenen moeilijken toestand bracht Twee wegen kon Willem I thans inslaan, maar zag op beide bijna onoverkoombare hinderpalen: beschouwde hij de wet als verworpen, dan kwam hij in botsing met de mogendheden, die één Staat verlangden en één grondwet, en in die grondwet gelijkstelling der belijders aller godsdiensten; daarbij kon hij niet hopen dat de hollanders die eenparig de wet hadden gestemd op hun besluit zouden terugkomen. Wilde hij echter de grondwet, niettegenstaande de afstemming uitvaardigen, dan moest een redmiddel gezocht. De laatste weg werd gekozen maar het noodig middel om daarbij de gemoederen tot bedaren te brengen — zooals zeker zou geweest zijn een rechtzinnig onderhandelen met den H. Stoel en de bisschoppen — vond koning Willem niet, of beter wilde hij niet vinden. Hij zou de

---

(1) Blok *t. a. pl.* bl. 347.

(2) Zie bij Terlinden, *o. c.* p. 97 den uitslag der stemming in de verschillende arrondissementen van het land. Voor het bisdom Gent hebben we den volgenden uitslag:

Gent	10	voor de grondwet,	70	tegen.
Dendermonde	24	»	56	»
Eekloo	13	»	5	»
Audenaerde	20	»	37	»
Brugge	26	»	39	»
Veurne	4	»	12	»
Yper	0	»	50	«
Kortrijk	2	»	71	»

grondwet met geweld doordrijven en niet achteruit gaan voor 't geen hij meende te zijn een tegenwerking van enkelen (1).

Op 24 Augustus, 's Konings verjaardag, werd na een kunstig gegoochel met cijfers (2), de grondwet bekrachtigd. De proclamatie die dit kenbaar maakte bevatte een scherpe uitlating tegen de « verduistering » der waarheid door « eenige menschen, van welke de maatschappij integendeel het voorbeeld der evangelische liefde en verdraagzaamheid verwachten mocht ». Deze bittere woorden tegenover de kerkelijke overheid waren slechts de voorbode van de kleingeestige vervolgingen, waarover we het later zullen hebben. Met dit alles echter verloor koning Willem voor goed het vertrouwen van zijn katholieke onderdanen (3).

R. Deschepper.

---

(1) Albers, *t. a. pl.* bl. 48. Terecht doet Terlinden (*o. c.*, p. 84) opmerken: « Sa grande faute (du roi) consistait à avoir tenu si longtemps secrètes les conditions arrêtées pour la réunion de la Belgique et de la Hollande et à avoir fait maître et entretenu par ses promesses solennelles des espérances et des illusions, qu'il savait ne pouvoir réaliser. Mais, s'il ne pouvait rien changer an projet de Loi fondamentale, le roi eut, tout au moins, pu répondre aux évêques et essayer d'apaiser leur craintes, en précisant le sens véritable et la portée réelle des dispositions contestées ».

(2) De 250 afwezigen, alsook de 126 die om reden der godsdienst artikelen door de mogendheden opgedrongen, hadden tegen gestemd, werden bij de voorstemmers gevoegd. Dit noemden de Belgen « arithmétique neerlandaise ». Zie de proclamatie in *Recueil*... p. 443.

(3) Reeds in 1816 schreef Raepsaet (*o. c.*, p. 180): « C'est à cette époque que l'on peut fixer celle où le roi perdit l'amour et la confiance des Belges... c'est à cette époque que, par la fausse et tout à la fois petite politique des conseillers confidents du roi, tout hollandais, a été mis le sceau à la perte du roi et du royaume..., comme nos enfants le verront ».

VI.

De jure benedicendi et tangendi Missæ suppellectilem.

Q. Quinam a/ *benedicere* et b/ *tangere* possunt sacram Missæ suppellectilem?

R. Inter diversa utensilia quæ in missæ celebratione adhibentur:

1/ Quædam sunt quæ nullo ritu speciali sed *solo usu* cultui divino destinantur, v. g. missale, candelabra, campanulæ, ampullæ, manutergium, etc.

2/ Alia sunt quæ ante usum liturgicum indigent *consecratione* proprie dicta, qua stabili modo cultui publico addicuntur precum formula ab Ecclesia præscripta (can. 1148, § 2) cum olei sacri unctione. Sunt nempe, præter ipsum altare, calix et patena. Has « consecrationes nemo qui charactere episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel jure vel apostolico indulto id ei permittatur » (can. 1147, § 1).

3/ Alia tandem sunt quæ debent *benedici* benedictione constitutiva, qua per formulam ab Ecclesia præscriptam (can. 1148, § 2) cultui publico permanenter addicuntur, ita ut ad usus profanos converti jam nequeant.

Benedici *de præcepto* debent: vasa quæ continere debent sacras hostias (1): pyxis, et lunula, et tabernaculum (2); inter vestes sacras (3): casula, stola, manipu-

---

(1) Missale, *Rit. cel.*, II, 3. Et hoc solent auctores extendere ad ostensorium, quamvis benedictio dicenda sit maxime conveniens potius quam stricte præscripta; formula in Ritualis appendice. Etiam capsæ SS. Reliquiarum et vasa SS. Oleorum benedici possunt formula in eadem appendice posita.

(2) Dec. S. R. C. n. 4035, 4. Formula in Rit. VIII, 23.

(3) Juxta Missale (*Rit. cel.*, I, 2) agens de *sacerdote missam celebraturo*, debent paramenta esse benedicta. Sed hæc non videntur stricte applicanda indumentis ministrorum, nec pluviali quod non adhibetur in missa, nec cingulo quod habetur tantum ut accessorium vestimenti. Formula adest in Rituali, VIII, 20.

lum, alba et amictum ; præterea mappæ altaris (1), corporalia et pallae (2); non vero purificatorium (D. 2572, 12). Omnino *conveniens* est ut benedicantur cingulum, dalmatica et tunicella ; congruit ut etiam benedicantur pluviale, imo et superpelliceum presbyterale. Velum humerale, antipendium, velum calicis et bursa corporalis possunt benedici una cum vestibus sacris.

I. **Quinam benedicere possunt ?**

De benedictionibus *universim* regulam generalem statuit can. 1147, § 2 : « Benedictiones impertire potest quilibet presbyter, exceptis iis quæ Romano Pontifici aut Episcopis aliisve reservantur ».

In specie quoad sacram missæ supellectilem ponit canon 1304 reservationem, ejusque limites accurate determinat :

« Benedictionem illius sacræ supellectilis quæ ad normam legum liturgicarum benedici debet, antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire possunt :

1° S. R. E. Cardinales et Episcopi omnes [sine limitatione quoad loca] ;

2° Locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes, pro ecclesiis et oratoriis proprii territórii ;

3° Parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suæ parœciæ positis et rectores ecclesiarum (3), pro suis ecclesiis ;

4° Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et jurisdictionis delegantis (4) ;

5° Superiores religiosi et sacerdotes ejusdem religionis

---

(1) Vide formulam in Rit. VIII, 21.

(2) Formula ibidem VIII, 22.

(3) Notandum est pro solis « rectoribus ecclesiarum » dici tantum « pro suis *ecclesiis* » quin addatur « et *oratoriis* ». Debent igitur esse rectores « ecclesiarum » et non tantum alicujus oratorii aut instituti adnexum habentis oratorium : pro hoc recurrendum videtur ad parochum.

(4) Hoc est: certe non extra territorium jurisdictionis delegantis, nec, ut videtur, pro ecclesiis extra hoc territorium sitis.

ab ipsis delegati pro propriis ecclessiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subjectarum » (1).

Benedictiones tamen ultra hos limites a sacerdotibus peractæ illicitæ quidem sunt sed non invalidæ. Ait enim can. 1147, § 3 : « Benedictio reservata quæ a presbytero detur sine necessaria licentia, illicita est, sed valida, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit », quod in casu non fit.

II. **Prohibitio tangendi** sacram suppellectilem non sequitur ex facto consecrationis aut benedictionis, quum unusquisque tangere possit altare consecratum vel mappas vestesve sacras benedictas. Oritur ex lege speciali quam Ecclesia ex reverentia erga SS. Sacramentum ponit relate ad ea quæ immediate tetigerunt SS. Corpus et Sanguinem Christi.

Vasa sacra quæ actu continent SS. Eucharistiam nemo extra casum necessitatis seu periculum profanationis, tangere potest præter solos presbyteros et diaconos.

Ulterius statuit can. 1306, § 1 : « Curandum ne càlix cum patena et ante lotionem purificatoria, pallæ et corporalia, quæ adhibita fuerunt in sacrificio missæ, tangantur, nisi a clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent ».

Quamvis hic nominentur tantum *calix* et *patena*, prohibitio extendenda est ad cetera « *vasa sacra* » vacua et purificata ; quo nomine veniunt etiam pyxis seu ciborium, lunula ejusque parva custodia, imo et ostensorium.

Hæc post primum usum tangere possunt soli :

a/ clerici seu qui primam Tonsuram receperunt:

b/ « ii qui eorum vasorum custodiam habent » aut « quibus credita sit cura sacræ supellectilis » (can. 1302). Custodes ergo seu sacristæ et alii quibus rector ecclesiæ committit — etiamsi ad paucos dies — curam sacristiæ aut sacræ supellectilis, non exclusa moniali v. g. in con-

---

(1) Agitur de « monialibus » quæ fruuntur privilegio exemptionis ad normam can. 615.

ventibus, vi nominationis suæ accipiunt facultatem tangendi vasa sacra, quæ non debet ipsis specialiter concedi vel renovari (1). Eamdem licentiam extendunt auctores ad operarios quibus committuntur vasa sacra restauranda.

Ceteris autem, sine indulto apostolico (D. 4198, 15) hoc non licet nisi in casu necessitatis, aut juxta plures nisi adhibeatur velum aliquod.

Eadem prohibitio applicatur « *purificatoriis, pallis et corporalibus* » modo *a*/ « adhibita fuerint » et quidem « in sacrificio missæ » et *b*/ nondum sint lota. Non extenditur ad corporale quod tantum ponitur sub vasis sacris in tabernaculo, nec ad parvum purificatorium quo sacerdos digitos extergit post distributam S. Communionem.

Pro *lotione* autem quia intimior est contactus, specialis et strictior est prohibitio, quam statuit can. 1306, § 2: « Purificatoria, pallæ et corporalia in missæ sacrificio adhibita, ne tradantur lavanda laicis etiam religiosis [aut etiam clericis in minoribus constitutis], nisi prius abluta fuerint a clerico in majoribus ordinibus constituto (2); aqua autem primæ lotionis mittatur in sacrarium vel si hoc desit, in ignem ». Nota hic agi de « prima » lotione, quam laicus deinde in alia aqua perficere potest.

C. Callewaert.

---

(1) Vult tamen Episcopus Brugensis ut hac de re consulatur, quoties aliquod dubium est de omnimoda probitate vitæ administrorum laïcorum.

(2) Cf. Decret. Grat., cap. 40, dist. 1, de Cons. et *Pontificale Rom.*, ordinatio subdiaconi.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis januarii propositas.

—

I.

In Act. Apost., XVIII, 22.

Q. *Quæritur quonam* ascenderit *Paulus et quænam intelligatur* ecclesia *in v. quo concluditur secundum iter apostolicum s. Pauli*, Act. Ap., XVIII, 22.

R. Decursu secundi itineris quod videtur protraxisse a tempore verno a. 50 usque ad æstatem a. 52, perambulaverat Paulus varias regiones Asiæ et in Europam transierat, ubi potissimum prædicando visitaverat Philippos, Thessalonicam, Berœam et Athenas, et tandem per annum cum dimidio moratus est Corinthi (1); hinc molitur navigare in Syriam, « postquam — ut habet textus græcus — in Cenchris — qui erat portus Corinthi orientem versus — sibi totonderat caput, seu capillos deposuerat (2): habebat enim votum » (3). Hinc devenit Ephesum et synagogam ingressus verba facit cum

---

(1) *Act. Ap.*, XVIII, 11.

(2) *Act. Ap.*, XVIII, 18. Immerito quidam hunc vers. intelligunt quasi de *Aquila* diceretur eum sibi caput totondisse.

(3) Hoc *votum* Pauli non videtur intelligendum votum *Nazareatus* (de quo cfr *Num.*, VI, 1 ss.; *Act.*, XXI, 23 s.), quum Apostolus capillos abscindere non potuisset nisi postquam Hierosolymam pervenisset: coram Tabernaculo enim coma radebatur et flammis sacrificii, quod Nazaræus offerebat, comburebatur (*Num.*. VI, 18). — Probabilius agitur de voto quale Judæi non raro post quoddam magnum beneficium a Deo acceptum vovebant, offerendi nempe in templo sacrificium quoddam gratiarum actionis et triginta diebus antea capillos deponendi et a vino abstinendi.

Judæis ; rogantibus autem eis ut ampliori tempore maneat, non consentit, sed valedicens eis, reversurum se promittit. Hæc festinantia optime intelligitur ex eo quod, juxta votum suum, volebat triginta ad summum diebus inde a depositione capillorum (1), Hierosolymam advenire ; — cæteroquin quædam hujusmodi intentio Pauli totis verbis enuntiatur in textu qui in Vulgata quidem deest, sed probabilius authenticus est ; sic enim legitur in v. 21 : « Oportet ut ego omnino proximum festum Hierosolymis celebrem » (2).

Unde ab Epheso profectus est, « *et descendens Cæsaream, ascendit, et salutavit Ecclesiam, et descendit Antiochiam* » (v. 22). — Hæc verba nobis explicanda sunt, signanter inquirendum *quonam* Paulus *ascenderit.*

Porro duplex est hac de re sententia : alii, ut Blass, Holtzmann, Zahn, Wikenhauser (3), æstimant Paulum *descendisse* e navi *Cæsaream*, a portu *ascendisse* in civitatem *Cæsaream*, ibidem *salutasse ecclesiam* indeque tandem *descendisse Antiochiam ;* — alii contra æstimant Paulum revera e navi *descendisse Cæsaream*, indeque *ascendisse Hierosolymam*, ibidem *salutasse ecclesiam* et ab Hierosolymis descendisse Antiochiam. — Hæc altera sententia, quæ est longe communior inter interpretes, nobis omnino tenenda videtur. Revera :

1/ *Sententiæ oppositæ* plura opponi possunt haud spernenda argumenta ; ita : *a/* sat facile intelligeremus quod

---

(1) Vide dicta in nota præcedente.

(2) Hæc lectio — quam habet textus *receptus* — legitur etiam in codd. D, G, H., in vers. syr. utraque, in versionibus arab. et slav., et apud s. Chrysostomum ; — omittitur in codd. sin., A, B, E, et in verss. vulg., copt., sahid., æthiop., armen. — Porro facile explicatur quare verba illa prætermissa fuerint ; nempe quia v. 22 non clare dicitur Paulum reipsa Hierosolymam ivisse, suppresserint in v. 21 mentionem hujus Pauli consilii Hierosolymam eundi ; — ex opposito difficile explicatur quare aliquis in v. 21 hujusmodi verba adjecisset.

(3) Vide WIKENHAUSER, *Die Apostelgeschichte und ihre Geschichtswert*, Münster, 1921, pp. 237 ; hanc priorem sententiam quæ negat Paulum Hierosolymam ivisse ipse ut probabilem habet.

diceretur Paulum *descendere* de navi ad terram et *ascendere Cæsaream*, sed inobvium est dictu Paulum *descendere Cæsaream* et *ascendere in eamdem Cæsaream*, — eo vel magis quod civitas hæc equidem altior erat ripa maris, ast non posita in altitudine proprie dicta (1), et plateæ ejus principales usque ad ipsum portum protendebant (2); — *b*/ quomodo potest Paulus dici *descendere* (3) *a Cæsarea*, civitate maritima, *ad Antiochiam*, quæ altius erat posita? — *c*/ in hac sententia nulla apparet ratio quare Paulus in vv. 19-21 tam mira festinatione Ephesum relinquere et Antiochiam tendere voluerit; — *d*/ si vere ita festinanter Antiochiam venire cupiebat, quare non recta via eo tendisset, sed contrà primo ivisset Cæsaream, tam longe ultra Antiochiam sitam? — *e*/ tandem non habent quid in hujusmodi hypothesi faciant verba Pauli v. 21 quæ authentica videntur (vide supra): Oportet ut ego omnino proximum festum Hierosolymis celebrem.

2/ Contra *in sententia nostra* hæc omnia perfecte intelliguntur; ita, ut eodem ordine ea quæ priori sententiæ objiciebamus resumamus: *a*/ obvium est dictu Paulum a via sua maritima descendere Cæsaream indeque *ascendere Hierosolymam;* civitas enim sancta relate ad Cæsaream altior erat posita; cæteroquin *ascendere* ἀναβαίνειν, in N. T. regulariter adhibetur ubi agitur de itinere hierosolymitano (4), imo etiam absolute, seu omissa indicatione civitatis, *ascendere* idem est quod *tendere* Hierosolymam, eodem modo quo *descendere* sæpe adhibetur de iis qui a civitate Jerusalem versus alias partes Palæstinæ iter instituebant, imo non raro absolute, omissa iterum mentione civitatis sanctæ (5); et quidem infra, *Act. Ap.*, XXIV, 1

---

(1) Jamvero *ascendere* in N. T. semper dicitur de itinere a loco humiliori in locum altiorem.

(2) Le Camus, *L'œuvre des Apôtres*, t. II, p. 393.

(3) *Descendere* in N. T. semper dicitur de itinere a loco altiori in locum inferiorem.

(4) Hoc sensu, omissis aliis libris N. T., in ipsis *Act. Ap.*, occurrit: XI, 2; XV, 2; XXI, 12, 15; XXIV, 11; XXV, 1, 9.

(5) Cfr *Jo.*, VII, 8, 10; XII, 20; *Lc.*, II, 51; X, 31; *Act. Ap.*, VIII, 15 (t. gr.); XXIV, 1, 22.

et 22, *descendere* absolute sumptum præcise dicitur de iis qui ab Hierosolymis iter instituunt versus Cæsaream ; — *b*/ obvium est dictu Paulum *descendere Antiochiam:* ab Hierosolymis enim, altius positis, iter instituit versus Antiochiam; — præterea Paulus, votum habens, sibi totonderat capillos Cenchris, prope Corinthum, et trigesima abhinc die debebat in templo hierosolymitano sacrificio oblato voti sui expletionem absolvere (vide supra); sic intelligimus *c*/ quare festinaverit ab Epheso discedere, — *d*/ quare recta via iverit Cæsaream, quæ erat quasi portus civitatis sanctæ, — *e*/ sensum aptissimum habent supra relata verba v. 21 : novit Paulus ad summum triginta adhuc dies currere ante festum illud (Pentecostes?) quod sibi cogitat, sicque merito affirmat: pro proximo illo festo debeo adesse Hierosolymis festumque illud ibi celebrare.

Neque huic sententiæ *objiciatur : a*/ *Ecclesiam* v. 22 obvie intelligi eam quæ h. l. exspectatur, Ecclesiam nempe localem Cæsareæ (1) ; — *respondetur* enim ex verbis illis v. 21, ergo statim ante v. 22, critice supplendis: « Oportet ut ego omnino festum proximum Hierosolymis cel brem » magis obvie intelligi ecclesiam hierosolymitanam (2); — *b*/ ἀναβάς v. 22 sine addito non posse aliud significare quam *ascendens Cæsaream ; — resp.* enim ἀναβαινειν sine addito optime posse de itinere hierosolymitano intelligi (3), et hoc eo facilius h. l. a lectoribus intelligi poterat quod in lectione authentica v. 21 statim supra dictum erat de consilio Pauli Hierosolymam eundi et quod Cæsarea erat portus maritimus civitatis sanctæ (cfr *Act. Ap.*, IX, 30) ; — *c*/ infra, XIX, 1 loco eorum quæ Vulgata refert, græce legitur textus quem sic vertere possumus : *Paulo autem volente, secundum propriam voluntatem ire Hierosolymam, dixit ei Spiritus*

---

(1) PRAT, in *Recherches de Science religieuse*, 1914, t. V, p. 482.

(2) Cæteroquin « *Ecclesia* » facile intelligitur de Ecclesia κατ᾽ἐξοχήν, nempe hierosolymitana.

(3) Cfr *Jo.*, VII, 8, 10; XII, 20.

ut reverteretur in Asiam. Peragratis autem superioribus partibus, venit Ephesum et inveniens quosdam discipulos dixit... ; ex his verbis apparet Paulum XVIII, 22 *non* ivisse Hierosolymam: adhuc enim cogitat eo ire; ergo XVIII, 21 habuerit utique consilium eundi Hierosolymam, v. 22 descenderit Cæsaream, sed ibidem monitus, puta per prophetas, de non adeundo civitatem sanctam, tetenderit Antiochiam; – *respondetur:* lectio illa XIX, 1 sub respectu critico parum admodum probabilis est ; et, si authentica esset, minime probaretur consilium adeundi Hierosolymam de quo XIX, 1 idem esse ac consilium de quo XVIII, 21: nihil impedit quominus Paulus a Corintho ierit Hierosolymam et exinde, redux Antiochiam, iterum de adeunda civitate sancta cogitaverit (1).

A. VANDER HEEREN.

II.

De origine generis humani.

Q. *Demonstra universum genus humanum ab uno protoparente Adam ortum habere.*

R. — Ut recte intelligatur propositio demonstranda, per modum prænotaminis ad argumenta præmittere juvat :

a/ Agitur in thesi de genere humano vivente *in hac terra*. Utrum necne existant alia entia rationalia in quibusdam astris, fortasse in aliis quam in his quæ novimus scientia astronomica, simpliciter nescimus : de hisce tacet revelatio; scientiæ naturales pariter nihil nos docent (1).

---

(1) Cfr COPPIETERS, *De historia textus Actorum Apostolorum*, pp. 183 ss.

(2) Advertatur tamen exinde nullam difficultatem exsurgere contra veritates certo revelatas, ut puta contra dogmata incarnationis et redemptionis, nam hæc spectant genus humanum, quod in terra habitavit et habitat. Ceterum, si quis velit homines alibi existentes fingere, nescimus adhuc utrum necne fuerint ad ordinem supernaturalem elevati, et si supponantur elevati, nescimus rursus utrum necne peccaverint, et si peccaverint, potuerit Deus alia ratione ac pro genere

b/ Agitur de genere humano *inde ab hac epocha cujus initium narratur in Genesi*, adeoque thesis enuntiat omnes homines, quotquot fuerunt et sunt ab illo momento hisce in terris, ortum habere ab uno Adamo, qui ibidem a Deo creatus dicitur.

Voluerunt autem quidam primam exstitisse generationem quamdam humanam, quæ tota tamen, aiunt, ante Adamum periit (1). Talis opinio non ita manifeste repugnat doctrinæ catholicæ, quam statim statuemus, sed nullis validis argumentis ex revelatione aut ex scientiis profanis commendatur (2).

Contrà, certo contradicit revelationi hæc doctrina, quæ tenet in capite primo Geneseos narrari creationem maris et feminæ, e quibus orti essent gentiles, et in capite secundo referri creationem Adæ et Evæ, e quibus judæi propagati essent (3).

Veritatem catholicam pariter lædunt multi rationalistæ et evolutionistæ, qui plures species humanas primitivas admittunt et omnes homines cujusvis stirpis humanæ ex uno protoparente oriundos consequenter negant (4).

Propositio porro probatur theologice ex fontibus revelationis.

---

humano hac in terra degente, hunc ordinem disturbatum reparare, si libere hoc voluerit, vel condonando simpliciter injuriam, vel exigendo tantummodo reparationem inædaquatam, uti latius explicatur in tractatu de Verbo incarnato, ubi de necessitate incarnationis dicitur.

(1) Ita J. Fabre d'Envieu, *Les origines de la terre et de l'homme, d'après la bible et d'après la science*, Paris, 1873.

(2) Cfr D. Palmieri, *De Deo creante et elevante*, th. 27, p. 248, Romæ, 1878.

(3) Ita I. La Peyrère, sæc. XVII, cujus placita ab exegetis sæpius refutata fuere; videsis Vigouroux, *Les livres saints et la critique rationaliste*, III, p. 299 s., Paris, 1887.

(4) Difficultates, quas contra unitatem generis humani afferunt ex textu sacro, solutas habebis apud commentatores et exegetas; objectiones vero ex scientiis profanis confutant ex professo plerumque apologetæ, v. g., inter recentiores, Guibert et Chinchole, *Les origines. Questions apologétiques*, p. 446, Paris, 1923[7]; cfr etiam ill. ac rev. Waffelaert, *Medit. theol.*, n. 388 s., apud *Collat. Brugen.*, IX, p. 231 s.

1/ *Scriptura sacra* aperte docet in Genesi omnes homines ab uno protoparente Adam habere originem, quod absque præjudicio legenti sacram paginam statim non apparere non potest (1).

Ad eamdem doctrinam alluditur pluries in sacris litteris : « Hæc [sapientia] illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit » (2); et « non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, et feminam [unum par scil.] fecit eos? » (3).

Diserte alioquin hanc veritatem proponit s. Paulus, stans in medio Areopagi, Deumque prædicans, « qui fecit mundum, et omnia quæ in eo sunt.... Fecitque *ex uno* omne genus hominum inhabitare super universam faciem terræ » (4).

2/ Nec minus assertive loquuntur plures *sancti Patres*, ut puta s. Ephræm syrus (5), s. Ambrosius (6) et s. Augustinus : « In ipso exordio Adam et Eva, parentes omnium gentium erant, non tantummodo judæorum »(7).

Iisdem omnino assentit Theodoretus : « Illi [Deo] facillimum fuerat imperare universamque terram et mare habitantibus replere. Sed ne diversas esse hominum naturas existimaret quisquam, ex una illa duorum copula innumeras propagari gentes præcepit. Ob hanc quoque causam mulierem non aliunde formavit, sed ex viro illius effingendæ materiam desumpsit; ne et ipsa, putans se aliam a viro habere naturam, contumacem viro se præberet » (8).

---

(1) *Gen.*, I, 26 s. et II, 5 s. ac cfr *Collat. Brugen.*, II. p, 385 et XIX, 387 s., ubi textus sacer explicatur.

(2) *Sap.*, X, 1.

(3) *Matth.*, XIX, 11.

(4) *Act. Apost.*, XVII, 24 a. et 26 a.

(5) S. EPHRÆM SYRUS, *Interpret. in s. Script.*, Gen., II (ed. Assemani, I, 129).

(6) S. AMBROSIUS, *De paradiso*, X, 48 (MPL, XIV, 298).

(7) S. AUGUSTINUS, *In Jo. evang. tract.* IX, 10 (MPL, XXXV, 1463).

(8) THEODORETUS, *Græc. affect. curatio*, 5 (MPG, LXXXIII, 944).

Hæc veritas itaque, quæ simul manifeste continetur in dogmate peccati originalis (1), utpote etiam explicitis verbis revelata, credi debet *fide divina;* sed et *fide catholica* teneri debet, quippe quæ certo jam in prædicatione magisterii ordinarii et universalis definita consistit (2).

Ceterum, concilium provinciale coloniense, cujus decreta a s. Sede recognita fuere, statuit: « Adamum primum fuisse hominem ex eodemque totum genus humanum suam ducere originem sacræ litteræ testantur.... Illi igitur qui nesciri aiunt, unde genus humanum ortum acceperit, vel totum genus humanum ab Adamo propagatum esse negant, Scripturæ sacræ plane et aperte adversantur » (3).

Adhuc, pro concilio vaticano præparatum fuit schema, cujus quædam verba, ad hanc materiam spectantia, heic subjungimus: « Imprimis itaque tam veteris quam novi testamenti revelationi innixi profitemur ac docemus totum genus humanum ab uno parente Adam ortum habere.... Negata [vero] hac veritate, etiam alterum revelatum dogma peccati originalis violatur.... Unde sub anathemate damnamus errorem quo hæc unitas et communis origo totius humani generis negatur » (4).

H. Lamiroy.

---

(1) Cfr *Rom.*, v, 12 et *I Cor.*, xv, 21 s. et 45.

(2) De notione dogmatis, v. *Collat. Brugen.*, XX, p. 10 s.

(3) *Conc. prov. colon.* (a. 1860), tit. IV, cap. xiv, de homine (apud *Collect. lacen.*, V, 292).

(4) *Schema const. dogm. de doct. cath.*, cap. xv (apud *Collect. lacen.*, VII, 515 s. coll. 544 s. — Adverte hanc doctrinam jam contineri in definitionibus Ecclesiæ de peccato originali, v. g. in *conc. milev.* II (a. 416), can. 2 (*Enchir.*, n. 102); *conc. arausic.* II (a. 529), can. 2 (*Enchir.*, n. 175); *conc. flor.*, œcum. XVII, *decretum pro Jacobitis* (*Enchir.*, n. 711); *conc. trid.*, œcum. XIX, sess. V, *decretum de pecc. orig.*, 2 (*Enchir.*, n. 789) et sess. VI, *decretum de justif.*, cap. 1 (*Enchir.*, n. 793). — Statuit etiam *Commissio biblica*, die 30 junii 1909, unitatem generis humani computandam esse inter facta in primis capitibus Geneseos enarrata, quæ christianæ religionis fundamenta attingunt (cfr *Collat. Brugen.*, XIV, p. 499).

III-IV.

De impedimento criminis.

Q. *Quænam conditiones verificentur oportet ex parte 1) adulterii, 2) fidei datæ, ut matrimonium ex præscripto can. 1075, 1° valide contrahi nequeat ?*

R. Juxta can. 1075, 1° « valide contrahere nequeunt matrimonium, qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo ».

I. — *Quod attinet primum elementum, np. adulterium.*

Oportet ut adulterium, objective spectatum, sit reapse commissum et consummatum, et, subjective consideratum, sit ex utraque parte formale.

Explicatur :

1/ *Conditiones requisitæ ex parte adulterii objective spectati.*

a/ Oportet ut, a parte rei, committatur *verum*, materiale adulterium : copula habita inter personas, quarum saltem una tertiæ personæ valido matrimonio juncta existit.

Id omnino postulatur, adeoque non sufficit ut fornicando cum persona libera erronee putet quis sese valido matrimonio junctum esse, vel falso judicet suum vinculum nondum esse dissolutum morte compartis.

Parum refert utrum matrimonium sit ratum tantum an etiam consummatum sit, utrum conjuges simul vivant an sint separati, utrum uterque complex sit matrimonio junctus an unus tantum, etc.

b/ Postulatur ut, a parte rei, adulterum *consummatum* sit.

Ex parte copulæ eædem conditiones requiruntur quæ ad consummationem matrimonii verificari debent (1), videlicet :

(1) Cfr Desmet, *Tractatus de sponsalibus et de matrimonio*, II, n. 658 coll. I, n. 157, Brugis, 1920.

α/ Ut perficiatur in vase debito. Non sufficit sodomia aut onanismus per retractum.

β/ Ut nullo artificio fine suo primario privetur.

Finis copulæ primarius est introductio seminis in locum, in quo, providente natura, spermatozoïdis patet et facilitatur accessus ad uterum, sedem in qua ovulum post fecundationem suam naturalem evolutionem consequitur. Accessus ille impeditur pessario seu obturamento quo clauditur collum uteri, vel etiam membrana pseudovaginali aut condom, quibus mediis spermatozoïdis intercipitur via ad uterum.

Quodsi semen post copulam expellatur ope siphunculi vel sterilizetur ope cujusvis rei antea in vaginam introductæ, adulterium nihilominus consummatum esse videtur.

2/ *Conditiones requisitæ ex parte adulterii subjective spectati.*

Postulatur adulterium *formale* ex utraque parte et ita quidem ut noverint adulterantes sese esse *complices* in adulterio.

a/ Non habet scientiam ligaminis existentis et non committit adulterium formale, qui ignorat matrimonium fuisse contractum, quamvis ignorantia vincibilis sit, imo, uti videtur, graviter culpabilis, dummodo non sit affectata : ignorantia enim affectata scientiæ æquiparatur. Item, non habet scientiam requisitam qui dubitat, dubio positivo, de valore contractus matrimonialis aut de solutione vinculi. Habet autem sufficientem scientiam qui dubitat, dubio mere negativo, de existentia ligaminis ; at, si postea constat matrimonium de facto fuisse invalidum vel solutum momento copulæ, impedimentum non fuit contractum quia adulterium non fuit a parte rei commissum.

b/ Requiritur ut status matrimonialis alterutrius complicis *utrique* notus sit.

Non sufficit itaque ut cognoscat uterque sui vinculi existentiam, nesciens statum matrimonialem complicis.

Si contingat utrumque complicem matrimonio junctum esse, impedimentum contrahitur non obstante ignorantia, dubio positivo vel errore circa existentiam vinculi unius, dummodo vinculum alterius utrique notum sit.

Nota. Impedimentum contrahitur quamvis conjux forte consenserit in adulterium compartis. Hujus enim peccatum manet verum adulterium quamvis quibusdam deesse videatur malitia contra justitiam (1).

II. — *Quod attinet alterum elementum, np. fidem datam.*

Postulatur ut fidem sibi mutuo dederint de matrimonio ineundo post mortem conjugis.

Explicatur :

1/ *Quod spectat fidem mutuam.*

a/ Fides *mutuo* danda est. Id olim a multis negabatur, nunc autem controversia ipso codice dirimitur (2).

Postulatur itaque promissio bilateralis.

Sedulo adverte α/ objectum mutui consensus esse *obligationem* ineundi matrimonium, quæ obligatio suscipi potest ab eo qui non habet sinceram voluntatem eam exequendi. β/ *Verum*, non fictum, et plene deliberatum requiri consensum, non tamen requiri conditiones quæ ad valorem contractus sponsalitii can. 1017 præscribuntur. γ/ Acceptationem promissionis sufficienter manifestari repromissione, fidemque fieri *mutuam* momento quo repromissio priori parti innotescit. δ/ Fidem quæ sub conditione vere suspensiva consensus datur, obligare momento quo conditio verificatur, consensu interim non retractato. Qua de causa, ut impedimentum contrahatur, oportet ut fides detur absolute vel, si conditionate detur,

---

(1) Juxta istos auctores manent certe ceteræ adulterii malitiæ ob quas vocatur simpliciter adulterium. Cfr VERMEERSCH, *De castitate*, n. 303, Romæ, 1919.

(2) Cfr J. PEJSKA, *Das Rückversprechen beim Ehehindernis des Verbrechens* apud *Zeitschrift für Kath. Theologie*, 1902, p. 131 ss.

ut verificata interim conditione absolutæ jam æquiparanda sit.

b/ Conjugis consensus in promissionem faciendam efficit ut promissio hujusmodi nequeat constituere elementum criminis seu reddere adulterium in ratione criminis qualificatum, etiam si conjux ignoret relationes inter complices vigentes (1).

2/ *Quod attinet matrimonium ineundum.*

Oportet ut fides mutuo detur de matrimonio ineundo *post mortem conjugis*, promissio namque attentandi matrimonium ante mortem compartis minus incentiva est criminis. Sub veteri jure id communiter docebatur et adhuc nunc, ob can. 6 n. 4°, tenendum est: quamvis enim can. 1075 nihil determinet, ab antiquo tamen jure recedere non videtur (2).

Ab impedimento igitur liber manet, qui matrimonium promittit post obtentum divortium civile ineundum. Ex alia parte non postulatur ut expressis verbis determinationem addiderint, sufficit enim ut complices intellexerint sese mutuo promisisse matrimonium post mortem conjugis ineundum.

III. — *Quod spectat conjunctionem utriusque elementi criminis.*

1/ Oportet ut tum adulterium tum mutua promissio perficiatur perdurante *eodem* legitimo matrimonio.

Adverte nomine matrimonii *legitimi* hic intelligi matrimonium validum conjugum etiam *baptizatorum*.

Fides dari potest vel ante vel post adulterium sed postulatur ut a tempore quo ponitur primum elementum criminis, puta adulterium, usque ad momentum quo

---

(1) Notat Desmet, *l. c.*, II, p. 151 « Ita nuperrime contingit, in diœcesi Brugensi, casus sequens: vir nempe adulteraverat cum uxoris sorore, sed complici non promisit matrimonium nisi coram ipsa uxore moribunda, non tantum in hanc promissionem consentiente, sed ad eam instanter urgente, in gratiam prolis natæ ».

(2) Cfr Cappello, *De Matrimonio*, n. 484. Taurinorum Augustæ, 1923.

perficitur alterum elementum, fides mutua, unus saltem complex sit et permaneat eodem valido matrimonio junctus, idque utrique notum sit.

2/ Requiritur ut inter promissionem mutuam et adulterium non intercesserit *retractatio* fidei ab uno complice alteri, quantumvis invito, verbis aut æquivalenti modo significata.

3/ Semel ac utrumque elementum criminis perfectum et conjunctum extiterit, *impedimentum contractum est.*

Itaque, semel ac fides post adulterium absolute data est vel æquivalenter absoluta facta est, subsequens retractatio efficere nequit ut impedimentum, jam contractum, cesset.

V. Coucke.

V.

De indulgentiis lucrandis.

Q. *Quænam sunt juxta novum codicem conditiones requisitæ* ex parte operum *ad lucrandas indulgentias* (1) ?

R. — Prius dicemus quid ex parte operum in genere requiratur ut ad lucrandam indulgentiam utilia sint, deinde in specie de singulis operibus tractaturi quæ ad indulgentiam plenariam lucrandam præscribi solent.

I. In genere ut opus aliquod indulgentiæ lucrandæ inserviat debet esse 1. *liberum* seu supererogatorium, 2. *moraliter bonum* et *supernaturale* 3. *personaliter* ab ipso lucrante *præstitum* (2).

1. Debet esse opus *liberum* : « Opere cui præstando quis lege aut præcepto obligatur, nequit indulgentia

(1) Cfr Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, t. I, p. 64 ss.; A. Schaepman, apud *Nederlandsche katholieke stemmen*, t. XX, 1920, p. 360 ss.; M. Lecler, apud *Collationes Namurcenses*, t. XVIII, 1923-1924, p. 39 ss.; Vermeersch-Creusen, *Epitome juris can nici*, 1925, t. II, p. 123 ss.

(2) Vide quædam ulteriora in responso sequenti de conditionibus ut subjectum capax indulgentias revera lucretur.

lucrifieri, nisi in ejusdem concessione aliud expresse dicatur » (can. 932).

Ita jejunium lege ecclesiastica obligatorium de se non inservit ad indulgentiam aliquam lucrandam. — Item confessio ex annuo præcepto Ecclesiæ præscripta aut communio paschalis de se non sufficiunt ad jubilæum lucrandum (1). — Item nequit clericus in majoribus ordinibus constitutus per horas suas canonicas (2), aut quivis fidelis per orationem sibi in pœnitentiam sacramentalem impositam satisfacere precibus ad mentem Pontificis præscriptis ad indulgentiam plenariam lucrandam.

Opera autem quæ non *lege* aliqua *præceptiva* sub peccato, sed v. g. *regula* alicujus communitatis imponuntur non sub peccato, uti sunt exercitia pietatis in quadam communitate usitata, inservire possunt ad lucrandas indulgentias (3). Imo idem dicendum videtur, juxta plures auctores, de opere ad quod voto sese aliquis obligavit : « Ab ipsa mente legislatoris alienum apparet ut spontanea obligatio per votum suscepta indulgentias ab operibus promissis tollat » (4).

Ab hac regula excipiuntur casus ubi in concessione indulgentiæ expresse dicitur opera aliunde jam lege aut præcepto imposita simul tamen posse utilia esse ad indulgentias lucrandas. Ita Gregorius XVI, 19 Martii 1841, declaravit : « Per confessionem et communionem die paschatis resurrectionis peractam, et indulgentiam plenariam papali benedictioni adnexam lucrari et satis

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV, 1925, p. 80.

(2) Cfr decretum S. Cong. Indulg. 29 maii 1841. *Decr. authent.* n. 291 ad 2.

(3) Ita S. Cong. Indulg. aperte declaravit decreto 7 Martii 1888 Camaldulenses lucrari posse indulgentias adnexas recitationi parvi officii B. M. V. ad quod tamen recitandum ex constitutionibus suis obligantur. BERINGER-STEINEN, *o. c.*, t. I, p. 66, n. 95.

(4) A. VERMEERSCH, S. J., *Theologiæ moralis principia, responsa, consilia*, t. III, p. 512, n. 627. Cfr M. LECLER, *a. c.*, p. 150.

præcepto paschatis fieri » (1). — Item occasione jubilæi hujus anni sancti benigne indulget Pius XI ut qui paschale præceptum misere neglexerit possit una eademque communione satisfacere præcepto communionis paschalis et simul conditionem communionis ad jubilæum lucrandum requisitæ implere (2). — Item can. 932 supra citatus ita pergit : « Qui tamen præstat opus sibi in sacramentalem pœnitentiam injunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et pœnitentiæ satisfacere et indulgentias lucrari » (3).

2. Opus debet esse *moraliter bonum* in subjecto et *supernaturale*, quum non censenda sit Ecclesia adnectere favorem remissionis reatus pœnæ alicui actui totaliter peccaminoso. Quodsi actus sit tantum partim malus, maneat autem substantialiter bonus, sufficit ad lucrandam indulgentiam (4).

3. Opus debet fieri *personaliter* ab ipso lucrante quia Ecclesia illis tantum vult concedere indulgentiæ gratiam qui orant, communicant, aliasque conditiones implent, neque indulget ut quis indulgentias acquirens eas aliis in vita degentibus applicare possit (5).

---

(1) *Decr. authent.*, n. 288, S. Cong. Indulg., 10 maii 1844 declarat communionem paschalem utilem esse ad lucrandam indulgentiam plenariam « dummodo indulgentia lucrifacienda non sit in forma jubilæi, pro qua tantum requiritur peculiaris confessio atque communio ». *Decr. authent.*, n. 327.

(2) Constit. *Si unquam.* n. XIII. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV, 1925, p. 80. Eadem constitutio n. XIII etiam statuit sufficere communionem ex præcepto viatici susceptam.

(3) Ita v. g. qui pro pœnitentia recitat quasdam preces jaculatorias indulgentiis ditatas, aut actus fidei spei et charitatis, aut decadem in suo rosario benedicto, is lucratur indulgentias his precibus adnexas.

(4) Alii auctores dicunt : debet opus « quando fit esse *utile ad finem* a concedente intentum. Sic venialis vanæ gloriæ defectus non impedit quin per eleemosynam præscriptam... satisfiat conditioni ; ab eo autem qui jejunans simul se inebriat, frustatur finis placandi. Deum jejunio intentus». VERMEERSCH, *l. c.*; VERMEERSCH-CREUSEN, *o, c.*, t. II, p. 124, n. 215. Ad primum tamen casum addenda videtur restrictio, scilicet : dummodo ne eleemosyna ex sola fiat vana gloria, siquidem tunc fieret actus totaliter peccaminosus.

(5) Cfr Can. 930.

Unica tantum fit exceptio, pro eleemosyna scilicet, quæ etiam per alium potest fieri, juxta doctrinam theologorum. « In eleemosyna danda potest quis alterum adhibere ut instrumentum, vel etiam, monitus, consentire ut ipsius nomine eleemosyna fiat. Consensus iste videtur sufficere etiam si largitio sumatur ex bonis quæ ad lucrantem indulgentias non pertinent » (1).

Duo autem advertenda remanent, nimirum

a/ Quando plura opera ad unam indulgentiam lucrandam præscribuntur de se parum refert quonam ordine hæc peragantur (2);

b/ « Uni eidemque rei vel loco plures ex variis titulis adnecti possunt indulgentiæ, sed uno eodemque opere, cui ex variis titulis indulgentiæ adnexæ sint, non possunt plures acquiri indulgentiæ, nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse cautum fuerit » (can. 933).

Unde una confessio et una communio inservire possunt ad plures indulgentias lucrandas: opera vero iterabilia toties iterari debent quot quis indulgentias lucrari intendit (3) nisi Ecclesia aliud expresse statuerit.

Jam autem expresse concessum est ut unica recitatione coronæ B. M. V. super rosarium debite benedictum simultanee acquiri possint indulgentiæ ss. Rosarii et Crucigerorum (4). — Item expresse cautum est pro omnibus operibus in elencho indulgentiarum apostolicarum recensitis, ut nimirum cumulative lucrifieri possint tum indulgentiæ apostolicæ, tum indulgentiæ quibus ea opera aliunde sunt dotata (5).

---

(1) Vermeersch, *l. c.* Ita potest paterfamilias erogare stipem pro tota familia et famulis, item caput communitatis pro omnibus membris. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XVIII, 1913, p. 406.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV, 1925, p. 63 ubi monebamus ut s. communio pro ultimo opere sumatur.

(3) Cfr *Decr. authent.*, n. 249 ad 3.

(4) Cfr Decretum S. Cong. Indulg. 12 junii 1907 de quo vide *Collat. Brugen.*, t. XII, 1907, p. 775 sq.

(5) Cfr responsum S. Pœnitentiariæ 14 junii 1922, apud *Collat. Brugen.*, t. XXII, 1922, p. 336.

II. Opera quæ solent præscribi ad lucrandam indulgentiam plenariam sunt confessio, communio, visitatio ecclesiæ, oratio ad mentem s. Pontificis, de quibus distinctim jam dicturi sumus juxta novum codicem (1).

1° *Confessio et communio.*

1. Confessio præscripta ab omnibus facienda est, etiamsi nullius culpæ lethalis ab ultima absolutione commissæ conscientiam habeant: debet autem fieri sacramentaliter, id est in ordine ad absolutionem, ipsa autem absolutio non requiritur (2).

2. Quoad confessionem et communionem ita statuit can. 931 § 1: « Ad quaslibet indulgentias lucrandas, confessio forte requisita peragi potest intra octo dies qui immediate præcedunt diem cui indulgentia fuit affixa; communio autem in pervigilio [i. e. in vigilia] ejusdem diei; utraque vero etiam intra subsequentem totam octavam (3).

§ 2. Pariter ad lucrandas indulgentias pro piis exercitiis in triduum, hebdomadam etc. ductis concessas, confessio et communio fieri etiam potest intra octavam quæ immediate sequitur exercitium expletum (4).

§ 3. Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur (5), saltem bis in mense ad pœnitentiæ sacramen-

---

(1) Quid significat expressio *sub conditionibus ordinariis*, quæ sæpe in concessione indulgentiarum plenariarum occurrit? Non datur clara authentica declaratio horum verborum. Juxta *Raccolta*, p. XI, n. V concludendum est quatuor opera in textu recitata generatim his verbis exigi, nisi ex ipsa concessione appareat visitationem ecclesiæ non præscribi. Cfr BERINGER-STEINEN, *o. c.*, t. I, p. 67, n. 99. Alia formula sæpe occurrens in concessione indulgentiarum: *in forma Ecclesiæ consueta*, æquivalet huic: indulgentiam concedi vere pœnitentibus seu vere contritis. Cfr BERINGER-STEINEN, *o. c.*, t. I, p. 90, n 164; M. LECLER, *a. c.*, p. 152.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, hoc tomo, p. 80 de confessione pro jubilæo præscripta. *Decr. authent.*, n. 214, n. 253 ad 2m, n. 295 ad 2m, n. 359 ad 4m

(3) Octava in hoc canone non sumitur sensu liturgico sed designat octiduum seu spatium octo dierum.

(4) Id etiam valet ad lucrandas indulgentias quæ conceduntur iis qui per totum mensem quotidie aliquod pium exercitium persolvunt, v. g. qui quotidie recitant *Angelus Domini*.

(5) Unde qui propter legitimum impedimentum ad tempus a confessione consueta abstinere cogitur, imo etiam qui eam, casu quodam

tum (1) accedere, aut sanctam communionem in statu gratiæ et cum recta piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant (2), possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione quæ ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive jubilæi ordinarii et extraordinarii, sive ad instar jubilæi » (3).

Adverte *a*/ ad lucrandam indulgentiam jubilæi aut ad instar jubilæi, confessionem et communionem sicut et reliqua opera præscripta facienda esse intra spatium temporis pro jubilæo lucrando statutum (4).

b/ Nisi aliter expresse statuatur, s. Communio non debet fieri in ipsa ecclesia cujus visitatio tamquam conditio indulgentiæ lucrandæ imponitur: si tamen in ea ecclesia fiat, jam hæc communio satisfacit visitationi præscriptæ (5).

---

exceptionali, sine legitimo impedimento ex negligentia omitteret, non frustratur hoc privilegio.

(1) Adverte non requiri confessionem singulis quindenis institutam sed sufficere duas confessiones in mense sine ulteriore determinatione, quodvis sit inter eas spatium dierum.

(2) Hoc privilegium igitur iis omnibus conceditur qui solent saltem quinquies in hebdomada s. Synaxim suscipere. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XII, 1907, p. 234 ss.

(3) Unde qui solet fere quotidie communicare debet in ordine ad lucrandum jubilæum instituere confessionem. An item, qui solet bis in mense confiteri, debet præter has consuetas confessiones aliam confessionem facere eo fine ut jubilæi particeps fiat? Affirmat *Il monitore ecclesiastico*, t. VI, 1924, p. 254, n. 35 et t. VII, 1925, p. 63 propter can. 931 § 3; negat cl. Vermeersch, apud *Periodica de re canonica et morali*, t. XIII, 1924, p. (110) et (196) ubi scribit: « Quonam sensu canon 931 § 3 indulgentiam jubilæi excipit ab indulgentiis pro quibus habitualis confessio bis in mense peracta, sufficere possit? — Hoc sensu, ni fallimur, quatenus pro jubilæo, confessio instituenda sit cum intentione jubilæi lucrandi. Si igitur, in habituali sua confessione, fidelis de jubilæo nondum cogitaverit, talis confessio ad jubilæum lucrandum utilis esse nequit. Verum, si tunc jam voluit jubilæum lucrari et confessio inter ipsum annum sanctum instituta sit, condicioni jubilæi est satis factum ». Hæc quidem sententia probabilis nobis videtur, tutius vero erit sequi primam i. e. alteram instituere confessionem.

(4) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXV, 1925, p. 80.

(5) Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 70, n. 106.

2° *Visitatio ecclesiæ.*

1. Si ecclesia quædam determinata visitanda præscribitur, uti v. g. pro indulgentia portiunculæ, hæc adeunda est. Quando ad lucrandas indulgentias præscribitur visitatio ecclesiæ parœcialis, intelligitur ecclesia parochialis propria illius qui vult indulgentias lucrari : sub quo nomine venit non tantum ecclesia « domicilii aut quasi domicilii, sed etiam moræ transitoriæ ut contingit tempore itineris » (1).

Quando vero præscribitur visitatio ecclesiæ non determinatæ vel oratorii publici indeterminati (2), tunc usuvenit canon 929 : « Fideles utriusque sexus qui, perfectionis studio vel institutionis seu educationis aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu ordinariorum constitutis, vitam communem agunt (3), itemque personæ omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulgentias præscribatur visitatio alicujus ecclesiæ non determinatæ vel indeterminati publici oratorii, visitare queunt propriæ domus sacellum in quo obligationi audiendi sacrum jure satisfacere possunt, dummodo cetera opera injuncta rite præstiterint » (4).

---

(1) Decretum s. Congr. Indulg., 13 septembris 1905, quod vide explicatum apud *Collat. Brugen.*, t. XI, 1906, p. 417 ss.

(2) Quid juxta codicem intelligatur nomine ecclesiæ et oratorii publici, semipublici et privati vide can. 1161 et 1188. Adverte ecclesias et oratoria publica nondum consecrata vel benedicta itemque oratoria privata ac semipublica capacia quidem esse indulgentiarum, sed « de stylo » seu ordinario non solere indulgentias iisdem concedi ; per profanationem indulgentias non deperdi sed suspendi usque ad reconciliationem. Cfr M. Lecler, *a. c.*, p. 153 sq. et documenta ibidem citata.

(3) « Privilegium istud non valet... in domibus hospitalibus laïca auctoritate sine Ordinarii interventu seu consensu erectis, quamvis ipsum sacellum Ordinarii auctoritate sit erectum, nec prodest carcere detentis, cum diversa sit causa vitæ communis ». Vermeersch-Creusen, *o. c.*, t. II, p. 125.

(4) Simili privilegio fruuntur cardinales, archiepiscopi, episcopi etiam titulares, eorumque familiares, in propriis respective sacellis. Can. 239 § 1, n. 11, can. 273, can. 349 § 1, 1°, n. 1.

Hoc privilegium per se iis tantum favet qui in dictis domibus commorantur saltem per totam diem: quando vero ad lucrandam indulgentiam præscribitur visitatio alicujus ecclesiæ vel publici aut semipublici oratorii, tunc omnes fideles possunt in quovis oratorio semipublico huic conditioni satisfacere (1).

2. Visitatio ecclesiæ pia ac devota sit oportet, idest facta animo Deum colendi, quem quidem animum ipsa exterior reverentia aliquo modo patefaciat (2). Ecclesia autem clausa aut aditu ad eam quavis de causa impedito, satis erit ad ejusdem fores vel gradus Deum exorare (3). Visitationes autem quando multiplicandæ sunt, sive ad unam eamdemque indulgentiam sive ad plures indulgentias lucrandas, oportet egredi seu discedere ab ecclesia atque ad eam de novo ingredi vel accedere.

3. Quoad tempus visitationis faciendæ statuit can. 923: « Ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiæ vel oratorii requiratur, hæc fieri potest a meridie diei præcedentis usque ad mediam noctem quæ statutum diem claudit ». Hoc autem declaravit Pius X fore valiturum tam pro indulgentiis plenariis quam pro partialibus, semel in die aut toties quoties adquirendis, usque ad hunc diem concessis vel in posterum concedendis quacumque demum sub loquutione tempus sive dies designetur (4).

4. Quando conceditur plenaria indulgentia pro festo alicujus sancti a fidelibus in omnibus ecclesiis alicujus

---

(1) Ita v. g. ad lucrandam indulgentiam plenariam toties-quoties in commemoratione omnium fidelium defunctorum. Decr. s. Officii 25 junii 1914. Cfr *Calendarium liturgicum diœcesis brugensis*, 1925, p. 5.

(2) Ad pie visitandum ecclesiam « formales preces non sunt necessariæ. Sic qui tendit in ecclesiam ad confitendum, ad ornandum altare, eam visitat ». VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, t. II, p. 125.

(3) Ita s. Pœnitentiaria explicat conditionem visitationis basilicarum requisitæ ad lucrandum jubilæum Romæ. Cfr *Monita*, n. XV, v. i., p...

(4) Decr. s. Officii 26 januarii 1911. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XVI, 1911, p. 235.

ordinis vel diœceseos lucranda, « acquiri potest indulgentia una vice tantum sed in singulis ecclesiis » (1).

Tandem « indulgentia plenaria concessa ut *quotidiana perpetua* vel *ad tempus* visitantibus aliquam ecclesiam vel publicum oratorium ita intelligenda est ut quacumque die sed semel tantum in anno, ab unoquoque fideli acquiri possit, nisi aliud in decreto expresse dicatur » (can. 921 § 3). Dicitur quotidiana pro vivis et defunctis, quatenus est defunctis applicabilis (2).

3° *Preces ad intentionem Summi Pontificis.*

1. Intentiones consuetæ S. P. ad quas preces dicendæ sunt, sequentes recensentur: catholicæ religionis incrementum, s. Ecclesiæ exaltatio, peccatorum conversio, hæresum extirpatio, principum christianorum concordia et pax (3). Occasione jubilæi hujus anni sancti peculiares quædam additæ sunt intentiones (4). Sufficit autem implicite et generatim ad mentem R. P. orare (5).

Quamvis preces in ipsis visitationibus ecclesiæ recitari pie soleant, id tamen non requiritur nisi in concessione expresse imponatur.

2. « Si ad lucrandas indulgentias oratio in genere ad mentem S. P. præscribatur, mentalis tantum oratio non sufficit; oratio autem vocalis poterit arbitrio fidelium deligi, nisi peculiaris aliqua assignetur » (can. 934 § 1). Ita recenter pro portiunculæ indulgentia imposita est recitatio sex *Pater Ave* et *Gloria* in singulis visitationibus repetenda (6).

« Ex communi autem sententia officio huic [orandi ad mentem S. P.] satisfacit quicumque orationem dominicam, salutationem angelicam et doxologiam quinquies

---

(1) S. Congr. Indulg., 13 septembris 1905. Cfr *Collat. Brugen.*, t. XI, 1906, p. 417 ss.

(2) Vermeessch, *o. c.*, t. III, p. 514, n. 630, ubi additur: « Basilica... s. Petri, perpetua indulgentia instar portiunculæ ditata est ».

(3) Beringer-Steinen, *o. c.*, t I, p. 76 n. 130.

(4) Quas vide apud *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 1924, p. 430 et t. XXV, 1925, p. 80.

(5) S. Pœnitentiariæ *Monita* ad jubilæum anni sancti n. XVI, v. i., p...

(6) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 1924, p. 480, 487.

recitaverit », edicit S. Pœnitentiaria (1). Immerito autem quidam inde concluserunt hanc quantitatem precum jam dicendam esse obligatoriam ad quamvis indulgentiam plenariam lucrandam : cum multis auctoribus tenemus breviorem orationem lente et magna cura recitatam sufficere quum magis ad fervorem quam ad durationem orationis videatur attendendum (2).

« Si peculiaris oratio assignata fuerit, indulgentiæ acquiri possunt quocumque idiomate oratio recitetur (3), dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel s. Pœnitentiariæ vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio ; sed indulgentiæ penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem vel interpolationem » (can. 934 § 2).

« Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis cum socio recitare aut mente eam prosequi dum ab alio recitatur » (can. 934 § 3). Ita ad lucrandas indulgentias rosario aut litaniis annexas sufficit illa alternatim cum socio recitare : ad obtinendas indulgentias pro actu v. g. consecrationis s. Cordi Jesu, sufficit ut unus recitet, alii vero mente sequantur.

Tandem can. 936 statuit mutos lucrari posse indulgentias adnexas *publicis* precibus, si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios sensus ad Deum attollant ; et si agatur de *privatis* orationibus, satis esse ut eas mente recolant signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant. Reliqua sane opera ut sunt visitatio, s. communio, sicut ceteri implere tenentur.

A. Legrand.

---

(1) *Monita*, n. XVI, v. i. p....

(2) Cfr Beringer-Steinen, *o. c.*, t. I, p. 78, n. 133 ; Vermeersch-Creusen, *o. c.*, t. II, p. 127, n. 220 ; *Nederlandsche katholieke stemmen*, 1924, p. 310 sq. ; *Bulletin ecclésiasitque de Strasbourg*, 1922, p. 304 sq. ; *Linzer Quartalschrift* 1919, p. 586.

(3) Excipiuntur officium parvum B. M. V. et officium defunctorum quorum recitatio *publica* latino sermone fieri debet. Recitatio vero *privata* vulgari sermone facta indulgentiis ditata manet. Cfr Beringer Steinen, *o. c.*, t. I, p. 104, n. 206.

VI.

De sepultura ecclesiastica.

Q. *Quibusnam in genere concedenda vel deneganda est sepultura ecclesiastica?* (cfr can. 1239, coll. can. 1240 § 2).

R. Prævie notetur quid complectatur sepulturæ denegatio, et quænam sit legis ratio.

Sepultura ecclesiastica, uti ex can. 1204 elucet, consistit in « cadaveris translatione ad ecclesiam, exsequiis super illud in eadem celebratis, illius depositione in loco legitime deputato fidelibus defunctis condendis ». Hinc duo complectitur: *a*/ omnes ritus sacros juxta libros liturgicos a ministris sacris peragendos occasione funeris et tumulationis (1); *b*/ inhumationem defuncti in cœmeterio benedicto. Ideoque *quando denegatur sepultura ecclesiastica hæc duo denegantur*, non exclusa benedictione ipsius sepulcri casu quo cœmeterium non esset benedictum (2). Imo, « excluso ab ecclesiastica sepultura deneganda quoque sunt tum quælibet missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia funebria officia publica » (3). Hæc enim accessoria ipsius sepulturæ ecclesiasticæ sunt, et juxta regulam juris « accessoriam naturam sequi congruit principalis » (4).

Ratio hujusmodi denegationis ex perspecta ecclesiasticæ sepulturæ significatione apparet. Etenim sepultura seu exsequiæ quales ab Ecclesia celebrantur, cum scil. pro defunctis oratur, psalmi cantantur, religiosæ cæremoniæ peraguntur et missa offertur, fiunt in suffragium et refrigerium animarum, ut illæ a pœnis purgatorii liberentur;

---

(1) Hi ritus sacri sunt: campanarum sonitus, corporis levatio per sacerdotem facta, deductio ad ecclesiam, officium et missa, deductio ad cœmeterium cum absolutione precibus et psalmis, et ipsius inhumationis cœremoniæ et preces.

(2) Cfr *Coll. Namurc.*, t. XVIII (1924), p. 266.

(3) Can. 1241.

(4) reg. 42 in VI°.

in solatium et ædificationem vivorum (1); in signum communionis sanctorum, vi cujus vivi, mortuis uniti, pro ipsis justitiæ divinæ satisfacere possint. In signum ejusdem communionis sanctorum reponuntur fidelium corpora in communi cœmeterio benedicto. Vult enim Ecclesia ut corpora illa « quibus tamquam organis et vasis ad omnia opera bona sancte usus est Spiritus » nec in morte separentur, sed simul requiescant futuram resurrectionem et gloriam immortalem exspectantes.

Unde facile intelligitur Ecclesiam ab his honoribus et precibus excludere omnes illos, qui vel Ecclesiæ numquam fuerunt addicti, vel sese ab ejus communione separarunt, vel eam per scandalosam vitam usque ad mortem respuerunt (2).

Quibus prævie notatis interpretandus remanet codicis textus, qui in can. 1239 regulam generalem tradit de sepulturæ ecclesiasticæ denegatione vel concessione. Et uti ex ipsa textus redactione patet, *duobus principiis* regitur tota materia:

1. « *Ad sepulturam ecclesiasticam non sunt admittendi, qui sine baptismo decesserint* » (3). *Non baptizati* enim carent vinculo communionis ecclesiasticæ, nec ullum jus ad Ecclesiæ bona habent (4). Quare « quibus non communicavimus vivis, nec mortuis communicare debemus » (5). Tales vere incapaces sepulturæ ecclesiasticæ dicendi sunt. Hoc tamen beneficio frustrari non debent *dubie baptizati*.

A codice proinde confirmatur regula Ritualis Romani (6), qua etiam corpora *puerorum non baptizatorum* excluduntur. Cum doctrina communi tamen excipiuntur *infantes in utero matris* una cum ipsa demortui, et ab ea non separati; quibus, ex praxi invalescente sed tantum ad

---

(1) S. Augustinus, *De cura pro mortuis gerenda*, c. 4.
(2) Cfr *Coll. Namurc.*, *l. c.*
(3) Can. 1239 § 1.
(4) Can. 87.
(5) c. 12, X, *De sepulturis*, III, 28.
(6) Tit. VI, cap. 2, n. 7.

vitandas difficultates in casu particulari, ubi aliter fieri non potest, videntur posse æquiparari infantes e visceribus matris separati (1).

Controversiæ olim vigenti circa *catechumenos* codex finem imposuit, nam statuit « catechumeni qui nulla sua culpa sine baptismo moriantur, baptizatis accensendi sunt » (2). Ratio est quia isti « vi baptismi flaminis jam merito præsumuntur uniti Christo, si ante baptismum aquæ inopinate moriantur » (3).

2. « *Omnes baptizati sepultura ecclesiastica donandi sunt, nisi eadem a jure expresse priventur* » (4).

Per baptismum enim aliquis fit membrum Ecclesiæ. et jus acquirit ad omnia bona quæ ab Ecclesia fidelibus debentur, nisi illorum indignus explicite renuntietur. Hinc *pro baptizatis* concessio sepulturæ ecclesiasticæ regula est, denegatio autem exceptio. Ad hanc exceptionem postea pressius delineandam, quædam *in genere* prænotemus oportet.

a/ Denegatio sepulturæ ecclesiasticæ valde *odiosa* est, utpote quæ naturam gravissimæ *pœnæ* induat. Defunctum enim privat precibus et suffragiis Ecclesiæ, ipsique et familiæ ejus opprobrio est. In hac proinde explicanda, vi can. 19, *stricta* adhibenda est interpretatio ; eo vel magis quod ad utendum hac stricta interpretatione impellimur, tum benigna Ecclesiæ mente, quam eruere possumus ex multiplicibus mitigationibus juri antiquo introductis, tum periculo vigente ne multiplicentur sic dictæ civiles sepulturæ et locum habeant manifestationes Ecclesiæ hostiles (5).

b/ Unde leges quibus sepultura ecclesiastica denegatur *non sunt extendendæ ultra casus in jure statutos ;* nec

---

(1) Ita cum LECLER, in *Coll. Nam.*, *l. c.*; OJETTI, ARREGUI, *Summarium theol. mor.*, n. 913.

(2) Can. 1239 § 2.

(3) REIFFENSTUEL, *Jus decretalium*, III, tit. 26, n. 76.

(4) Can. 1239 § 3.

(5) Cf. *Coll. Nam.*, *l. c.*

applicandæ nisi stricte verificentur omnes conditiones a lege requisitæ, seu, ut canon loquitur, « indigni *tantum* sunt qui expresse a sepultura privantur ». Nec proinde ad regulam antiquam Ritualis Romani est recurrendum, cum omnis casus cujus in novo jure nulla habetur mentio ut abrogatus habendus sit.

c/ Nec pœna infligi potest nisi adsit delictum *certum*, nam oportet de delicto constet. Occurrente igitur aliquo dubio in casu particulari, sive *juris*, ubi videlicet de legis existentia vel comprehensione ambigitur, sive *facti* utrum necne factum vere in adjunctis et conditionibus a lege requisitis locum habuerit, consulendus est, si tempus sinat, Ordinarius. *Permanente autem dubio*, cadaver sepulturæ ecclesiasticæ tradatur. Hoc præscripto canon normam tradit non tantum Ordinario, sed et ministro funerum, si tempus recursum ad Ordinarium non sinat (1).

Semper tamen curandum est « ut removeatur scandalum » ex eo forsan oriturum quod fideles indignarentnr ex concessione in casu dubio sepulturæ ecclesiasticæ alicui quem indignum reputarent. Quod tamen non constituit rationem denegandi sepulturam, — textus enim legis imperative loquitur — sed obligationem secumfert scandalum prudenter amovendi. Et uti ex decretis s. Sedis constat, hoc facile fieri potest « omittendo pompas et solemnitates exsequiarum » et non concedendo nisi absolutionem in Ecclesia vel simplicem missam cum absolutione sine ullo apparatu vel campanarum sonitu (2).

d/ Denegatio hæc non est infligenda nisi ob delictum *publicum*, cum sit pœna publica. Hanc porro publicitatem requiri, ex ipso textu erui potest. Pro quibusdam enim ex enumeratis delictis codex explicite loquitur de delicto notorio ; et in fine canonis summatim declarat canon sepultura ecclesiastica privandos esse « *alios* peccatores

---

(1) Cfr Matthæus a Coronata, *De locis et temporibus sacris*, n. 257.

(2) Cfr *decret.* S. Officii, 16 maii 1866; *decret.* S. Pœnitentiariæ, 29 martii 1855.

publicos et manifestos » ; qua voce « alii » clare innuitur præcedentia delicta etiam publica esse intelligenda (1).

e/ Insuper numquam ab hac sepultura excludendus est delinquens qui « *ante mortem aliqua signa pœnitentiæ dederit* ». Ex collato textu Ritualis cum textu novi codicis, qui addidit verbum « aliqua », apparet Ecclesiam jam benigniori mente hanc pœnam urgere. Non jam ergo requiruntur certa ac evidentia pœnitentiæ signa, sed sufficit adsint *aliqua*, etiam minima, qualia sunt v. g. : si fidelis in extremis constitutus sacerdotem advocaverit, licet eidem tempus adveniendi non suppetierit ; si crucifixum osculatus fuerit ; si actum constitutionis elicuerit (2). Non tamen censetur jugum delicti deesse nec proinde pœna eo quod quis absque signis permanentis impœnitentiæ mortuus sit, vel quod sensibus destitutus absolutionem receperit ; sed requiritur ut adsint ante obitum *positiva*, etsi minima, pœnitentiæ signa. Porro ex communi doctorum doctrina testimonium unius testis, modo sit fide dignus, sufficit ad hæc signa probanda. Hæc tamen prudenter erunt evulganda, ubi scandalum pœnitentia publica non est reparatum (3).

f/ In fine addendum est indignos in can. 1240 § 1 enumeratos *ipso jure* a sepultura ecclesiastica excludi. Unde sequitur hanc pœnam esse *latæ sententiæ* et ipso facto incurri, et ideo nullo occurrente dubio, de jure communi recursus ad Ordinarium institui non debet. Merito tamen apud nos a jure particulari additum est ut ille recursus semper fiat, si per tempus licet, etiam in casu indignitatis certæ, ubi ex negatione sepulturæ difficultates prævideantur orituræ (4). Sic enim facile omnis molestia a parocho avertitur. J. Brys.

---

(1) Proinde qui vivit matrimonio civili tantum junctus, sed illud plane ignoratur in loco, non potest ex hac parte privari sepultura ecclesiastica. Cfr *Ami du clergé*, 1921, p. 684. *Nouv. Rev. théol.*, t. XLVI (1914), p. 411; *Coll. Nam.*, *l. c.*

(2) Cfr Matthæus a Coronata, *o. c.*, n. 257.

(3) Vermeersch-Creusen, *Epitome*, t. II, n. 548.

(4) Cfr *decret. Congr. Prosyn.*, a. 1876, n. 12; De Brabandere-De Meester, *Compendium juris canonici*, t. II, p. 123, Brugis, 1916[8],

In lectionem s. Ambrosii apud breviarium.

Nemo non novit quantam difficultatem faciat, in breviario romano, lectio octava ad III nocturnum plurimorum martyrum secundo loco, nec mirum hoc ei videbitur, qui attenderit hanc pericopam, ex *Expositione evangelii secundum Lucam* s. Ambrosii desumptam (1), breviter proponere quæ s. doctor in sequentibus longius evolvit, dum in breviario in lectione nona solummodo priora verba ipsius demonstrationis atque explicationis referuntur; qui attenderit insuper hanc ipsam Expositionem nihil aliud esse quam collectionem homiliarum, quas prædicavit s. episcopus mediolanensis c. a. 389, ac emendatas deinde in unum opus redegit (2). In hoc opere s. Ambrosius intendit monstrare quomodo evangelia inter se conveniant; magis tamen adhuc rem moralem docere cupit (3).

---

(1) In lectionibus II noct. ad festum s. Ambrosii, 7 dec., breviter contrahitur curriculum ejus vitæ, de qua cfr BARDENHEWER, *Geschichte der altkirchlichen Literatur*, III, p. 498 s., Freib. im Br., 1912 vel ejusdem auctoris *Patrologie*, p. 374 s., 1910[3]; TIXERONT, *Précis de Patrologie*, p. 310 s., Paris, 1920[3]; P. DE LABRIOLLE, *Histoire de la littérature latine chrétienne*, p. 351 s., Paris, 1920. — In iisdem operibus reperies notas criticas circa scripta varia s. Ambrosii.

(2) Expositio evang. secundum Lucam dividitur in libros decem; solus tertius videtur continere non homilias sed *Quæstiones evangelicas* Eusebii cæsariensis retractatas.

(3) In citando textu s. Ambrosii sequimur editionem criticam ex recensione C. SCHENKL, *Corpus scriptorum eccl. latinorum*. Vol. XXXII. *S. Ambrosii opera*, P. IV, p. 201 s., Vindobonæ, 1902. Attamen, claritatis gratia, post punctum non ponimus, uti in hac editione, minusculam litteram sed majusculam; hinc inde eadem de causa ad aliam lineam transimus; tandem, litteram *v* scribimus, ubi nos sic pronuntiamus, et in eadem editione *u* ponitur. — Quandoque remittimus insuper ad edit., quam paraverunt Maurini (*S. Ambrosii opera*, I, 1367 s. Parisiis, 1686), aut ad textum quem edidit Migne (MPL, XV, 1649 s.), aut denique ad editionem quam curavit P. A. Ballerini, quæque prodiit Mediolani, 1877; textus citatus exhibetur in hac ed. t. III, 136 s.

Tres lectiones III nocturni, de quo supra, desumuntur e libro quinto Expositionis, ubi s. doctor interpretatur caput sextum evangelii s. Lucæ, et lectio septima refert ejus expositionem ad v. 17, qui vers. in lectione ex evangelio s. Lucæ apud breviarium præmittitur. Ad hanc expositionem addit s. episcopus, pro more suo, quasdam considerationes in locum parallelum s. Matthæi, in capite quinto, vv. 1-2; hae considerationes vero omittuntur apud breviarium, ubi resumitur in lectione octava textus s. Ambrosii ad interpretationem s. Lucæ, in capite sexto, vv. 20b-22, quos integre recitat s. episcopus, hoc modo: « Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuriunt et sitiunt, quia saturabuntur. Beati, qui nunc fletis, quia ridebitis. Beati eritis, cum vos oderint homines » (1).

In breviario ponitur initio lectionis octavæ solus vers. 20b; deinde sequitur initium expositionis ad vv. 20b-22, quam fere integram heic subjicimus, ut exinde possimus pervenire ad explicationem hujus pericopæ, de qua monachi s. Benedicti, e congregatione s. Mauri, qui editionem optimam paraverunt operum s. Ambrosii, merito notant huic loco quam multas tenebras offundi et P. A. Ballerini, in editione quam curavit: « De hujus loci obscuritate dignatus est et beatissimus Pater Pius IX illis amice colloqui, qui primum hujus editionis tomum eidem Sanctitati suæ obsequenter obtulerunt ».

Sic itaque, post textum sacrum, quem supra recitavimus, pergit s. Ambrosius:

« Quattuor tantum beatitudines sanctus Lucas dominicas posuit, octo vero sanctus Matthæus. Sed in istis octo

---

(1) S. Ambrosius, uti ex hisce, collato textu vulgatæ editionis, statim apparet, textum sacrum sat libere refert. — In priori beatitudine addunt Maurini et Migne: *spiritu*; hanc vocem etiam omittit ed. mediol., ubi notatur ad h. l.: « Vox *spiritu*, quæ post *pauperes* legitur etiam in editione maurina, adscititiam esse a Matthæo, ostendunt non modo nostri mss., ubi deest, sed ipse Ambrosius seq. n. 53. Adde eam deesse tam in græco textu, quam in veteribus versionibus ».

illæ quattuor sunt et in his quattuor illæ octo. Hic enim quattuor velut virtutes amplexus est cardinales, ille in illis octo mysticum numerum reseravit (1). Pro octava enim multi scribuntur psalmi (2), et mandatum accipis octo illis partem dare fortasse benedictionibus (3); sicut enim spei nostræ octava perfectio est, ita octava summa virtutum est.

Sed prius quæ sunt ampliora videamus (4). *Beati* inquit *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (5). Primam benedictionem hanc uterque evangelista posuit. Ordine enim prima est et parens quædam generatioque virtutum, quia qui contemserit sæcularia ipse merebitur sempiterna: nec potest quisquam meritum regni cælestis adipisci, qui mundi cupiditate possessus emergendi non habet facultatem. Secunda benedictio: *beati* inquit *mites*. Tertia: *beati qui lugent*. Quarta: *beati qui esuriunt* Quinta: *beati misericordes*. Sexta: *beati mundo corde*. Septima: *beati pacifici* (6). Et bene septima, quoniam eo die ab omnibus mundi operibus requievit Deus (7); dies enim

---

(1) Ad h. l. notant Maurini: « Omnes edit. *reseravit*. E contrario omnes propemodum mss. *reservavit*, id est, *servavit*, compositum pro simplici »; ita etiam Migne, dum in ed. mediolanensi: « Nos cum nostris mss. A, B², B legimus *reseravit* ».

(2) Breviarium habet: *inscribuntur*; edit. omnes: *scribuntur*. — Reapse tantummodo duo psalmi, scil. VI et XI, hanc inscriptionem habent, quam auctores communiter audiunt ut adnotationem musicalem, quam varia ratione alioquin explicant; vide BEELEN, *Het oude Testament*, IV. *Boek der Psalmen*, bl. 4, Brugge, 1896; FILLION, *La sainte Bible*, IV, p. 23, Paris, 1903⁴.

(3) Ita in *Eccle.*, XI, 2: « Da partem septem, necnon et octo ». — In hoc capite, notat BEELEN, *o. c.*, ad h. l., ponitur exhortatio ad beneficentiam largam, atque textum citatum ipse sic explicat cum Menochio: « Scripturæ consuetudo est, ut quando ad septem addit adhuc alium numerum, *plurimos* significet »; itaque, addit, hisce verbis exprimitur præceptum dandi partem panis, seu substantiæ, septem indigentibus, imo et octo, id est, omnibus quibus dari potest.

(4) Hæc propositio est transitio ad totam demonstrationem sequentem: videamus prius seu primo loco, non quomodo quattuor benedictiones, minores igitur numero, æquivaleant tamen illis octo, sed ampliora quæ in illis octo longius etiam proponuntur.

(5) In ed. Maur. et Migne: *vestrum*; in ed. mediol. pariter: *ipsorum*

(6) *Matth.*, V, 4 s.

(7) *Gen.*, II, 2.

quietis et pacis est (1). Octava: *beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (2).

Veni, Domine Jesu, doce nos ordinem beatitudinum tuarum; neque enim sine ordine dixisti primo beatos pauperes spiritu, secundo beatos mites et tertio beatos qui lugent. Etiamsi cognosco aliquid, tamen ex parte cognosco Si enim Paulus ex parte cognovit (3), quantum ego possum cognoscere, qui Paulo quantum vita tantum etiam verbo inferior sum? Vita enim verbum exigit et adquirit, sermo autem sine vita non Dei sermo. Quanto me sapientior Paulus! Ille gloriatur in periculis (4), ego glorior in successibus; ille gloriatur, quia revelationibus non extollitur (5), ego, si quæ revelationes mihi contingerent, gloriarer. Sed tamen potest Deus de lapidibus homines suscitare (6), et verbum proferre de clausis, vocem elicere de mutis. Quodsi asinæ oculos aperuit, ut videret angelum (7), potens est et nobis quoque aperire oculos, ut possimus Dei videre mysterium.

Beati inquit *pauperes*. Non omnes beati pauperes; paupertas enim media est. Possunt et boni esse et mali pauperes, nisi forte ille intelligendus pauper beatus, quem propheta descripsit dicens quia *melior pauper justus quam dives mendax* (8). Beatus *pauper* qui *clamavit, et Dominus exaudivit eum* (9), pauper a crimine, pauper a vitiis, pauper in quo mundi princeps nihil invenit (10), pauper illius æmulus pauperis, qui cum dives esset, propter nos pauper factus est (11). Unde plene Matthæus aperuit dicens: *beati pauperes spiritu* (12); pauper enim spiritu non inflatur, non extollitur mente carnis suæ.

Prima ergo ista benedictio est, cum deposuero omne peccatum et exuero omnem malitiam et simplicitate contentus fuero, inops malorum. Superest ut mores meos temperem. Quid enim mihi prodest carere sæcularibus, nisi fuero mitis atque mansuetus? Nam qui sequitur viam rectam — sequitur utique illum qui ait: *discite a me quia mitis sum et humilis corde* (13). Depone

---

(1) *Lev.*, XXIII, 24.
(2) *Matth.*, V, 10.
(3) *I Cor.*, XIII, 9.
(4) *II Cor.*, XII, 5.
(5) *II Cor.*, XII, 7.
(6) *Matth.*, III, 9.
(7) *Num.*, XXII, 27.
(8) *Proverb.*, XIX, 22.
(9) *Ps.* XXXIII, 7.
(10) *Jo.*, XIV, 30.
(11) *II Cor.*, VIII, 9.
(12) *Matth.*, V, 3.
(13) *Matth.*, XI, 29.

igitur quæ inproba sunt, egeto vitiis secundum bonam paupertatem, mitiga adfectum tuum, ut non irascaris aut certe iratus ne peccaveris juxta quod scriptum est: *irascimini et nolite peccare* (1). Præclarum est enim motum temperare consilio nec minoris virtutis ducitur cohibere iracundiam indignationemque conpescere quam omnino non irasci, cum plerumque illud lentius, hoc fortius æstimetur.

Cum hoc feceris, memento quia peccator es et lugeto peccata tua, lugeto delicta. Et bene tertia benedictio est peccata deflentis, quia Trinitas est quæ peccata condonat. Ablue igitur te lacrimis tuis, lava fletibus. Si tu ipse te fleveris, alius te non flebit; nam si Saul deflesset peccata sua, Samuhel eum non deflevisset (2). Habet unusquisque quos fleat mortuos suos. Mortui sumus quando peccamus, quando implemur ossibus mortuorum. Mortuus est sermo malus, qui exit ex ore. Exit enim de sepulchro malo; *sepulchrum* enim *patens est guttur eorum* (3). Ideo dicit apostolus: *imitatores mei estote* (4). Vult nos delictorum meminisse nostrorum. Paulus non habebat quod lugeret, ex quo in Christum credidit, et tamen priora deflebat dicens quia *non sum dignus vocari apostolus, quia persequutus sum ecclesiam Dei* (5). Ille igitur peccator ante fidem, nos vero adhuc peccamus post fidem. Qui peccator est defleat se et arguat se, ut fiat justus; *justus* enim *accusator est sui* (6).

Ordinem igitur persequamur, quia scriptum est: *ordinate in me caritatem* (7). Deposui peccatum, temperavi mores, delicta deflevi, esurire incipio et esurire justitiam (8); æger enim cum in gravi morbo est, non esurit, quia ægritudinis dolor excludit famem. Sed quæ ista fames justitiæ? Qui sunt isti panes, quos esurit justus? Ne forte panes illi de quibus dictum est: *juvenis fui et senui, et non vidi justum derelictum nec semen ejus quærens panem* (9)? Qui esurit utique virium quærit augmentum. Quod autem majus virtutis incrementum quam norma justitiæ?

Post hos *beati* inquit *misericordes* (10): justitiam enim

---

(1) *Ps.* IV, 5.
(2) *I Reg.*, XV, 35.
(3) *Ps.* V, 10.
(4) *I Cor.*, IV, 16.
(5) *I Cor.*, XV, 9.
(6) *Proverb.*, XVIII, 17.
(7) *Cantic.*, II, 4.
(8) *Matth.*, V, 6.
(9) *Ps.* XXXVI, 25.
(10) *Matth.*, V, 7.

sequitur misericordia. Unde dictum est: *dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum* (1). Sed etiam qui misericordiam defert mercedem amittit, nisi mundo corde misereatur; nam si jactantiam quærat, nullus est fructus. Emunda igitur interiora tuæ mentis et, si diligenter pectoris tui secreta mundaveris, conpatere his qui inpugnantur et intellege quanti hominum, quanti fratrum tuorum auxilium tuum quærant.

Sed nisi tu prius interiora tua vacuefeceris ab omni labe peccati, ne dissensiones contentionesque ex adfectu tuo prodeant, non potes aliis ferre medicinam. A te igitur pacem incipe, ut, cum fueris ipse pacificus, pacem aliis feras. Quomodo enim potes aliorum corda mundare, nisi tua ante mundaveris?

Profuisti igitur aliis, tulisti auxilium pluribus: festina, contende ad finem. Multi cum essent exitus vitæ, unus Domino conpetebat; nam quod natum erat secundum carnem (2) oportebat secundum carnem et mori. Elegit passionem, ut moreretur pro nobis, et tu dic de omnibus quæ retribuit tibi: *calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo* (3), hoc est passionem. Unde etiam illis, qui ad dextram vel sinistram sedere cupiebant, ait: *potestis calicem bibere, quem ego bibiturus sum?* (4) Usque ad finem te ducit, usque ad martyrium prosequitur et constituit beatitudinum palmam.

Vide igitur ordinem. Oportet te pauperem fieri spiritu; humilitas enim spiritus divitiæ virtutum sunt. Nisi pauper fueris, mitis esse non poteris. Qui mitis est potest lugere præsentia, qui inferiora luget potest desiderare meliora, qui superiora quærit inferiora devitat, ut et ipse a superioribus adjuvetur, qui miseretur cor suum mundat (5). Quid est enim mundare animum nisi sordem mortis abolere? *Elemosyna* enim *a morte liberat* (6), patientia vero perfectio est caritatis. Qui autem patitur persecutionem in ultimo certamine constitutus probatur adversis, ut cum legitime certaverit coronetur (7). Hos quidem gradus volunt esse virtutum, per quos ab ultimis ad superiora possimus ascendere.

---

(1) *Ps.* CXI, 9.
(2) *Jo.*, III, 6; cfr *Rom.*, I, 3.
(3) *Ps.* CXV, 4.
(4) *Matth.*, XX, 22.
(5) *Proverb.*, XI, 17.
(6) *Tob.*, IV, 10.
(7) *II Tim.*, II, 5.

Denique sicut incrementa virtutum ita etiam incrementa sunt præmiorum; plus est enim Dei esse filium quam possidere terram et consolationem mereri, sed quia et primum præmium regnum cælorum est et ultimum præmium regnum cælorum est, numquid æquale præmium incipientibus atque perfectis est? Ne forte mystice docemur quia est primum regnum cælorum illud apostolicum: *dissolvi et cum Christo esse?* (1) Habes primum regnum, quando sancti rapiuntur in nubibus obviam Christo in aera; *multi* enim *dormientium surgent, isti in vitam æternam, illi in obprobrium* (2). Primum ergo regnum cælorum sanctis propositum est in absolutione corporis, secundum regnum cælorum est post resurrectionem esse cum Christo. Cum fueris in regno cælorum, tunc processus est mansionum (3). Etsi unum regnum, diversa tamen merita sunt in regno cælorum. Post resurrectionem terram tuam incipies possidere absolutus a morte. Ille enim cui dicitur: *terra es et in terram ibis* (4) non possidet terram suam; non enim potest esse possessor qui non capit fructum. Absolutus igitur per dominicam crucem, si tamen intra jugum Domini fuerit inventus, consolationem in ipsa possessione repperies (5). Consolationem sequitur delectatio, delectationem divina miseratio. Quem autem miseratur Dominus et vocat (6). Qui vocatur videt vocantem, qui Deum viderit in jus divinæ generationis adsumitur. Tunc demum quasi Dei filius cælestis regni divitiis delectatur. Ille igitur incipit, hic repletur. Nam et intra hoc sæculum multi in imperio Romano sunt, sed majorem imperii gratiam qui propriores imperatori sunt consequuntur.

Nunc dicamus quemadmodum in quattuor benedictionibus sanctus Lucas benedictiones sit octo complexus. Et quidem scimus virtutes esse quattuor cardinales, temperantiam justitiam prudentiam fortitudinem... ».

In sequentibus deinde s. doctor hanc secundam propositionem probat, quam primo enuntiavit supra: « Sed in istis octo illæ quattuor sunt et in his quattuor illæ

---

(1) *Philip.*, I, 23.
(2) *I Thess.*, IV, 17; *Dan.*, XII, 2.
(3) *Jo.*, XIV, 2 s.
(4) *Gen.*, III, 19.
(5) Repperies, reperies seu invenies.
(6) *Rom.*, IX, 18 et 24. — Scil. Deus vocat quem miseratur.

octo. Hic [scil. s. Lucas] enim quattuor velut virtutes amplexus est cardinales ».

Prima vero propositio secundo loco posita hæc erat: « Ille [scil. s. Matthæus] in illis octo mysticum numerum reseravit », seu numerum octonarium elegit, qui est mysticus: « pro octava enim multi scribuntur psalmi et mandatum accipis octo illis partem dare fortasse benedictionibus », id est beatitudinibus, a prima voce qua ordiuntur : Benedictus seu beatus qui...

Prima ratio, quam non explicat s. Ambrosius, hæc ponitur: Quia multi psalmi, ait [reapse duo, uti notavimus], pro octava inscribuntur; secunda, quia Scriptura sacra præcipit [mandatum accipis] illis octo beatitudinibus partem seu operam dare. Revera, uti supra pariter notavimus, liber Ecclesiastes, hoc loco agit de eleemosyna danda octo, id est, quam plurimis egenis, sed hac nativa interpretatione omissa, textum adaptat s. Ambrosius ad omnia opera bona facienda, quæ in illis octo beatitudinibus enumerantur, ideoque, aiunt Maurini, etiam addiderit vocem *fortasse*, ut sic se nativam interpretationem relinquere significaret.

Post hæc ponit s. Ambrosius hanc assertionem, quam longe lateque probat in toto textu, quem præmisimus : « Sicut enim spei nostræ octava [beatitudo] perfectio est, ita octava [beatitudo] summa virtutum est »; id est: sicut octava beatitudo summum bonum sperandum affirmat, scil. in altero membro propositionis, ubi promissio ponitur; ita summum opus bonum faciendum petit, in primo membro nimirum: beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam.

Hæc assertio, uti videtur, simul explicare debet præcedentia, atque sic intelligitur vox copulativa *enim:* oportet octo bona opera, quæ enumerat s. Matthæus in octonario numero mysterium reserans, ad praxim deducere; *etenim* octava beatitudo, quæ maximum opus a nobis postulat, etiam perfectissimum præmium nobis præstabit.

Sunt enim, uti explicite advertit s. Ambrosius, « gra-

dus virtutum, per quos ab ultimis ad superiora possimus ascendere... [Et] sicut incrementa virtutum, ita etiam incrementa sunt præmiorum ». Octava porro beatitudo, ait, « usque ad finem te ducit, usque ad martyrium prosequitur et constituit beatitudinum palmam »; ideo- et maximum præmium sperare licet, quod reapse obtinebitur. Et revera, addit, quamquam apud s. Matthæum ponitur primum præmium pauperibus spiritu tribuendum ipsum regnum cœlorum, quod ponitur rursus ultimum præmium elargiendum iis qui persecutionem patiuntur, non erit tamen simpliciter idem, sed hoc quod erit post resurrectionem, manet præferendum illo, quod sanctis in absolutione corporis propositum fuit (1).

---

(1) Hanc explicationem proponunt Maurini : multi Patres, tum latini, tum græci, octavam audiunt resurrectionem beatam et sic etiam, aiunt, s. Ambrosius qui scribit alibi: « octava die facta est resurrectio; unde et plerique psalmi pro octava scribuntur ». Hisce præmissis sic pergunt: « Unde idem [s. Ambrosius] subdit octavam [resurrectionem scil.] esse spei nostræ perfectionem, id est, terminum et coronidem ». Deinde adhuc infra: « Idem est, octo benedictionibus partem dare, ac universis virtutibus operam dare. Et hinc est quod additur, ita et octava summa virtutum est; summa enim dicitur per allegoriam ad numeros, quibus collectis summa conficitur... Sensus ergo est per octavam et resurrectionem futuram, et virtutum universitatem ex æquo signari »; ita etiam Corn. a Lapide, *Comment. in Eccle.*, ad h. l. (ed. Antverpiæ, 1725, p. 315) et Van Steenkiste, *Evang. sec. Matth.*, III, p. 1472 s., Brugis, 1903[4] necnon Vigourel-Bacuez, *L'office divin*, p. 464, Paris, 1916[5], qui sic vertunt: « L'octave, le nombre huit, exprimant l'accomplissement de nos espérances, exprime aussi naturellement la plénitude de la sainteté ou la totalité des vertus » ; ita rursus *Les questions liturgiques et paroissiales*, VIII, p. 222, Louvain, 1923 et *Ephem. liturg.*, XXXVII, p. 460 s., Roma, 1923. — Jam autem quamquam scimus s. Ambrosium hunc numerum octonarium habuisse ut perfectum et distinctivum novæ legis, quoniam die octava facta est resurrectio, adeoque admittimus octavam sic consideratam non fuisse a mente ipsius absentem, quia alibi sæpius ad hanc ideam redit (cfr Van Steenkiste, *o. c.*, III, p. 1475 s. et 1519 ac *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 316 s.), putamus tamen octavam hoc loco in intentione s. Ambrosii magis determinatam existere et esse octavam beatitudinem, quoniam hoc est argumentum totius demonstrationis sequentis; adverte deinde octavum præmium non tam esse in resurrectione quam potius in regno cum Christo et octavum opus postulatum non esse summam seu collectionem omnium virtutum sed potius supremam virtutem, juxta ipsam expositionem s. Ambrosii.

Breviter itaque: s. Ambrosius exponens evangelium s. Lucæ notat hunc evangelistam tantum quattuor enumerare beatitudines seu benedictiones, dum octo ponit s. Matthæus, ubi eumdem sermonem Christi refert. Unde, pro scopo suo, quem initio hujus disquisitionis indicavimus, ostendere vult quomodo hæc conveniant, atque hoc præstat inde a textu, cujus priora verba recitavimus. Verum, habet alium scopum præcipuum, scilicet docere perfectionem moralem, ideoque postquam animadvertit cur s. Matthæus octo retulerit beatitudines, quia scilicet hic numerus est mysticus, quippe quum multi psalmi, ait, sic inscribantur et de hisce bonis operibus fortasse mandatum Scripturæ veniat audiendum, transit ad exhortationem moralem, intime nexam cum præcedentibus, imo in iisdem potius jam contentam: oportet octo exercere beatitudines seu octo illis benedictionibus partem et operam dare; nam si in octava beatitudine summum opus virtutum a nobis postulatur, etiam perfectissimum quod sperare possumus, in eadem beatitudine octava nobis promittitur.

H. Lamiroy.

Législation civile.

Loi relative aux traitements des ministres du culte catholique.

La loi du 6 mars 1925 (1) porte augmentation des traitements ecclésiastiques (2).

Les traitements déterminés par cette loi comprennent une partie fixe et éventuellement une partie mobile (art. 1).

1. La *partie fixe* est déterminée comme suit (art. 11) :

CLERGÉ SUPÉRIEUR.

Archevêque	fr.	50.000
Evêques	»	40.000
Vicaires généraux de l'archevêché . . .	»	13.000
Vicaires généraux des évêchés	»	12.000
Chanoines de l'archevêché	»	8.000
Chanoines des évêchés	»	7.500
Secrétaires de l'archevêché	»	6.500
Secrétaires des évêchés	»	6.000

CLERGÉ INFÉRIEUR.

Curés de première classe	fr.	4.800
Curés de seconde classe	»	4.200
Desservants	»	3.800
Chapelains et vicaires.	»	3.200

2. La *partie mobile* est en rapport avec l'importance de la partie fixe, augmentée, le cas échéant, des indemnités

(1) Cfr *Moniteur*, p. 1175 s.

(2) Voir la dernière loi portant augmentation des traitements ecclésiastiques (10 août 1920) dans A. DE MEESTER, *La Sépulture et les fabriques d'église*, p. 495 et cfr *Collat. Brugen.*, XX, p. 345.

tenant lieu d'avantages en nature attachés légalement à l'emploi. Elle variera selon les fluctuations de l'indice simple de l'augmentation des prix de détail qu'établit et publie mensuellement le ministère de l'Industrie, du Travail et de la Prévoyance sociale (art 1).

Cette partie mobile est établie par trimestre et payable par mois. Pour chaque trimestre civil, elle est déterminée par la moyenne des nombres indices publiés pour les deux premiers mois du trimestre écoulé et pour le mois qui le précède. Elle n'est acquise que si la moyenne envisagée depasse le nombre 300.

Les taux annuels en sont fixés comme il suit :

300 fr.	pour	les	traitements	fixes	de		7 999,99 fr. et moins;
400 »	»	»	»	»	»		8.000 à 11,999 fr. 99 c;
500 »	»	»	»	»	»		12.000 à 15.999 fr. 99 c;
600 »	»	»	»	»	»		16.000 à 19 999 fr. 99 c;
700 »	»	»	»	»	»		20.000 à 23.999 fr. 99 c;
800 »	»	»	»	»	»		24.000 à 26.999 fr. 99 c;
900 »	»	»	»	»	»		27,000 à 29.999 fr. 99 c;
1,000 »	»	»	»	»	»		au delà.

A partir du nombre indice 301, ils sont acquis autant de fois que l'excédent contient des tranches indivisibles de 30 points, toute fraction comptant pour une tranche complète (art. 12).

Il est à remarquer cependant que la partie mobile afférente aux traitements des membres du clergé du culte catholique est réduite aux trois quarts des taux normaux (art. 12).

L'art. 17 contient cette disposition : « les avantages concédés par la présente loi sont acquis aux bénéfices à partir du 1er juillet 1924, ou à partir de leur nomination, si elle est postérieure, sous déduction de toutes sommes attribuées depuis lors à titre de traitement et d'indemnités accessoires ».

Consultatio.

De suspensione indulgentiarum durante anno sancto.

Dubium circa orationes « Sacrosanctæ » et « Obsecro Te ».

Devote et flexis genibus recitanti orationem *Sacrosanctæ* (1) post officium indulsit Leo X defectus et culpas in horis persolvendis ex humana fragilitate contractas. Simili modo recitanti flexis genibus orationem *Obsecro te* concessit Pius X remissionem defectuum et culparum in celebratione missæ ex humana fragilitate contractarum (2). Quæritur utrum durante anno sancto utraque hæc oratio conservet suam efficaciam in favorem ipsius recitantis aut celebrantis.

R. 1/ Alteri orationi, scilicet *Obsecro te*, jam Pius IX, 11 decembris 1846, adnexuit indulgentiam 3 annorum: hæc, haud dubie, durante anno jubilæi suspenditur pro vivis et solis defunctis est applicabilis (3).

2/ Quod autem specialem efficaciam attinet de qua in quæstione agitur, dicendum videtur eam per annum sanctum perseverare. Ratio est quia hæc efficacia est peculiaris indolis et non est simpliciter per modum indulgentiæ concessa. Utraque scilicet oratio operatur simultanee *a*/ per modum cujusdam *sacramentalis* et *b*/ per modum *indulgentiæ*.

a/ Sacramentalia scilicet sunt res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam sacramentorum imitationem, uti

---

(1) Oratio *Sacrosanctæ* s. Bonaventuræ sæpe adscribitur, sed immerito, ut videtur juxta B. KRUITWAGEN, O. F. M., apud *Liturgisch tijdschrift*, t. IV, 1914, p. 169.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, 1922, t. XXII, p. 89.

(3) Cfr *Collat. Brugen.*, 1925, t. XXV, p. 70.

solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus præsertim spirituales (can. 1144). Jamvero utraque oratio de qua quæritur, habet ex institutione et impetratione Ecclesiæ efficaciam excitandi in anima eos sensus pœnitentiæ et fervoris quibus peccata venialia fragilitatis in recitatione officii aut celebratione missæ contracta remittuntur quoad reatum culpæ.

b/ Culpis vero ita remissis, Ecclesia solvit ex thesauro suo spirituali pœnas temporales illis debitas, per modum scilicet indulgentiæ. Hæc autem indulgentia ita personalis videtur dicenda, utpote destinata ad reparandum damnum spirituale per determinatum aliquod opus causatum, ut difficile concipiatur ad defunctos transferibilis; eo vel magis quod, si hæc applicabilitas defunctis esset admittenda, mirum hoc consectarium simul foret accipiendum, nimirum aliquem eo magis per has orationes prodesse animabus purgatorii, quo plures in officio divino recitando aut in missa celebranda admiserit defectus ac culpas fragilitatis (1).

Unde concludes has duas orationes durante anno sancto vel primum tantum effectum, ad modum cujusdam sacramentalis, conservare, alterum vero, ad modum indulgentiæ, simpliciter amittere, vel potius hanc indulgentiam non cadere sub suspensione indulgentiarum et manere vivis applicabilem.

A. Legrand.

(1) Cfr A. Vermeersch (S. J.), apud *Periodica de re canonica* et *morali*, t. XIII, 1925, p. 200 sq.; Beyersbergen, *Nederlandsche katholieke stemmen*, t. XXIV, 1924, in fasciculo mensis decembris ubi de jubilæo.

Notæ Bibliographicæ

Vermeersch, A, (S. J.) *Theologiæ moralis principia, responsa, consilia*. T. II, III et IV. Brugis, Beyaert, 1923 et 1924. — In 8, XV-636 ; XVI-803 ; VII-139 p. — Pr. 27 fr., 35 fr., 6 fr.

Cum sane omnibus lectoribus nostris apprime nota sint scripta R. P. Vermeersch, ejus opus morale in hoc periodico non tam notificandum quam potius laudandum aggredimur. Quatuor nimirum voluminibus constat lucubratio tota, cujus prior pars de morali fundamentali tractat, omisso, quod mirum, tract. de fine ultimo; tres autem aliæ de morali decalogali et sacramentali. Volumen secundum, seu de *virtutum exercitatione*, complectitur tractatus de virtutibus theologicis et moralibus excepta castitate; volumen tertium, præter materiam *sacramentorum*, exhibet insuper doctrinam *de clericis et religiosis, de præceptis Ecclesiæ et de censuris*; quartum tandem agit *de castitate et vitiis oppositis, cum parte morali de sponsalibus et matrimonio*, præbetque summario modo disciplinam jam antea in majore opere de castitate expositam.

Eximii hujus auctoris summam industriam ingeniique vigorem omnes jamdudum mirantur ; quæ quidem animi dotes in conscribenda nunc Theologia Morali iterum iterumque eminuerunt. Quamvis enim a paucis tantummodo annis amplissimam hanc materiam Romæ doceret, nec multis aliis præterea careret occupationibus, tantæ molis opus feliciter jam perfecit, cujus editio ab omnibus rei moralis studiosis avide exspectabatur. Præclaram autem ejus mentis aciem, jampridem in prioribus ejus lucubrationibus manifestam, hic rursus videre est ; vereque magister apparet qui loquitur. In variis nimirum punctis statum quæstionis, hodiernis aptatum circumstantiis, concinne quidem sed dilucide proponens, aptas solutiones, collatis etiam aliorum auctorum sententiis, lectoribus præbet: quæ profecto si non omnes moraliter certæ dicendæ sint, probabilibus certe rationibus ipsaque scriptoris auctoritate nixæ apparent.

Quod autem in omnibus certitudinem non afferat, nil mirum : cum enim talis sit ingenii ut scientiam moralem promovere satagat, in quibusdam novis sive arduis quæstionibus novam sententiam quandoque proponit, prout in materia justitiæ v. g. necnon castitatis plus semel invenire est ; nec novatoris nomen reformidare videtur, ubi nempe innovare præstat. Et alias quidem novitates aperte docet, alias autem caute suggerit prudenterque præparat : quasi pedetentim orali sua doctrina scriptis præeundo.

Unde profecto nonnullæ ejus sententiæ a communiore doctrina

discrepare natæ sunt, imo lectoris animum primo aspectu incertum quodammodo relinquere; verum ipsæ illæ innovationes discussioni inter auctores aptissimæ sunt, indeque scientiæ morali proculdubio perutiles dicendæ.

Nemo sane mirabitur nos in tantæ molis opere laudando, a dubiis particularibus exponendis hic abstinere. Ceterum, quidquid de quibusdam punctis in specie disputari possit, hoc sane verissimum est : opus ab eximio auctore conscriptum inter Theologiæ Moralis lucubrationes primarium quemdam locum occupare; ipsumque legentibus fructuosissimum, scientiæque morali promovendæ, adagendæ et perficiendæ utilissimum fore. E. Hosten.

de Moreau, E. (S. J.) *Histoire de l'Eglise.* Tournai, Casterman, 1925. – In 12, VIII 374 pp. – Pr. 12 frs.

Donner de l'histoire de l'Eglise un aperçu clair, scientifiquement exact, suffisamment complet et envisageant les divers aspects de la vie de l'Eglise, mettant enfin en relief les grandes personnalités et les principaux faits : tel a été le but de l'auteur; à mon avis il a pleinement réussi à l'atteindre. Le manuel du R. P. de Moreau, qui fait partie de la « Collection belge de manuels d'histoire », s'adresse avant tout aux élèves de l'enseignement moyen, mais on peut dire que par la clarté et la précision dans l'expression, par le style synthétique et les bonnes divisions, il l'emporte sur plus d'un manuel de l'enseignement supérieur. Nous avons beaucoup goûté les chapitres, consacrés à l'histoire de l'Eglise en Belgique, où l'auteur, on s'en aperçoit aisément, a condensé le fruit de beaucoup de recherches personnelles. Nous recommandons vivement cet excellent manuel à nos professeurs et à nos directeurs de pensionnats ; nous souhaitons qu'il soit bientôt traduit en flamand et puisse ainsi, également chez nous, servir comme complément à l'enseignement de l'histoire profane. R. Deschepper.

Vermeersch, A.-Creusen, J. (S. J.). *Epitome juris canonici* cum commentariis ad scholas et ad usum privatum. t. II libri III codicis juris canonici, ed. 2ª Mechliniæ, 1925. — In 8, XV-515 p. — Pr. 20 fr.

Juxta divisiones codicis juris canonici, pars prima hujus tomi agit de sacramentis (can. 731-1153), pars secunda de locis et temporibus sacris (can. 1154-1254), pars tertia de cultu divino (can. 1255-1321), pars quarta de magisterio ecclesiastico (can. 1322-1408), pars quinta de beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus (can. 1809-1494), pars sexta de bonis Ecclesiæ temporalibus (can. 1495-1151). Quod spectat sacramentum matrimonii, dispositio mutata est in hac nova editione ut magis ad codicis ordinem conveniat ; præterea tractatio rerum prorsus recognita est. Hæc optima et necessaria emendatio adauget adhuc valorem hujus operis valde commendandi, in quo sacerdotes reperient codicis explanationem contractam et judicio plenam.

Leclercq, J. *Le mariage civil et le divorce.* Bruxelles, 1924. — In 24, 48 p.

Sous ce titre M. l'abbé Leclercq vient de publier une conférence qu'il a faite à la Ve semaine sociale universitaire catholique à Louvain. La loi civile n'a aucune compétence en matière sacramentelle. Le mariage chrétien étant un sacrement, l'état aura à s'occuper de la répercussion du mariage sur la société civile, des effets civils ; il n'aura pas à s'occuper d'autre chose.

L'objet de la conférence est d'exposer l'origine de notre législation civile en cette matière, sa portée et le sens où elle pourrait subir une heureuse réforme. En Belgique, vouloir soumettre l'ensemble de la population, dans des matières qui relèvent des convictions religieuses, à une législation uniforme, sera nécessairement faire œuvre artificielle. Pratiquement, il faut donner aux catholiques une législation qui s'accommode aux exigences de leur conscience et laisser aux non-catholiques une législation qui s'accommode à leurs convictions. Si des lois nouvelles pouvaient être inspirées de ces idées, la liberté des catholiques y gagnerait beaucoup. V. Coucke.

Vermeersch, A. (S. J.) *De jubilæo anni 1925.* Brugis, Beyaert, 1924. — In 8, 80 p. — Pr. 2 lib. ital.

Commentarius quem prius cl. auctor edidit in suis periodicis *de re canonica et morali* separatim prodiit, adjectis omnibus documentis ad jubilæum hujus anni sancti spectantibus. Solutio quam ipse affert circa varias quæstiones de indulgentia jubilæi, non tantum propter scientiam cl. A., sed et propter munus quo in Urbe fungitur, peculiari sane pollet auctoritate. Omnibus ideo qui breviter ac docte circa indulgentiam jubilarem instrui cupiunt hoc opusculum enixe commendamus (1).

Fanfani, L. (O. P.). *De jubilæo seu anno sancto vertente anno 1925.* Torino, Marietti, 1924. — In 12, 41 p. — Pr. 2 lib. ital.

Brevius sed generatim recte exponit conditiones et favores jubilæi anni sancti. Quædam tamen inaccurate dicta notamus (2). Præsens

---

(1) Pauca dubia notare liceat. An adhuc utilis est disputatio circa horam vesperarum, qualis p. 7 invenitur ? Nonne relate ad indulgentias lucrandas expressio *primæ vesperæ* potest haberi tamquam synonyma hujus : *hora meridiana ?* Confusioni locum dare posset quod scribitur p. 12 : qui una die duas [basilicas], altera verò alias duas visitaverit, nullam lucrando jubilæo visitationem utilem perfecit. Quamdam ulteriorem explicationem optabunt lectores circa vetitam publicationem etc. indulgentiarum p. 39.

(2) Etiam in modo dicendi quædam offuscat obscuritas ex usu in sensu passivo verborum quæ tamquam deponentia adhiberi solent, ut sunt *hortari, mirari, lucrari.*

jubilæum ordinarium non est 23m, ut dicitur p. 7, sed 21m, nec durat usque ad *secundas* Vesperas Natalis Domini sequentis anni (p. 7). An cum pueris, usum rationis adeptis et nondum ad primam communionem admissis, s. Communio in aliud pium opus commutari possit (p. 12) valde dubitamus.

Quo jure affirmatur ex Constit Apostolico muneri stabiliter impeditos indulgentiam una vice *pro se*, altera *in suffragium defunctorum* obtinere posse (p. 24)?

D. P. B. (O. S. B.). *Petit manuel à l'usage du pèlerin pour gagner l'indulgence de l'année sainte et visiter les quatre basiliques majeures.* Rome, Imprimerie vaticane, 1925. — In 18, 64 p.

Donne après quelques brêves notions sur le jubilé et sur les conditions à remplir pour le gagner, une série d'exercices de piété dont on *pourra* utilement faire usage dans la visite des basiliques. Retenons bien cependant que ces exercices ne sont nullement *requis* à l'effet de gagner l'indulgence. Signalons l'avertissement placé en tête de l'opuscule : « Le secrétaire général du comité central pour l'Année Sainte ou, en cas d'absence ou d'empêchement, le prêtre qui le remplace, peut dispenser, même en dehors du tribunal de la pénitence, les pèlerins de la visite des quatre basiliques, comme il le jugera bon, en tenant compte des circonstances. — Les pèlerins durant le voyage d'aller et de retour sont dispensés du jeûne et de l'abstinence ». Une note finale établit la distance entre les quatre basiliques : cette distance totale est de 19 km. 835 environ.

Eene roos aan den kruisstam. Gemma Galgani. Uitgave der Paters Passionisten, Kortrijk, 1925. — In 8, 232 bl. — Pr. 7 fr.

Een zeer schoon boek dat we geern aanbevelen aan onze vlaamsche jeugd. Geen verhaal van de onnavolgbare heldendaden of onbereikbare mystieke hoogten die 't leven van die zonderlinge ziel kenmerken: hier wordt Gemma aan de jeugd ter navolging voorgesteld in al de deugden van een lief, goed, gehoorzaam kind, een volkskind, dat met de jaren, naar 't voorbeeld van Jezus, toenam in behagelijkheid bij God en bij de menschen. Mochten vele onzer jongens en meisjes bij 't beschouwen van dit pronkjuweel van Gods genade er ook toe besluiten als glanzende perels te worden aan de kroon van hun volk en van de Kerk; want ook zij werden daartoe door God uitverkoren in hun heilig doopsel.

Mullie, C. *Quæstionarium in ordine ad instituendum examen conscientiæ.* Ed. 2a, aucta et emendata. Meenen, Deleu-Loncke, 1925. — In 18, 168 p. — Pr. 3,50 fr.

Opusculum hoc R. D. Directoris philos. in sem. min. rollariensi quam instanter commendamus omnibus lectoribus nostris, etiam iis qui forte primam editionem præ manibus habent : est etenim vade-

mecum notabiliter adauctum, perutile tum ad propriam conscientiam discutiendam, tum ad apte dirigendam conscientiam aliorum. Methodus applicata hæc est : præcipua capita theologiæ asceticæ successive recoluntur, ac traditis breviter notionibus ac principiis, varii defectus vitandi eorumque radices indicantur, apta remedia proponuntur. Est igitur examinatio practica circa integram vitam interiorem præprimis ipsius sacerdotis, sed quæ facile etiam aliis animabus piis aptari potest.

Lagae, A. *Het rijk der genade.* Brugge, Desclée, De Brouwer & Cie, 1925. — In 12, 106 bl. — Pr. 3 fr.

Het werkje van den E. H. Lagae, onderpastor op S. Baafs, bij Brugge, is heel en al geput uit de zuiverste bron, te weten s. Thomas' *Summa theologica.* Het zal zeer nuttig zijn aan alle priesters en onderwijzers. De leering nopens gansch ons bovennatuurlijk leven wordt er duidelijk uiteengedaan. Eene treffende inleiding van Z. E. H. Kan. Mahieu geeft een algemeen overzicht van 't inwendig leven. De bijzondere aanbeveling van Z. D. H. Mgr Waffelaert zal aan iedereen volledige waarborg geven nopens 't zakelijke en 't grondige van dit boekje.

Bij het derde Berchmans-eeuwgetij. Tentoonstelling, Iconographie, Bibliographie. Leuven, 1922. — In 8, 158 bl.

Dit boek is niet een levensbeschrijving van onzen beminnelijken vlaamschen Heilige. Het is een « inventaris » van de talrijke bronnen en geschiedkundige werken betreffende den heiligen jongeling in de Berchmans-tentoonstelling te Leuven samengebracht in Mei 1921. Deze dorre opsomming van etsen, portretten, boeken, levensberichten enz. wordt ingeleid door eene belangwekkende beschrijving van de Leuvensche tentoonstelling, door P. A. Regniers en eene merkwaardige studie over de Berchmans-portretten en de manier waarop het samengesteld portret van den Heilige vervaardigd werd door P. Haeck. Dit boek mag alleszins een waardig gedenkteeken van het derde eeuwfeest van den beminnelijken Patroon der katholieke jeugd genoemd worden.

Ullathorne (Mgr). *Humilité et patience* (Collection Pax, vol. IX). Bruges, Desclée, De Brouwer, 1923. — In 8, 128 p. — Pr. 3 fr.

L'auteur, en fils docile de s. Benoît, traite des deux vertus que la règle de son fondateur pose comme les fondements de toute perfection, et il le fait de main de maître. L'humilité, au sens de renoncement à soi-même, à l'égoïsme, entraîne la donation entière à Dieu; la patience, dépendante de la vertu de force, rend l'homme capable de supporter toutes les difficultés et le met en mesure de réussir dans les entreprises les plus ardues. Mais ce n'est ni l'humilité seule, ni la patience seule, c'est la combinaison de ces deux vertus alliées à la charité qui fait le fond de la vertu chrétienne et la base de l'édifice de notre perfection. Ce livre se prêterait bien à faire une « probatio » en ces deux vertus.

A. Legrand.

Opera ad redactionem missa (1)

Arendt, L. *Le Christ de Limpias.* 3e éd. Bruxelles, La lecture au oyer, 1925. — In 8, 79 p. — Pr. 4 fr.

Aron, M. *Bienh. Jourdain de Saxe.* Lettres à la b. Diane d'Andolo. Tournai, Desclée et Cie, 1924. — In 12, XVI-122 p. — Pr. 4,50 fr.

Bona (Card.). *De sacrificio Missæ.* Tract. asceticus. Torino, Marietti, 1924. — In 32, 228 p. — Pr. 3 lib. ital.

Brou, A. *Saint François-Xavier.* Conditions et méthodes de son apostolat. Bruges, Beyaert, 1925. — In 8, VIII-86 p. — Pr. 4,50 fr.

Brunetière, Ch. *Les larmes du veuvage essuyées par saint François de Sales.* 5e éd. Paris, Téqui, 1924. — In 24, 171 p. — Pr. 1.50 fr.

Buysse, P. *Vers la foi cath.* I. *L'Eglise de Jésus.* Bruges, Desclée, De Brouwer et Cie, 1925. — In 16, VII-474 p.

De Christen in de politiek. Een woord aan de geloovige christenen. Brugge, De Haene-Bossuyt, 1925. — 15 bl. — Pr. 0,50 fr. — Aanbevolen.

De dominikanessen van Engelendale. Gent, Veritas, 1924. — In 12, 119 bl. — Pr. 3 fr.

De Meer, A. (C. SS. R.), *Leven van Pater Bloete.* Esschen, 1924. — In 8, 318 bl. — Pr. 7 fr.

de Waal, A. *Rompilger.* 10e Auflage bearb. von Dr Kirsch. Mit Plänen, Kärtchen u. Bilder. Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 12, XX-450 p. — Pr. 8,60 mk.

Dahmen, P. (S. J.). *Un Jésuite Brahme.* R. de Nobili, S. J., missionnaire au Maduré (1577-1656). Bruges, Beyaert, 1925. — In 8, X-103 p. — Pr. 5 fr.

Esser, F. X. (S. J.). *Zepter und Schlüssel in der Hand des Priesters.* Freib. i. Br., Herder, 1924. — In 12, VIII-122 p. — Pr. 2,60 mk.

Farges, A. (Mgr). *Autour de notre livre « Les phénomènes mystiques », Réponses aux controverses de la presse,* 2e série. Paris, 1923. — In 8, p. 68.

Faruggia, N. (O. S. A.). *De matrimonio et causis matr.* Torino, Marietti, 1924. — In 24, 564 p. — Pr. 18 lib. ital.

Geyser, J. *Max Schelers Phänomenologie der Religion.* Freiburg i. Br., Herder, 1924. — In 8, IV-116 p.

Gilson, E. *S. Thomas d'Aquin.* Coll. Les moralistes chrétiens. Paris, Gabalda, 1924. — In 16, 380 p. — Pr. 12 fr.

Godts, F. X. (C. SS. R.). *Définibilité de l'assomption corporelle de la T. S. Vierge.* Esschen, 1924. — In 8, VII-102 p. — Pr. 4,50 fr.

Id. *S. Dominique et le Rosaire.* Esschen, 1923. — In 8, VI-118 p. — Pr. 6 fr.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc tantum indicantur, in sequentibus fasc. parebunt.

Hötz, A. (S. J.). *Pater Philipp Jeningen.* Freiburg i. Br., Herder, 1924. — In 8, XXIV-364 p.

Kortleitner, F. X. (O. P.). *Quæstiones de V. T. et comparativa religionum historia recentiore ætate propositæ.* Abbatia de Tongerloo, 1925. — Maj. in 8, 95 p. — Pr. 10 fr.

Krebs, E. *Die Kirche und das neue Europa.* Freib. i. Br., Herder, 1924. — In 8, VIII-192 p. — Pr. 4,40 fr. suisses.

K. R. L. *Duisternis en klaarte.* Inleiding tot eene geestelijke afzondering. Leuven, De vl. boekenhalle, 1924. — In 16, 56 bl. — Pr. 2.50 fr.

Lejeune (C. SS. R.). *Le Père Huchant* (1815 1888). Esschen, Libr. St-Alphonse, 1925. — In 8, 231 p. — Pr. 7 fr.

Latini, J. *Juris criminalis philosophici summa lineamenta.* Torino, Marietti, 1924. — In 12, 213 p. — Pr. 8,50 lib. ital.

Manuale christianum. Nova ed. latina. Tornaci, Desclée et Soc., 1925. — In 48, 1140 p. — Pr. 12 fr.

Mersch, E. — Lemaitre, Ch. — Mativa, A. (S. J.). *Saint Thomas d'Aquin.* Le théologien, le métaphysicien, le poête. 3 confér. Bruges, Desclée et Cie, 1925. — In 24, 71 p. — Pr. 2.50 fr.

Muckermann, H. *Neues Leben.* 2 B. *Die Botschaft vom Gottesreich.* Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 8, VI-92 p. — Pr. 2,20 mk.

Mulders, A. *La vocation au sacerdoce.* Bruges, Excelsior, 1925. — In 8, XIX, 217 p.

Nuttige werken voor den miliciaan en zijne ouders. Te bestellen Pastorij, Brecht. — 16 bl. — Pr. 10 fr. de 50 ex.

Officium maj. hebd. et oct. Paschæ cum cantu. Tornaci, Desclée et Soc., 1925. — In 32, 851 p.

Parra, Ch. *Béthanie.* Neuf médit. sur l'évang. de Lazare. (Apostolat de la Prière). — In 32, 144 p.

Przywara, E. (S. J.). *Het kerkelijk jaar.* Uit het duitsch vertaald door V. Leemans Brugge, Excelsior, 1924. — In 8, 77 bl.

Rieder, K. *Der Brautunterricht.* Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 12, VIII-40 p. — Pr. 2 mk.

Simon, H. (C. SS. R.). *Prælect. bibl. ad usum scholarum.* N. T. Vol. I. 2 ed. Torino, Marietti, 1924. — In 8, XXXII-652 p. — Pr. 35 lib. ital.

Struyf, J. (S. J.). *Kongoleesche Vertellingen.* Brugge, Excelsior, 1924. — In 8, 162 bl. —

Van Baaren, B. *Over kleine zalige Treeske.* Brugge, Excelsior. 1925. — In 16, 142 bl. — Pr. 3 fr.

Van Coppenolle, E. (C. SS. R.). *De bovennatuurlijke mensch.* Esschen, 1925. — In 8, 429 bl. — Pr. 12 fr.

Collationes Brugenses

EPISTOLA SSMI D. N. PII DIV. PROV. PP. XI

AD EMUM P. D. IOANNEM, TITULO S. MARIÆ TRANS TIBERIM, S. R. E. PRESB. CARD. TACCI, SACRI CONSILII PRO ECCLESIA ORIENTALI SECRETARIUM: DE APPARANDIS SOLLEMNIBUS IN SEXTUM DECIMUM PLENUM SÆCULUM A CONCILIO NICÆNO.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum in superiore Consistorio, ut aiunt, secreto, Purpuratis Patribus nuntiavimus mentem esse Nostram, ut sextum decimum plenum sæculum a convocata absolutaque Nicæna Synodo, ex Œcumenicis prima, in hac Alma Urbe et sub oculis pæne Nostris sollemniter recoleretur, addidimus præterea, proprias hac de re Litteras Nos tibi inscripturos; æquum enim Nobis videbatur, instituendæ ordinandæque eius eventi commemorationis, quod in Ecclesiæ catholicæ fastis tam elucet quam quod maxime, mandatum tibi dari, utpote qui Orientalis Ecclesiæ negotia et auctoritate geras Nostra et, pro tuo religionis studio, summopere provehas. Ea quidem res agitur, quæ quanti Nostra et Apostolicæ Sedis intersit, omnes intellegunt, quicumque res Ecclesiæ gestas vel mediocriter tenent. Nam, ut litterarum monumenta testantur, Concilium Nicænum primum, quod eo spectabat ut Ariana hæresis profligaretur, Ario impiisque eius asseclis damnandis, nisi resipuissent, deque Ecclesiæ gremio eiiciendis, coactum non est nisi de consensu Silvestri Pontificis eodemque per suos præsente Legatos, qui Actis, ut ipsa Consistorii occasione diximus, primi omnium — nimirum quod Pontificis personam sustinerent — subscripsere, licet Vitus ac Vincentius sacerdotio dumtaxat initiati essent. Neque omittendum, anathema

in Arianos sanctæ Ecclesiæ Catholicæ et Apostolicæ nomine latum a Patribus esse, et Apostolicam Sedem doctrinæ Nicænæ capita tamquam sua et a se probata habuisse ac defendisse. Multa ceteroquin alia, quæ ad fidem et ad disciplinam pertinerent, saluberrime Nicæna Synodus sanxit ac decrevit: ut de Paschate uno eodemque die ubique celebrando, ut de Meletiano schismate deque sectis Novatiani et Pauli Samosatensis, ut de episcopis eligendis ac consecrandis, ut de publicæ pænitentiæ instituto, de catechumenis, de iniusto fœnore; quæ quidem decreta ad fovendam Ecclesiæ unitatem et disciplinam cleri populique stabiliendam quam plurimum profuerunt. Iamvero inlustrari hæc omnia et vulgo patefieri oportere, ut Christo Domino et Petri Cathedræ debitus honor et debita gratia habeatur, dilecte fili Noster, est Nobis persuasissimum: in quo propterea, qua soles sollertia, elaborare ne dubites. Accitis igitur egregiis viris, qui Ecclesiæ in universum rerumque præcipue Orientalium calleant historiam, iisdemque in consilium adhibitis, videas quo pacto sæcularem eiusmodi faustitatem celebrari liceat: ex iis autem, qui harum cognitione rerum et dicendi facultate præstant, nonnullos eligito, qui eventum sane celeberrimum per scripta late divulganda orationesque publice habendas in sua luce collocent. Quæ utinam commemoratio nonnihil ad id conferat, quod tam vehementer cupimus, nempe ut Orientales populi, quos a Romana Ecclesia miserrimum adhuc discidium transversos agit, communionem Nobiscum fidei, præiudicatis opinionibus depositis, desiderent atque haud nequiquam desiderent. Ut autem munus a Nobis tibi commissum facilius expleas, efficiat apostolica benedictio, quam, cælestium auspicem luminum fraternæque caritatis Nostræ testem, tibi, dilecte fili Noster, iisque omnibus, quos tui laboris socios adsciveris, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, die IV mensis aprilis, anno MDCCCCXXV, Pontificatus Nostri quarto.

PIUS PP. XI

Introductio in theologiam mysticam.

Tabula IV.

Transmissio meritorum Christi ad omnes homines, seu Ecclesia, regnum Christi in terris. (1)

Subjectum hujus tabulæ jam olim exposuimus in hisce collationibus nostris, ubi de Ecclesia ceu regno Christi in terris egimus, nempe in oratione nostra prosynodali anni 1924, inserta præc. tomo XXIV, pag. 271 et sqq. Item quod singulariter sacrificium incruentum attinet, quo merita sacrificii cruenti, quod Christus ad perficiendum opus redemptionis obtulit, continuo in Ecclesia applicantur hominibus, et porro applicabuntur in finem temporum, sufficienter de eo dictum est tomo XII, pag. 435 et sqq. coll. tomo XXI, pag. 165 et sqq. Hæc igitur non sunt repetenda. Ut tamen nexus rerum melius appareat, initio tabulæ V sequentis brevi compendio tabulam hanc IV rememorabimus.

Tabula V.

Applicatio meritorum Redemptoris, singulis hominibus. Sanctificatio animarum, seu regnum Dei in nobis.

Præcedens tabula nobis exhibuit modum quo Christus fructus redemptionis a se peractæ ad omnes homines ad finem usque temporum transmittit, nempe per Ecclesiam

(1) V. supra tomo hoc XXV, p. 97 sqq. Et vide hanc tabulam plenius evolutam in editione gallica 2a *Médit. théol.*, tome II, chap. VI, art. IV.

suam. Igitur singulis hominibus applicantur merita Christi in Ecclesia et per ipsam, sub assistentia perpetua et continuo influxu tum Spiritus sancti, utpote animæ Ecclesiæ, tum ipsius capitis invisibilis Christi: scilicet per prædicationem divinæ doctrinæ, per propositionem sanctæ Dei legis, roboratam eximiis Salvatoris exemplis, per opportunam administrationem ductumque animarum pro diversis temporum locorumque adjunctis, per ministerium omnium sanctificationis subsidiorum, nominatim per augustissimum Missæ sacrificium in applicationem meritorum cruenti sacrificii, quo Christus redemptionem perfecit, et per sacramenta, fontes gratiarum, remissionis peccatorum et sanctificationis animarum. Præterea, abundans distributio notanda est gratiarum actualium tum singulis Ecclesiæ membris, tum extra Ecclesiam viventibus, ut hi ad veram fidem in Ecclesia adducantur.

Itaque omnia ad salutem, ad remissionem peccatorum et vitam supernaturalem, imo perfectam sanctitatem necessaria et utilia in Ecclesia nobis præsto sunt. E quo statim concludes, quam intime oporteat nos matr Ecclesiæ adhærere, ejus divinam doctrinam, rejectis cunctis illi adversis erroribus, fideliter accipere, eamque supra omnem profanam scientiam æstimare, Ecclesiæ prælatis ex animo subjacere atque obedire, eorumque ductum libenter ac integre sequi.

Nunc jam in hac tabula V videbimus in concreto qua ratione singuli subsidiis, nobis in Ecclesia et per Ecclesiam, ceu regnum Christi in terris, oblatis uti possimus ac debeamus ad vivendum vita supernaturali atque perfecta; aliis verbis consideramus regnum Christi ac Dei in nobis.

Principia vitæ supernaturalis quæ per Ecclesiam percipimus, scilicet gratiam atque virtutes ac dona, latius exposuimus in tabula II, nunc in concreto aspicimus animam quæ ex iisdem vivit et ad altiora contendit, ad vitam nempe supernaturalem perfectiorem, imo et

mysticam, omnimodamque sanctitatem. Etsi enim sanctus dici potest et est, qui gratiam sanctificantem possidet, non tamen eo ipso perfectus est in sanctitate, seu stricto sensu « sanctus » vocatur.

Quæ ad perfectam sanctitatem requiruntur, quæ viæ ad eam conducunt, fusius ab auctoribus asceticis et mysticis exponuntur, quam heic referri possint (1), neque necesse id est ad scopum præsentem, scilicet ad contemplandam animam, in qua Deus non tantum inhabitat sed vere regnat, seu ad contemplandum regnum Dei in nobis. Ex illorum ergo doctrina brevi compendio colligemus, quæ anima e diversis stadiis viæ perfectionis ad sanctitatem sibi comparat.

Igitur quod præprimis anima conari debet acquirere ad regnum Dei in se firmandum, puritas est cordis seu affectus et libertas spiritus. Quamquam enim Deus inhabitat in omni anima a peccato mortali pura et ornata gratia sanctificante, non tamen perfecte in ea regnat ut in regno suo, nisi ea sit profundius purificata ab omnibus quæ plenam Deoque uni servatam possessionem impedire vel imminuere possint. Deus solus ibi princeps et rex sit oportet, quod fit quando anima jam nulli creaturæ affectu adhæreat: renuntians bonis temporalibus, per spiritum paupertatis; delectationi sensibili, per christianam mortificationem; vanæ gloriæ ac superbiæ, per profundam humilitatem; imo et suîmet oblita, nihil sibi servans proprium, sed omnia referens ad Deum solum.

Quod si fiat, jam cor seu affectus totus purus est et spiritus plene liber, per exercitium perfectum virtutum moralium, ita ut jam altius ad Deum et intimius ascendere liceat per virtutes theologicas, pariter perfecte in

---

(1) Remittere quoque licet lectorem, ad ea quæ scripsimus de re ascetica et mystica apud has *Collationes Brugenses*, pluribus in locis, et inter alia tom. XVI, p. 321 sqq. et 378 sqq. — Cfr etiam opuscula nostra: *Over mystiek en geestelijke volmaaktheid*, De Haene-Bossuyt, 1911. *Eening der minnende ziel met God*, 1916. *De geestelijke duif*, 1918.

praxim deductas: scilicet per fidem vividam Deum in omni creatura aspiciendo ejusque Providentiam in cunctis eventibus admirando; uno verbo, jugiter ambulando coram Deo; per spem, Deum ut summum bonum nostrum, super omnia bona creata et per cunctas vicissitudines hujus vitæ, unice concupiscendo, Eique ut anchoræ tutæ adhærendo omniaque auxilia opportuna plena fiducia ab Ejus omnipotentia auxiliante exspectando; per charitatem tandem præcipue Deum diligendo, omne bonum Ei apprecando et quidquid ipsa anima habet et est, unice ad Dei gloriam referendo; et proximo quoque ex eadem charitate omne bonum volendo et quantum fieri potest procurando.

Ubi ad hoc pervenerit anima, jam incipit ultra et supra activitatem et operam in Deo quiescere et Deus in ea, tamquam in regno suo, utpote cum ea intime unitus et quasi unus cum ea spiritus effectus. Tum illud fit quod b. Rusbrochius tam splendide describit: « Ipse (Deus) vivit et regnat in nobis, unitas in trinitate, et trinitas in unitate, Deus omnipotens in supremo creatæ essentiæ nostræ, eumque nos investigare, inquirere, invenire, possidere debemus, illius gratia et Christi Jesu auxilio freti, idque in fide catholica, recta cum intentione et charitate non ficta: itemque per vitam nostram virtuosam et Dei gratiam nos in illo Patre et creatore nostro vivimus, et ipse in nobis cum omnibus sanctis suis: sicque omnes nos cum ipso in amore adunata sive collecta unitas sumus; et Pater quidem atque Filius in Spiritus sui unitate nos comprehenderunt, amplexi sunt atque transformarunt, ibidemque nos cum personis divinis unus amor et una fruitio sumus: quæ quidem fruitio in modinescia divinitatis essentia consummata est, ubi nos omnes cum Deo simplex et essentialis beatitudo sumus, ubi nec Deus est, nec creatura, quantum ad personarum distinctionem attinet, sed omnes cum Deo sine distinctione perceptibili simplex ac infinita sumus beatitudo, cunctique nos ipsos amisimus, lique-

facti sumus et defluximus in incognitam caliginem » (1).

Quanta jam esset elatio gestientis animi, cui divino lumine aspicere liceret hominem vel incipientem vivere ex donis supernaturalibus; quale ergo spectaculum, in extasim rapiens, animæ quæ, divina cooperante gratia, pervenerit ad vitam supernaturalem ac divinam perfectam! Ipse Deus videtur coram simili spectaculo admirari atque de eo gloriari, quemadmodum legimus in libro Job, ubi semel et iterum Deus interpellat Satanam, eum quasi provocando ac irridendo, dicens: « Numquid considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra? » (2).

Sed de vita perfecta seu unione contemplativa, intima ac mystica, tractandi locus proprius erit in VII et ultima tabula, ubi de contemplatione ipsius Dei unius et trini, Verbique incarnati ex professo agetur, postquam tabula VI ante oculos posuerit regnum Christi cœleste et æternum: quod enim hæc de vita Beatorum in cœlis exponet, manuducit exemplaris instar, ut videbimus, ad

---

(1) Hæc ex versione Surii. Libet tamen, quod et jucundum erit lectori, addere textum originalem Rusbrochii (*Van der seven trappen*, VIIe trappe):

« Hi (God) leeft ende regneert in ons, eenheit in drieheit, drieheit in eenheit, gheweldegh (almachtig) God, in dat overste onser ghescapenheit. Dien selen wi sueken, vinden, ende besitten, overmids sine gratie, ende de hulpe ons heeren Ihesu cristi, in kerstenen gheloove, in rechter meininghen, in ongheveinsder caritaten.

Ende overmids onse dooghtsamme leven, ende sine ghenade soe leven wi in heme, ende hi in ons, met allen sinen heileghen. Ende alsoe sijn wi alle eene vergaderde eenegheit met heme in minnen. Ende de vader met den sone hebben ons begrepen, behelst ende overformt, in eenheit haers ghecsts. Ende daer sijn wi met den godleken personen eene minne ende een gebruken. Ende dit gebruken es volmaect in dat wiseloese wesen der godheit. Daer sijn wi alle met gode eene eenvuldeghe weseleke salegheit. Daer en es noch god noch creatuere, na wise der persoonlecheit. Daer sijn wi alle met gode sonder onderscheet eene grondeloose eenwldeghe salegheit. Daer sijn wi alle verloren, ontsonken ende ontvloten in eene onbekende deemsterheit. »

(2) *Job*, I, 8 et II, 3.

vitam contemplativam perfectam ac mysticam hisce in terris.

Concludimus ergo hanc tabulam V, una alterave animadversione practica.

Et primo quidem, quamquam nemo, absque divina revelatione scire potest certitudine supernaturali fidei, se esse justum, gratia sanctificante ornatum (1), nihilominus, qui serio atque sincere omnia præstiterit quæ ad justificationem requiruntur, merito jure censere ac confidere potest certitudine morali humana se vita supernaturali reapse vivere. Porro, hujusmodi homini, si divina dona super omnia æstimat, et sincere atque ardenter cupit ea in praxim deducere, et ad altiorem perfectionem ascendere, huic, inquam, bonum est vividam conscientiam nutrire vitæ divinæ, quam in se habet; et, a seipso diffidens suique oblitus omnia a Deo omnipotente plenissima fiducia exspectare.

Præterea, utilissimum est in occultum hoc regnum Dei in nobis, soli Deo et aliquatenus saltem animæ notum, sæpius atque profundius descendere, ut regimen seu regnum Dei in nos, et in totum vitæ nostræ spatium cum omni attentione et cura investigemus, et sic continuo aptiores et capaciores fiamus ad excipiendam divinam operationem in nos. Hac ratione quoque ad gratiarum actionem et laudem Dei excitabimur, et simul ad servitium divinæ majestatis, ita ut nihil omnino ad nosmetipsos referamus, sed omnia, cogitationes, verba et opera ad amorem et gloriam Dei unice dirigamus.

† G. J., Episc. Brugen.

---

(1) *Conc. Trident.*, sess. VI, c. 9.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis februarii propositas.

—

I.

Itinera Pauli II et III per Galatiam.

Q. — Act. Ap., XVI, 6 *refertur Paulum, decursu secundi itineris transire* « Phrygiam et Galatiæ regionem », *gr.* *τὴν Φρυγίαν καὶ Γαλατικὴν χώραν* ; — *item* XVIII, 23 *initio tertii itineris refertur eum perambulare ex ordine* « Galaticam regionem et Phrygiam ». — *Expone quæstionem quæ, in delineandis itineribus Pauli circa determinationem hujus* Galaticæ regionis, *agitatur inter auctores, et paucis indica argumenta, quæ in favorem sententiæ quam præferendam duxeris allegari possunt.*

1/ **Status quæstionis.**

Duplici sensu diverso accipi posset vocabulum *Galatia* quod citatis locis *Actum Apostolorum* occurrit (1). — Revera 1. tempore Pauli jam a multo tempore existebat regio quædam in Asia Minori interiori quam *Galatiam proprie dictam* seu *Celticam* vocare possumus (2). Decursu enim sæculi III ante Christum ex Gallia descenderant Celtæ seu Galli, *Γαλάται* (*Gal.*, III, 1) ibique consederant regnumque aliquod cum civitate principe Ancyra aliisque civitatibus, ut Pessinonte et Tavium, constituerant. Hanc aliqualem saltem independentiam conservaverant usquedum, mortuo ultimo suo rege Amynta, a. 25 ante

---

(1) Eadem cæteroquin quæstio ponitur occasione epistolæ s. Pauli *ad Galatas*, ubi inquiritur de destinatariis hujus epistolæ.

(2) Romani eam *Gallogræciam* vocabant, eo quod hujus regionis incolæ mixti erant ex Gallis cum primitivis habitantibus.

Christum a Romanis in provinciam romanam fuerunt redacti. — Unde 2. existebat, tempore Pauli, *provincia romana Galatia*, cum civitate capitali Ancyra; ast multo magis extensa erat hæc provincia quam Galatia illa proprie dicta: complectebatur enim insuper *Lycaoniam, Pontum galaticum*, i. e. partem Ponti distinctam a Ponto Ptolemaico, partem orientalem *Phrygiæ*, partem *Pisidiæ, Isauriam:* in hac provincia romana proinde variæ erant sitæ civitates quæ nullatenus ad Galatiam proprie dictam pertinebant, ut puta *Antiochia Pisidiæ, Lystra, Derbe, Iconium.* — Unde in hac provincia romana Galatiæ, Galatia proprie dicta *partem septentrionalem* occupabat, quam ideo Galatiam septentrionalem vocant; regiones autem, in qua prædictæ civitates sitæ erant, *partem meridionalem.* Porro has civitates hancque Galatiam meridionalem evangelizaverat Paulus decursu primi itineris, prout satis extense refertur *Act. Ap.*, XIII, 13-XIV, 27, et iterum decursu secundi itineris, XV, 36-XVI, 5. Huic autem visitationi civitatum Derbe, Lystræ, Iconii et Antiochiæ, statim a s. Luca subjungitur, juxta textum græcum: *Transierunt autem* Paulus et Silas et Timotheus *Phrygiam et Galaticam regionem, postquam vetati fuissent a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia;* — similiter infra, dum inchoatur narratio tertii itineris, refertur XVIII, 23: *Et facto ibi*, i. e. Antiochiæ Syriæ, *aliquanto tempore, profectus est* Paulus, *perambulans ex ordine Galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes discipulos.* — Porro quæstio ponitur circa hos versiculos quid per hanc *Phrygiam et Galaticam regionem* sit intelligendum; quam plerique solvunt Galatiam intelligi sensu supra explicato septentrionalem seu Galatiam proprie dictam, quidam vero, rariores tamen, Galatiam meridionalem explicant, negantque Paulum, sive in secundo sive in tertio itinere unquam Galatas proprie dictos visitasse (1).

---

(1) Ita potissimum RAMSAY, *A historical commentary on s. Pauls epistle to the Galatians*, 1900; — *The Church in the Roman empire*, 1893;

2/ **Solutio proposita.**

Quæstio videtur omnino in favorem *Galatiæ septentrionalis* solvenda (1). — Revera :

1. Inobvia omnino est interpretatio quam alii in *Act. Ap.*, XVI, 6 proponunt, quasi nimirum hic vers. esset vertendus : Transierunt regionem Phrygio-Galaticam et vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia ; — præterea æstimant verba : *Transierunt regionem Phrygio-Galaticam* esse recapitulationem dictorum in vv. 1-5, adeoque regionem illam præcise esse eam quam in primo itinere Paulus evangelizaverat, civitates nempe Lystram et Derben, Iconium et Antiochiam Pisidiæ; — et tandem hanc regionem duplici adjectivo designari tum ut Phrygicam, sub respectu geographico, tum ut Galaticam, sub respectu politico, utpote pertinentem ad provinciam romanam Galatiæ. — Ast huic interpretationi plura obstant : textus græcus vertendus est, ut diximus supra : postquam vetati essent loqui verbum Dei in Asia, transierunt Phrygiam et Galaticam regionem ; — v. 6 nequaquam est recapitulatio vv. 1-5, sed exordium novæ

— *Cities of s. Paul*, 1907; cfr *The expository Times*, 1912, t. 24, pp. 19 ss. — et WEBER, *Die Adressaten des Galaterbriefes*, 1900; — *Die Abfassung des Galaterbriefes vor dem Apostelkonzil*, 1900, — et plures art. in *Der Katholik* et *Theologische Quartalschrift*. — Cfr STEINMANN, *Schluszwort zur Galaterfrage*, in *Theologische Quartalschrift*, 1912, pp. 511 ss.

(1) Quæstio ulterior deinde movetur utrum Paulus hanc Galatiam septentrionalem mere transierit, an vero transeundo *evangelizaverit*. Etiam hæc quæstio, cum plerisque, videtur in favorem evangelizationis solvenda. Argumenta præcipua indicasse sufficiat: *a*/ sensus obvius XVI, 6 illud habet: vetatus a verbo Dei prædicando in Asia, transit Paulus in Phrygiam et Galaticam; nonne ergo ad prædicandum ? — *b*/ XVIII, 23 id omnino supponit: tendit enim Paulus visitare christianos in Galatia et Phrygia commorantes; ergo ibidem christianos fecerat decursu secundi itineris; cfr *Act.*, XV, 36-XVI, 1-5; — *c*/ *ep. ad Gal.*, quæ ad eosdem Galatas proprie dictos scripta fuit, hujusmodi prædicationem Pauli omnino supponit, imo duplicem, cam nempe quam Actus referunt XVI, 6 et XVIII, 23. Cfr WIKENHAUSER, *Die Apostelgeschichte und ihr Geschichtswert*, pp. 328 ss.; — LAGRANGE, *Epitre aux Galates*, pp. XX ss.

narrationis. Revera Paulus, xv, 36 enuntiaverat propositum suum invisendi ecclesias quas in primo itinere fundaverat in civitatibus Lystræ, Derbe, Iconii et Antiochiæ (1); hoc consilium exsequitur vv. 1-5 et s. Lucas hanc relationem, modo sibi valde consueto (2), concludit: *et Ecclesiæ quidem confirmabantur fide et abundabant numero quotidie;* post hoc cum v. 6 inchoatur relatio novi laboris apostolici Pauli; — tandem Φρυγία nequit sumi ut adjectivum, nam ordinarie ut substantivum sumitur et hoc certe in duplici alio loco *Act. Ap.*, II, 10 et XVIII, 23; unde *Phrygia* et *Galatica regio* ponuntur ut duæ regiones distinctæ.

2. Contrà omnia favent hypothesi Galatiæ proprie dictæ seu septentrionali. Ita

a/ obvia interpretatio textus et successio factorum. Revera, decursu secundi itineris visitaverat Paulus ecclesias Galatiæ meridionalis (vv. 1-5), et ultimò quidem Antiochiam quæ prima erat civitas in Phrygia posita et ad confines Pisidiæ (3) posita. Ad novos labores Paulus progredi debet, et quidem duplex ei patet via, una versus occidentem, versus regionem Asiæ maritimam circa Ephesum, altera versus septentrionem, versus Galatiam proprie dictam. Mens erat Paulo versus Asiam, i. e. regionem ephesinam progredi (v. 6), ast a Spiritu sancto impeditur, adeoque, alteram viam aggrediens, transit Phrygiam et Galaticam regionem: quid hæc Phrygia nisi regio illa *Phrygiæ* ultra Antiochiam posita? quid hæc *Galatica regio* nisi Galatia proprie dicta? Hic, in hac Galatia, versatur in proximitate tum Mysiæ tum Bithyniæ; unde obvie intelligitur v. 7: tentat ire in Bithyniam,

(1) Quamvis visitatio *Iconii* et *Antiochiæ* non referatur explicite, indubie tamen locum habuit: etenim xv, 36 enuntiatur propositum Pauli visitandi universas civitates in primo itinere evangelizatas, et ex XVI, 5 apparet Paulum hoc consilium exsecutioni mandasse.

(2) Cfr *Act.*, II, 47; V, 14; VI, 7; IX, 31; XI, 18; XII, 24; XIII, 52; XIV, 27; XV, 31; XVII, 34; XIX, 20.

(3) Ideo Antiochia *Pisidiæ* vocabatur, quamvis ad Phrygiam pertinuerit.

sed iterum vetatur a Spiritu Jesu, et ideo pertranseunt Mysiam et descendunt Troadem. — Uno verbo, undequaque obvie intelligitur narratio s. Lucæ si Galatica regio de Galatia septentrionali auditur (1).

b/ S. Lucas, sicut alibi, ut in primo itinere (cfr XIII, 13, 14; XIV, 6), loquitur de regionibus, puta Pamphyliæ, Pisidiæ, Lycaoniæ, non autem de provincia romana, ad quam istæ regiones pertinebant, — ita etiam hîc de Galatia proprie dicta locutus fuerit; — imo nonne ex industria, ad distinguendum a provincia romana Galatiæ, adhibuit expressionem restrictam: *regionem Galatiæ?* - Et quidem narratio s. Lucæ mira inconcinnitate laboraret si regio Galatica in v. 6 de provincia romana intelligenda esset; etenim in vv. 1-5 jam erat Paulus in provincia romana Galatiæ; quid ergo v. 6 diceretur eum, postquam vetatus fuerit prædicare in Asia, pertransire provinciam Galatiæ?

c/ Præterea epistola *ad Galatas* in pluribus non videtur bene intelligi nisi ponatur scripta ad Galatas septentrionales; unde Paulus apud eos prædicaverit, imo duplici jam vice, ut colligitur ex *Gal.*, IV, 13; quod bene concordabit cum narratione *Act.*, utpote quæ duplicem visitationem regionis Galaticæ refert, nimirum XVI, 6 et XVIII, 23. Et revera, quod in specie *Act.*, XVIII, 23 spectat, ille locus nullam videtur admittere interpretationem nisi de Galatia proprie dicta intelligatur.

Ex dictis colligitur Paulum secundum suum iter apostolicum ita instituisse ut, visitata Antiochia Pisidiæ (quæ erat primus locus quem in Phrygia obvium habebat), ulterius versus septentrionem pergentem, per eamdem Phrygiam progressum esse et regionem Galatiæ proprie dictæ peragrasse (2); — decursu vero tertii

---

(1) Ad meliorem hujus expositionis intellectum, charta quædam esset inspicienda. Cfr CAMERLYNCK-VANDER HEEREN, *Commentarius in Actus Apostolorum*, in fine operis.

(2) Quæstio ulterior moveri posset quamnam partem hujus Galatiæ proprie dictæ peragraverit, utrum nempe solam partem occidentalem circa Pessinum, an vero etiam orientalem, circa Ancyram, imo et Tavium.

itineris ab Antiochia profectus perlustravit, ordine inverso, Galaticam regionem et Phrygiam: ex ordine visitaverit christianos quos decursu secundi itineris ibidem Christo lucratus fuerat (1).

A. Vander Heeren.

II.

De origine animæ humanæ.

Q. *Quænam est doctrina catholica de origine animæ singulorum hominum? Breviter explica et proba responsum.*

R. — 1/ Tenendum est, juxta doctrinam catholicam, animas singulorum hominum *a Deo creari;* atque hanc sententiam, quam plerique ss. Patres aperte docuerunt (2) et s. Thomas ratione probat (3), theologi communi nunc consensu proponunt.

Attamen non una est theologorum doctrina de gradu certitudinis hujus propositionis, quam omnes norunt non fuisse hucusque solemniter definitam et nihilominus catholicam vocant, vel quia adeo communis evasit ut sine temeritate negari jam nequeat aut etiam sit theolo-

---

(1) Ex eo quod *Act.*, xviii, 23 refertur Paulum prius per Galaticam regionem, deinde per Phrygiam iter instituisse, videtur probabilius dicendum eum hac vice non iterum visitasse civitates Derbe, Lystram, Iconium et Antiochiam Pisidiæ, sed potius directe ab Antiochia, per Syriam et Ciliciam, versus septentrionem tetendisse et visitasse Galatiam proprie dictam, ut puta Tavium, Ancyram, Pessinum, Doryleum, deindeque per partem septentrionalem Phrygiæ versus Ephesum perrexisse.

(2) Ita Aphraates, *Demonstr.*, vi, 14 (Patrol. syr., I, 291); s. Ephraem, *Interpr. in Gen.*, 2 (ed. Assemani, I, 129); *Constit. apost.*, V, vii, 19 (MPG, I, 849 vel ed. Funk, I, 259); s. Cæsarius nazianz., *Dialogus* ii, 102 (MPG, XXXVIII, 968); s. Hilarius, *De Trinitate*, x, 22 (MPL, X, 359); s. Hieronymus, *Contra Jo. hieros.*, 22 (MPL, XXIII, 372) et *Apol. adv. libros Rufini*, ii, 4 (MPL, XXIII, 427); s. Leo magnus, *Epist.* xv (ad Turribium), 10 (MPL, LIV, 685); Gennadius, *Liber eccl. dogm.*, 14 (MPL, LVIII, 984); sic etiam Theodoretus, *Græc. affect. curatio*, 4 (MPG, LXXXIII, 916).

(3) S. Thomas, *Sum. theol.*. I, q. 90, a. 2 c. et q. 118, a. 2, c.; *Summa contra gentiles*, II, 87; *Quæst. disp. de potentia*, q. 3, a. 9.

gice certa, vel adhuc quia videtur revelata et imo definita per prædicationem Ecclesiæ universalem (1).

Advertatur Ecclesiam suam mentem, quoad *ipsam creationem animæ*, sat manifeste sæpius pandisse et sic in symbolo fidei Leonis IX jam legitur: « Animam ex nihilo creatam credo et prædico » (2); eadem doctrina proponitur in concilio lateranensi quinto (3), in bulla de immaculata conceptione B. M. V. edita ab Alexandro VII (4), necnon in synodo provinciali coloniensi a s. Sede approbata (5); etiam pro concilio vaticano præparatum erat schema in quo statutum erat: « Anima a Deo in singulis de novo creata infunditur » (6).

Vult etiam Ecclesia ut teneatur *creatio immediata*, quod constat damnatione erroris, quem docuit Frohschammer, attribuens parentibus potentiam quamdam, quam vocabat secundariam, creandi filiorum animas (7).

Unde: *a*/ admitti jam nequit *traducianismus spiritualis* seu generatianismus, secundum quam sententiam anima humana habet ortum ab anima parentum.

Circa hanc opinionem anceps remansit s. Augustinus,

---

(1) Cfr TANQUEREY, *Syn. theol. dogm.*, I, n. 135, p. 327, Tornaci, 1894; VAN NOORT, *De Deo creatore*, n. 188, p. 128, Amstelodami, 1912²; LAHOUSSE, *De Deo creante et elevante*, n. 112, p. 207, Brugis, 1904; MAZZELLA, *De Deo creante*, n. 557, p. 394, Romæ, 1880²; JANSSENS, *Sum. theol.*, VII. *De natura hominis*, p. 601, Romæ, 1918.

(2) Ex epist. « Gratulamur vehementer », 13 apr. 1053, ad Petrum, episc. antiochenum (*Enchir.*, n. 348).

(3) *Conc. later.* V, œcum. XVIII, ex bulla « Apostolici regiminis », 19 dec. 1513, sessione octava (*Enchir.*, n. 738).

(4) Bulla « Sollicitudo omnium eccl. », 8 dec. 1661, de immaculata conceptione B. M. V. (*Enchir.*, n. 1100).

(5) *Conc. prov. colon.*, a. 1860, tit. IV, cap. 14, apud *Collect. lacens.*, V, 293.

(6) Cfr *Collect. lacens.*, VII, 555.

(7) Per decretum S. C. Indicis, 5 martii 1857, Ecclesia damnavit librum Frohschammer. — Hanc doctrinam de creatione immediata etiam ratione probat s. THOMAS, *Sum. theol.*, I, q. 90, a. 3, c. et cfr in tract. de Deo creante, ubi demonstratur creationem esse solius Dei.

propter difficultatem peccati originalis explicandi, uti multis locis ejusdem s. doctoris operum apparet (1), et aperte alioquin ipse fatetur scribens s. Hieronymo : « Quæ cum ita sint, quærenda causa atque reddenda est, quare damnentur animæ quæ novæ creantur singulis quibusque nascentibus, si præter Christi sacramentum parvuli moriantur. Damnari enim eas, si sic de corpore exierint, et sancta Scriptura et sancta est testis Ecclesia. Unde illa de animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam non oppugnat, sit et mea ; si oppugnat, non sit et tua » (2).

Eamdem opinionem sæculo elapso rursus defenderunt auctores quidam catholici (3), quamquam non ita facile explicatur quomodo possit anima ab anima procedere, itaque alii ad semen quoddam incorporeum provocaverunt, alii rem per comparationem potius elucidare conati sunt, dicentes animam esse ab anima, sicuti lucerna de lucerna accenditur et sine detrimento alterius alter ignis inde existit (4).

Jam autem si s. Augustino de hac quæstione dubitare licuit, quoniam, ut ait s. Thomas, « tempore Augustini nondum erat per Ecclesiam declaratum quod anima non esset ex traduce » (5), hodie tamen eadem facultas jam non prostat, quia magis eliquata res existit (6); merito igitur fuit hæc sententia, quæ argumentis rationis etiam

---

(1) Cfr Janssens, *o. c.*, p. 614, ubi sententia s. Augustini penitius investigatur.

(2) S. Augustinus, *Epist.* clxvi, 8, 25 (MPL, XXXIII, 731) et cfr ejusdem *Retractationes*, I, 1, 3 (MPL, XXXII, 587). — Hæc difficultas solvitur infra in tract. de Deo elevante, ubi de peccato originali dicitur.

(3) Ita præsertim Klee, *Kath. dogm.*, II, p. 234 s., Mainz, 1835.

(4) Cfr s. Augustinus, *Epist.* cxc (ad Optatum), 4, 5 (MPL, XXXIII, 861) et vide Janssens, *o. c.*, p. 595.

(5) S. Thomas, *Expos. in epist. s. Pauli ad Rom.*, lect. III in cap. XIV (ed. taurin. quinta, 1917, I, p. 202).

(6) Recole regulas de interpretatione ss. Patrum, quas explicavimus apud *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 42 s.

excluditur (1), recentius denuo a magisterio ecclesiastico rejecta (2).

b) Certo respui debet *traducianismus materialis* seu corporalis, juxta quam opinionem anima humana habet ortum a parentibus, et quidem virtute seminis corporalis, ad modum quo animalia de animalibus generantur (3).

Hæc theoria, quam antiquitus tradidisse dicitur Tertullianus, quamque docuerunt apollinaristæ et luciferiani, severe damnata fuit a s. Hieronymo (4), s. Augustino (5) et Gennadio (6); reapse componi nequit cum iis quæ, tum ratione, tum fide novimus de spiritualitate et immortalitate animæ, uti ostendit s. Thomas, qui concludit: « Et ideo hæreticum est dicere quod anima intellectiva traducatur cum semine » (7).

c) Nullum dubium esse potest quin rejiciendus sit tandem *emanatismus*, secundum quam sententiam anima humana esset pars, aut modus, aut effluxus, aut phænomenon quoddam divinitatis.

Varia haec placita, quæ ab antiquitate suos defensores habuerunt vel et nunc adhuc habent, argumentis rationis confutantur (8), et manifesto sapiunt pantheismum, adeoque haeretica dicenda sunt.

Jure igitur statuit concilium bracarense, a. 561, contra priscillianistas præsertim : « Si quis animas humanas ex

---

(1) Cfr s. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 118, a. 2, c. necnon *Summa contra gentiles*, II, 87 et *De potentia*, q. 3, a. 9.

(2) Per damnationem, a. 1866, operis prof. lovan. Ubaghs, qui in hanc sententiam sese nimis propensum ostendit. — Cfr etiam libellus « Jam dudum » Benedicti XII, a. 1341, adv. errores Armenorum, n. 5 (*Enchir.*, n. 533).

(3) Cfr rursus s. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 118, a. 2, c.; *Summa contra gentiles*, II, 86; *De potentia*, q. 3, a. 9.

(4) S. Hieronymus, *Contra Jo. hieros.*, 22 (MPL, XXIII, 372); *Apologia adv. libros Rufini*, II, 4 (MPL, XXIII, 427).

(5) S. Augustinus, *Epist.* cxc (ad Optatum), 4, 14 (MPL, XXXIII, 861) et *De gen. ad litt.*, VII, xxviii, 43 (MPL, XXXIV, 372).

(6) Gennadius, *Liber eccl. dogm.*, 14 (MPL, LVIII, 984).

(7) *Sum. theol.*, I, q. 118, a. 2, c.

(8) Cfr *Summa contra gentiles*, II, 85.

Dei credit substantia exstitisse, anathema sit » (1) ; in symbolo fidei Leonis IX jam citato etiam legitur: » Animam non esse partem Dei credo et prædico » (2).

2/ Tenendum est, juxta doctrinam catholicam, animas hominum *creari quando corporibus infunduntur*, uti dicitur in schemate præparato ad concilium vaticanum.

Ergo respui debet sententia, quam in antiquitate propugnaverunt Origenes et Priscillianus asserentes animas humanas fuisse creatas una cum angelis et in pœnam peccati commissi fuisse corporibus deinde unitas. Etenim hoc commentum de peccato commisso ante unionem cum corpore, contradicit aperte s. Scripturae (3) et doctrinæ ss. Patrum (4), et fuit talis *præexistentianismus* ab Ecclesia damnatus in concilio bracarensi : « Si quis animas humanas dicit prius in cœlesti habitatione peccasse et pro hoc in corpora humana in terra dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit » (5).

Ceterum præexistentianismus, prætermisso hoc commento de peccato commisso ante unionem, adhuc excludi debet, utpote non compossibilis cum doctrina catholica de anima forma corporis (6). Et revera uti testatur s. Leo magnus, Ecclesia constanter atque veraciter prædicavit quod « animæ hominum, priusquam

---

(1) *Conc. bracarense*, can. 6 (*Enchir.*, n. 236).

(2) *Enchir.*, n. 348.

(3) Cfr *Rom.*, v, 14; ix, 11 etc.

(4) Cfr s. Gregorius nazianz., *Oratio* xxxvii, 15 (MPG, XXXVI, 300); s. Gregorius nyss., *De anima et resurrectione* (MPG, XLVI, 125); s. Augustinus, *Epist.* ccxvii (ad Vitalem), 5, 16 (MPL, XXXIII, 984); s. Cyrillus alex, *In Jo. comm.*, 1, 9 (MPG, LXXIII, 133); Gennadius, *l. c.*

(5) *Conc. bracar.*, can. 5 (*Enchir.*, n. 235) et cfr *Canones adv. Origenem*, quos σύνοδος ἐνδημοῦσα sub Menna patriarcha, a. 543 edidit, et summus pontifex Vigilius, patriarchæ omnes, plurimi episcopi subscriptione confirmarunt, ut haberent vim declarationis totius Ecclesiæ docentis; vide præsertim can. 1 et 2 (*Enchir.*, n. 203 s.).

(6) S. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 118, a. 3, c.; *Summa contra gentiles*, II, 83, 84 et *De potentia*, q. 3, a. 10, rem etiam ratione conficit.

suis inspirarentur corporibus, non fuere » (1), atque agens de anima humana docuit etiam concilium lateranense quintum : « Verùm et immortalis [est anima], et pro corporum, quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata, et multiplicanda » (2).

Libere tamen, secundum fidem catholicam, disputatur quonam momento vitæ embryonalis anima corpori infundatur, utrum statim, scilicet in ipsa conceptione, ut dicunt plerique moderni, an post hebdomadas, ut tenebant præsertim antiquiores (3) ; sed rursus rejici debet opinio, quam recentius innovavit Rosmini, juxta quem virtute seminis corporalis in fœtum traduceretur anima vegetativa et sensitiva, quæ postea per illustrationem divinam fieret intellectiva (4) ; hanc etiam sententiam Ecclesia damnavit (5).

Unde breviter, juxta doctrinam catholicam, tenendum est animas hominum a Deo creari, immediate quidem et momento quo corporibus infunduntur seu cum ipsis uniuntur.

H. Lamiroy.

III.

De oratione in genere.

Q. *Exponè utrum liceat a Deo* bona temporalia, *tum honesta, tum utilia, absolute et propter se in oratione petere.*

R. Supposita doctrina de liceitate petitionis determinatæ, et quidem temporalium etiam bonorum, prout ex plurimis Scripturæ locis et notatim ex ipsa oratione dominica, et insuper ex constanti usu Ecclesiæ luculenter eruitur, quæstio exsurgit utrum hæc temporalia abso-

---

(1) S. Leo magnus, *Epist.* xv (ad Turribium), 10 (MPL, LIV, 685).

(2) *Conc. later.* V, *l. c.* (*Enchir.*, n. 738).

(3) Ita s. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 118, a. 2, ad 2.

(4) Hæc sententia ne confundatur cum hac, quam defendunt antiquiores et notatim s. Thomas, qui similem alioquin opinionem huic quam propugnavit Rosmini, excludit l. c.

(5) Per decretum S. C. S. Officii, 14 dec. 1887, n. 20 s. (*Enchir.*, 1910 s.).

lute peti possint in oratione, an vero conditionate tantum : siquidem homines male illis uti frequenter contingit ; item utrum propter se possint postulari, an tantum propter salutem æternam : cum omnia temporalia in hunc denique finem a Deo dirigantur.

Jamvero bona honesta sunt illa quæ recta ratio ostendit per se convenire naturæ illamque perficere, suntque bona intrinseca animi et corporis : ut vita, sanitas, libertas, scientia etc. Utilia vero dicuntur illa quæ per se indifferentia sunt, sed tantum propter utilitatem ad alia bona sortiuntur appetibilitatem : sunt nempe bona extrinseca seu fortunæ, et bona mixta seu honoris et famæ. Quæ quidem bona utilia, in certa quadam mensura, ad convenientiam vitæ seu ad ipsa bona honesta requiruntur : ut v. g. pecunia necessaria ad victum ; pro reliqua vero parte sunt superabundantia : ut divitæ et honores.

Porro, aliquid propter se petere est illud petere tanquam bonum propter se amabile, adeoque sub ratione cujusdam finis saltem proximi (quamvis ad ulteriorem finem optime possit habere rationem medii) ; contra, petere propter aliud est petere solummodo qua medium. Aliud autem est petere absolute vel conditionate : nam absolute petit qui nullam ex sua parte conditionem postulato apponit ; secus vero conditionate petit. Unde possibile est absolute quid petere, v. g. pecuniam, quamvis non propter se, sed puta propter convenientem statum vitæ aut etiam propter gloriam Dei.

Nunc autem omnes sane conveniunt nefas esse bona temporalia propter se tanquam finem ultimum postulare ; sed hoc omisso, videntur auctores inter se minus concordare saltem in modo loquendi : dum plures, favente s. Thoma (1), dicere videntur nulla temporalia nisi conditionate tantum et propter salutem æternam licite peti ; aliis contra benignius respondentibus. Quo circa, duce Suarezio (2), sequentia statui posse videntur.

---

(1) *Sum. theol.*, II-II, q. 83, a. 5 et 6.
(2) *De virtute et statu religionis*, tract. 4, l. 1, c. 17.

1/ Bona *honesta,* cum propter convenientiam cum natura rationali jam ex se amabilia sint, licite etiam propter se desiderantur : sunt enim hæc bona quæ ipsa recta ratio dictat conservanda esse atque procuranda, per se loquendo. Unde sicut honeste propter se seu per modum finis proximi desiderantur, eodem etiam modo honeste petuntur ; sicut enim propter se sunt appetibilia, sic etiam propter se petibilia sunt. Nec dicatur petitionem hujusmodi inde malam fieri quod propter beatitudinem non eliciatur : nam si per hoc arguatur defectus intentionis in operante, respondetur non ideo magis malam esse talem orationem quam eleemosynam elargitam a divite ex pura misericordia, quin de beatitudine cogitaverit ; si vero de relatione ipsius operis ad beatitudinem agatur, hæc sufficienter adest, siquidem petitur aliquid ob intrinsecam ejus honestatem : porro, tale quid ad finem ultimum jam per se relatum existit.

Inde sequitur etiam bona illa honesta, aliquo saltem sensu, *absolute* peti posse, quia nempe et absolute desiderari possunt : habent enim ex se bonitatem et honestatem unde sic possunt amari. Si quis ergo solummodo cogitans de convenientia sanitatis, et illam judicans propter se amabilem, hanc absolute a Deo petat, nil mali facit ; durumque profecto esset omnes hujusmodi orationes, quæ a viris etiam probis frequenter eliciuntur, de peccato damnare.

Dices tamen possibile esse talibus abuti bonis, prout de facto frequenter accidit ; unde hæc bona temere petit nisi sub conditione utilitatis ad salutem. Sed respondetur primo nullum esse bonum quo quis aliquo modo abuti nequeat, cum de gratiis etiam et de virtutibus valeat homo v. g. superbire ; et tamen hæc spiritualia secundum auctores absolute postulari possunt. Insuper quæstio esse non potest de obligatoria conditione hujusmodi actualiter aut virtualiter apponenda : nam omnes fateri debent licere petitionem v. g. sanitatis, etiamsi ægrotus nec nomento orationis nec antea unquam de tali conditione

cogitaverit. Attamen hoc sane concedendum est : illum nempe qui bona honesta desiderat et petit semper paratum esse debere, ut honeste oret, ad ea nolenda si sint animæ nocitura. Et hoc quidem verissimum est, cum omnia temporalia rationem medii ad finem ultimum habeant ; sed interim ipse actus petendi dici potest absolutus, quamdiu dicta restrictio in habituali tantum dispositione subjecti remanet. Quæ dispositio a quibusdam auctoribus conditio interpretativa, ab aliis vero conditio implicita vocari consuevit ; ita ut denique tandem de verbo magis quam de re ipsa lis esse videatur (1).

2/ Bona nune *utilia*, ut pecunia, honor et fama, propter se quidem peti nequeunt, cum sint ex seipsis indifferentia ; sed in quantum vitæ degendæ necessaria sunt, æque absolute postulari possunt ac bona honesta : eodem enim modo quo aliquid propter se amabile licite postulatur, postulare licet et medium necessarium ad illud (2).

---

(1) Cfr Suarez, *o. c.*, n. 10 : « Tandem dicimus (ne solum de nomine fiat disputatio) omnes fateri actum illum, prout a nobis declaratus est, esse licitum, etiamsi ex particulari intentione operantis, vel præsenti ac formali, vel præterita et virtualiter manente, conditio non apponatur, quia nimirum operans nihil unquam de illa cogitavit. Hunc ergo nos vocamus actum absolutum. Si quis autem contendat ex natura operis interpretative includi illam conditionem, non esset fortasse contradictio in re; nam certe qui hæc bona honeste desiderat, semper habet hanc animi præparationem, ut si virtutem sint impeditura, vel si futura sint in occasionem ruinæ, ea nolit ; hæc vero conditio magis esse intelligitur in bona dispositione subjecti quasi habituali, quam in ipsomet actu petendi, et ideo illum absolutum vocamus ».

(2) Cfr *Proverb.*, xxx, 8 : « divitias et paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria » ; et verba *Orationis dominicæ :* « panem nostrum quotidianum da nobis hodie » ; in quibus petitio elicitur modo absoluto. — Apposite Suarez, *op. cit.*, n. 11 : « et hoc confirmat usus Ecclesiæ. Nam in litaniis et collectis sæpe postulat temporalia bona, ut pluviam, vel serenitatem, nulla adjecta conditione. Ratio ergo assertionis ex his verbis facile confici potest, quia, eo modo quo petitur aliquid propter se, potest etiam peti medium necessarium ad illud obtinendum. Item illa petitio jam habet finem honestum, unde, licet materia ex se sit indifferens, honestatur ex fine; et eo ipso quod cum dicta moderatione petitur, tollitur morale periculum, quod in abundantia harum rerum temporalium esse solet; ergo ex omni capite honesta est talis oratio ».

Non ergo simpliciter a Deo rogari possunt utilia, sed tantum in mensura necessitatis ad vitæ convenientiam ; attamen sub hac limitatione absolute peti possunt, modo supra explicato ; quamvis utique semper subintelligatur : nisi sint occasio peccati. Sed hæc restictio « in omni honesto amore creaturæ includitur, quatenus non amatur super omnia, neque ut ultimus finis, nec sine fine honesto » (1).

3/ Tandem, *abundantia* bonorum utilium, etiam ob bonum usum, nec propter se ut patet, nec sine expressa conditione actuali aut virtuali utilitatis ad salutem postulanda est. Stante enim periculo spirituali quod talis abundantia pro futuro connaturaliter inducit, vix absolute peti valent divitiæ et honores absque imprudentia quadam et temeritate, etiamsi adsit habitualis dispositio eos nolendi si sint nocituri, necnon actualis intentio bene iis utendi. An vero semper et necessario petitio hujusmodi peccaminosa sit, non statim affirmarem : non enim magis apparet intrinsecum malum hæc absoluta oratio, quam mercatura et aliæ artes unde homines sibi fortunam quærunt ; et ad periculum quod attinet, illud forsan in quodam casu abesse potest. Attamen res per se valde periculosa manet, et ideo abundantia ista cum expressa tantum conditione postulanda dicitur ; cum insuper defectus conditionis tunc communiter indicium sit vehementis affectus ad talia bona : qui affectus, objective loquendo, ab omni culpa raro vacuus erit. « Imo, quantumvis addatur conditio, talis petitio de se est imperfecta, cum ipse Dominus consulat præsentes divitias despicere, futuras non appetere » (2).

---

(1) SUAREZ, *o.* et *l, c.*
(2) DIGNANT, *Tract. de virtute religionis*, n. 38.

IV.

Q. *Explica utrum absolute et illimitato modo* bona spiritualia *in oratione peti possint.*

R. Nemini profecto dubium est spiritualia bona præcipue a Deo esse exposcenda, cum per se maxime honesta sint et ad gloriam Dei beatudinemque nostram directe conducant ; unde etiam hujusmodi postulationibus plenæ sunt sacræ paginæ Ecclesiæque preces, nec fere constat ipsa oratio dominica nisi petitionibus spiritualium rerum. Cum autem hæc bona honesta sint seu propter se amabilia, patet ea propter se etiam peti posse, non tamen per modum finis ultimi, nisi de ipsa cœlesti beatitudine postulanda agatur.

1/ Porro, spiritualia bona petenda sunt *per se absolute*, quin ulla conditio positive exprimatur aut interpretative subintelligatur ; sunt enim hæc bona quibus beatificamur et beatitudinem meremur, ut ait s. Thomas (1): talibus vero bonis homo male uti non potest. Apposite Suarezius : « nulla conditio necessaria est ex parte nostra, nec ex parte rei postulatæ, neque ex parte Dei ; ergo nullam omnino adhibere oportet, quia non potest fingi aliud caput, nec principium, ex quo talis conditio necessaria sit. Primum membrum antecedentis patet, quia hæc sunt maxime bona nostra, nam in eis nostra salus et felicitas posita est. Secundum membrum patet, quia cum hæc bona de se talia sint, ut nemo eis male uti possit, injuria quodammodo illis fieret, apponendo conditionem : si nobis expedit, vel aliam similem. Tertium autem membrum probatur, tum quia scimus esse conforme divinæ voluntati, quod hæc bona habeamus, tum etiam quia ipsemet Spiritus Sanctus inspirat nobis desiderium absolutum talium bonorum, et hoc modo adjuvat infirmitatem nostram, et talia bona postulare nos facit. Tum

(1) *Sum. theol.*, II-II, q. 83, a. 5.

denique quia hæc bona maxime cedunt in divinam gloriam, quam ipse Deus in suis operibus præsertim intendit ». (1)

Verum, contra doctrinam ita propositam exsurgit statim difficultas: quamvis sane de se talia sint bona spiritualia ut illis nemo abuti possit, per accidens tamen quandoque contingit aliquem v. g. de his superbire sive præsumere; quam proinde hypothesim cavere debet vir salutis suæ studiosus, apponendo scilicet petitioni suæ conditionem aliquam saltem implicitam: modo non sint hæc postulata bona occasio peccati. Cui objectioni sub distinctione respondetur:

a/ Dantur scilicet quædam spiritualia bona adeo necessaria, ut justificatio et perseverantia, ut his deficientibus salus ipsa impossibilis evadat; circa quæ proinde nec possibile quidem est conditionem hujusmodi apponere: quia nequit unquam præsentia horum bonorum sic per accidens nocere animæ, sicut absentia eorum infert ipsi, per se, certissimam ruinam. Similiter dicendum est de omnibus gratiis necessariis ad peccata mortalia vitanda: sunt enim omnino absolute postulandæ, postposito omni timore abusus, quia rursus non est proportio inter periculum istud per accidens et evidens damnum carentiæ illarum gratiarum (2). « Quodsi interdum aliqua temporalia supponantur necessaria ad vitandum spirituale malum, jam illa inter spiritualia computantur, et ex vi illius suppositionis excluditur dicta conditio » (3).

b/ Reliqua vero bona spiritualia quodam sensu dici possunt supererogationis et excellentiæ; in quibus utique licebit, aut imo oportebit quandoque conditionem

---

(1) *De virtute et statu religionis*, tract. 4, l. 1, c. 20, n. 2.

(2) « Et saltem quoad hoc est magna differentia inter hæc spiritualia bona et temporalia; nam temporalia, etiamsi sint maxime necessaria ad præsentem vitam, propter spiritualia contemnenda sunt, et ideo semper in eis habet locum aliqua conditio saltem de se inclusa in tali materia ». SUAREZ, *o.* et *l. c.*, n. 4.

(3) SUAREZ, *ibidem.*

apponere. Nimirum ex illis, ut ita dicam superabundantibus bonis, multa sunt ex quibus ipsa substantialis sanctitas veraque perfectio constat vel comparatur: ut magnæ virtutes, copiosa merita, abundantia gratiarum et cetera hujusmodi. Hæc profecto, quamvis conditioni apponendæ non repugnent, nullam tamen ratione periculi requirunt ex parte orantis: « quia, licet daremus posse hominem aliquando inde in superbiam efferri, per talem orationem virtute postulamus ut id nobis non eveniat, atque ita non petimus sub conditione, sed potius petimus perfectionem contrariam illi conditioni, seu excludentem illam. Quod patet, quia petendo perfectam sanctitatem, petimus humilem sanctitatem (ut sic dicam) et solidam virtutem, quæ cum elatione esse non potest » (1).

Verum, illa supererogationis bona quæ ad sanctitatem directe non faciunt, sed indirecte tantum et quasi accidentaliter: ut gratiæ gratis datæ seu charismata, revelationes et visiones etc., sub expressa tantum conditione postulari possunt, nec sine magna cautela et humilitate, non tantum ratione majoris adnexi periculi, sed etiam minoris per se utilitatis ad sanctitatem: siquidem, ut ait s. Bonaventura, « in aliis spiritualibus bonis major vis est, et certior veritas, et fructuosior profectus, et purior perfectio » (2).

2/ Restat nunc ut limites præfigamus qui in beneficiis spiritualibus absolute petendis observandi sunt. Primo quidem « hæc bona petenda tantum sunt juxta ordinem a Deo statutum. Qui ordo, connexionis et dependentiæ, habet ut homo peccatorum remissionem per debitam pœnitentiam obtineat; ut merita acquirat per bona opera, atque præmium beatitudinis tollat per merita et proportione meritorum » (3).

Ulterius autem ponitur quæstio utrum dicta bona cum beatitudine cœlesti, quæ jam vidimus in abundantia peti

(1) Suarez, *ib.*, n. 5.
(2) *De processu religionis*, in septimo, c. 20.
(3) Dignant, *De virtute religionis*, n. 36.

posse, etiam absque limite postulari queant, servato utique ordine divinitus constituto; aut saltem cum limite excellentissimi tantum gradus. Res quidem ex una parte præsumptionis cujusdam et temeritatis speciem præ se fert; ex alia tamen parte, eam tum nobis tum gloriæ divinæ utilissimam dices, nec forsan a bonitate Dei discordantem, utpote qui ex se paratus videtur ad concedendam nobis quamcumque sanctitatem.

Respondet Suarezius (1) appetitum finis seu beatitudinis revera de se terminum non habere, sed quanto majorem, tanto esse meliorem; unde sanctitatem quam maximam, nullo apposito limite, modo generali et absoluto licite peti. Appetitus vero mediorum ad salutem a fine regulatur; adeoque et maximas etiam gratias et virtutes pari modo postulare licet. Si quis vero ex his generalitatibus descendat ad specificandum aliquo modo gradum sanctitatis quem a Deo poscit, tunc utique cavendus est abusus. Præsumptio nimirum esset atque temeritas, si quis absolute hanc sanctitatem peteret quæ sine miraculo gratiæ obtineri nequit, ut v. g. sanctitatem B. M. V. (2); hæc enim extra legem divinæ Providentiæ etiam supernaturalis omnino versatur, et proinde cuique non paratur oranti. Ita ergo limitare oportet petitionem absolutam hujusmodi, ut nempe rogetur « tota illa perfectio quæ secundum legem Dei ordinariam comparari potest per media præstituta a Deo, quæ sine miraculo conferri solent. Si autem affectus amplius extendatur, ut interdum

---

(1) *Ib.*, c. 21, n. 9.

(2) « Si sermo esset tantum de quodam affectu simplici, vel voluntate conditionata, quæ interdum exercetur ad excitandum vel accendendum affectum erga Deum, sic non est per se malum cupere tantam puritatem vel fervorem in amore divino, quanta in maximis Sanctis fuit, quia hoc solum est complacere in excellentia illius sanctitatis, et in habenda illa, si nobis illam conferre Deo placuisset. At vero per modum intentionis efficacis velle consequi excellentiam, verbi gratia, sanctitatis Virginis, vel illam petere animo et fiducia obtinendi illam, temerarium esset, quia est omnino miraculosum, et extra legem ordinariam providentiæ divinæ, etiam supernaturalis », SUAREZ, *ib.*, n. 10.

honestissime potest, adhibenda videtur conditio: si Deo beneplacitum fuerit; nisi specialis instinctus Spiritus Sancti plus aliquando conferat: neque enim possumus illi terminum præscribere, qui maxime hæc bona dividit prout vult » (1).

E. Hosten.

V.

De Kerk van Belgie onder het hollandsch bewind.

IV. De Eedmoeilijkheden.

V. *Welke was de houding der belgische katholieken, vooral der kerkelijke overheid, tegenover de grondwet door koning Willem, op 24 Aug. 1815 verplichtend gemaakt voor gansch het koninkrijk der Nederlanden ?.*

A. De afkondiging der grondwet, 24 Aug. 1815, wekte bij de belgische katholieken algemeene misnoegdheid, voornamelijk om wille van de artikelen 190-196, die door de kerkelijke overheid openlijk strijdig werden genoemd met de katholieke leer (2). In vele naamlooze vlugschriften, die toen verschenen, werd de koning om zijn onhandig optreden gelaakt en openlijk werd verklaard dat de grondwet in geweten niet kon goedgekeurd worden (3).

Intusschen benoemde koning Willem de leden der beide wetgevende kamers (4) en noodigde ze uit om zijne

---

(1) Suarez, *ibidem.*

(2) Zie hooger bl. 124 vlg.

(3) Terlinden, *o. c.*, t. I, p. 100 ss.; Delplace, *o. c.*, *Appendice bibliographique*, nº 27-36.

(4) Volgens de overgangsbepalingen werden de leden van de staten generaal voor de eerste maal door den koning benoemd. Wij laten hier van kant de moeilijkheden die koning Willem te overwinnen had om de uiteenloopende belangen van Noord en Zuid op maatschappelijk, op economisch en staatkundig gebied te verzoenen. Het moet hier nogthans gezegd dat, dank zij het initiatief van den koning zelven, zeer veel werd gedaan ter bevordering van de stoffelijke welvaart des lands. Zie daarover Blok, *t. a. pl.*, bl. 384 vlg.

plechtige inhuldiging op 27 Sept. te Brussel bij te wonen en ter dier gelegenheid den vereischten eed van getrouwheid aan de grondwet af te leggen. Daarmede was de aandacht getrokken op het vraagstuk van den eed, die uit kracht van de grondwet zelf, moest geeischt worden niet alleen van de kamerleden maar ook van de ministers, de leden van den staatsraad en van de provincieraden. Deze eed luidde als volgt : « Ik zweer de grondwet van het koninkrijk te onderhouden en te handhaven, en in geen enkele gelegenheid of onder geen enkel voorwendsel er van af te wijken of toe te laten dat men er van afwijke ». Het bleek wel dat dergelijke eed, in zijnen natuurlijken zin genomen, ongeoorloofd was, daar de grondwet bepalingen bevatte die regelrecht ingingen tegen beginselen die een katholiek niet mag verloochenen (1) ; maar enkelen vroegen zich angstig af, of uit het weigeren van den eed niet een grooter kwaad zou voortspruiten, nl. het inpalmen van alle gezag in ons katholiek land door protestanten en vrijzinnigen. De bisschoppen werden dan ook van alle kanten geraadpleegd. Nog vóór het einde van Augustus kondigden zij daarom een gemeenschappelijk schrijven af : *Jugement doctrinal* of *onderwijzende uitspraak*, waarin zij de verscheidene artikels der grondwet, die tegen den godsdienst en zijne rechten streden, aanduidden, en aan alle geloovigen verboden de verschillende eeden, door de grondwet voorgeschreven, af te leggen, wilden zij zich niet schuldig maken aan het ergste verraad tegenover de hoogste belangen van den godsdienst (2). Deze strenge uitspraak bracht den koning

(1) « Ce serment, schrijft Mgr Bracq in zijn *Notice historique sur Mgr de Broglie* (*Recueil des Mandements*... p. XXXII), était illicite, parceque d'après le sens naturel des expressions et tout l'ensemble de la constitution, on promettait de coopérer à des choses contraires à la religion ».

(2) *Jugement doctrinal des Evêques du royaume des Pays-Bas sur le serment prescrit par la nouvelle constitution. — Onderwijzende uytspraek der bisschoppen... nopens den eed...* (In 8°, 27 bl.). Zie ook *Recueil*.., p. 287 ; TERLINDEN, *o. c.*, p. 103.

en de regeerende kringen in groote verlegenheid : vervolgingen werden beraamd tegen Mgr de Broglie, dien men niet zonder reden den aanvoerder der beweging en bijzonderste opsteller der onderwijzende uitspraak waande (1). Regeeringsgezinde en vrijzinnige bladen vielen heftig de bisschoppen aan, doch de kerkelijke overheid werd met niet minder heftigheid door de katholieken verdedigd. Vele katholieken weigerden den eed te doen : Mgr van Velde de Melroy zond zijn ontslag in van lid van den raad van state, wijl de graaf de Merode, de hertog de Beaufort en de graaf de Robiano weigerden den hun aangeboden zetel in de eerste kamer der staten-generaal te aanvaarden (2). Dit voorbeeld zou door vele anderen gevolgd worden.

Vele moeilijkheden hadden nogthans kunnen vermeden worden, indien de koning zich met de bisschoppen had willen verstaan over de formule van den eed of althans aan de belanghebbenden had toegestaan de beperkingen en het voorbehoud te maken, door hun geweten geëischt (3). De ministers, bang dat de kamers niet zouden kunnen bijeenkomen om de noodige geldmiddelen te stemmen, waren daartoe in den beginne geneigd, en gaven zelfs op 7 Sept. te Gent, (waar enkele « aangeduide » katholieke kamerleden uit het vlaamsche land waren samen gekomen om den koning bij zijn bezoek aldaar, hun hulde te bieden), de verzekering dat bij de kroning te

---

(1) Om helderheid in de uiteenzetting te houden, zullen we sommige gebeurtenissen, die met de moeilijkheden betreffende den eed samenvielen, later afzonderlijk verhalen ; nl. de vervolging van Mgr de Broglie, de antikerkelijke maatregelen door Willem genomen en de zaak de Méan.

(2) Zie TERLINDEN, *o. c.*, p. 108 ss.

(3) « Une déclaration explicite du roi, schrijft DELPLACE, *o. c.*, p. 80, pouvait tout apaiser ; en effet un serment doit être prêté dans le sens où il est demandé par l'autorité compétente ; que si elle permet une restriction, même implicite, les sujets peuvent le prêter dans ce sens restrictif sans renier les principes qui le condamnent dans un sens absolu ».

Brussel de eed onder voorbehoud mocht gedaan worden. Op die voorwaarde aanvaardden vele gekozene leden hun benoeming, zij hielden zich echter met enkele woorden niet tevreden en eischten dat de koning door een uitdrukkelijk besluit het « maken van voorbehoud » zou toelaten. Dit geschiedde volgens hunnen wensch, maar het koninklijk besluit, in allerhaast opgesteld enkele dagen voor de kroning, werd nooit openbaar gemaakt, en 't geen veel erger is, de namen der beëedigde leden werden in het staatsblad afgekondigd, zonder de melding van beperking of restrictie, zoodat ze bijna overal aangezien werden als overtreders van het bisschoppelijk verbod (1).

De houding van den prins de Mean, gewezen bisschop van Luik, maakte den toestand nog meer ingewikkeld : deze prelaat, dien de koning lid wilde maken van de eerste kamer en verder op den aartsbisschoppelijken stoel van Mechelen wenschte te brengen, toonde zich zeer inschikkelijk ; hij legde den gevraagden eed af, onder voorbehoud wel is waar van de pauzelijke goedkeuring, en na eerst van den koning een geschreven verklaring gekregen te hebben, dat van wege de grondwet niets te vreezen was voor de katholieke leer of de katholieke instellingen. Doch dit nam over 't algemeen de verergenis niet weg en bracht veel verwarring in de gemoederen (einde Sept. 1815) (2).

Er was dus wel van den kant van koning en regeering een zeker tegemoetkoming geweest, om redenen van praktischen aard ; doch deze tegemoetkomingen, met tegenzin gedaan, bleven geheim of althans weinig bekend. Verder zou nu, tot in September 1820, niets meer, althans niet officiëel, toegegeven worden; wel integendeel, met nadruk zullen thans koning en ministers alle verklaringen of beperkingen weigeren bij het afleggen van den eed !

---

(1) TERLINDEN, *o. c.*, p. 10 ss.
(2) *Ibid.*, p. 138 ss.

Dit bleek klaar in den loop van het jaar 1816, bij het samenstellen der provinciale raden. Vele kandidaten, vooral onder den adel, achtten zich verplicht, om reden van den eed, het hun aangeboden mandaat te weigeren. De regeering daarover zeer verbitterd trof hatelijke maatregelen : 28 edelen werden ineens uit de lijst van den erkenden adel geschrapt (1). Wat meer is, de verplichting tot den eed werd uitgebreid en ook geëischt van openbare ambtenaars, voor wie het door de grondwet niet voorzien was. Zoo werd, na de definitieve inrichting der gerechtshoven, de eed van getrouwheid aan de grondwet gevraagd, door het besluit van 25 Febr. 1817, niet alleen aan de rechters en de erkende advokaten, maar ook aan de griffiers en mindere beambten. Dit bracht weerom een heele beroering : velen dachten dat ze aan de opgelegde verplichting konden voldoen met benevens hunnen eed de verklaring af te leggen, waartoe de H. Stoel juist in dezen tijd Mgr de Mean verplicht had, en die door den koning, na veel aarzelen, aangenomen was geweest. Doch dit werd hun uitdrukkelijk geweigerd, en nog eens zagen de besten zich verplicht om gewetensbezwaren hun ambt te laten varen (2). De kerkelijke overheid immers had in niets hare strenge uitspraak gemilderd, en de parochiegeestelijken gedroegen zich in 't algemeen naar deze uitspraak; in den paaschtijd van 1816 en 1817 werd aan de beëedigden de absolutie geweigerd.

---

(1) *Ibid.*, p. 119 ss. Om de benoemde leden van den provincieraad te bewilligen, had de minister van binnenlandsche zaken zelfs bedrog gebruikt; hij had verklaard dat de « onderwijzende uitspraak » der bisschoppen te Rome als niet goed te keuren rigorisme was verworpen geweest.

(2) « Le serment prescrit, schreef de minister van Justitie op 27 Juli 1817, doit être prêté dans son intégralité, sans réserve et aussi littéralement qu'il est prescrit par l'arrêté du roi, sans la moindre amplification, ni modification, les réserves de cette nature ne pouvant être considérées que comme un refus de prêter le serment susmentionné ». Zie bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 121; en *Recueil...* p. 431. Te Brugge namen de voorzitter van den rechtbank, twee substituten en drie rechters hun ontslag; te Kortrijk en te Antwerpen waren de handelsrechtbanken volledig ontbonden.

Rome ten anderen had de uitspraak van de bisschoppen volstrekt niet afgekeurd, niettegenstaande de sluwe werking van den nederlandschen minister Reinhold, ondersteund door den oostenrijkschen gezant.

Van het begin af der moeilijkheden had Mgr de Broglie er aan gehouden den H. Stoel op de hoogte te houden ; twee zijner priesters had hij naar Rome gezonden om aan den H. Vader de stukken te overhandigen, welke hij had uitgevaardigd, en om verdere richtingen te vragen. De Paus deed de moeilijkheden door een bijzondere vergadering van kardinalen onderzoeken (1), en 't was slechts na vijf maanden, na eerst ook den nederlandschen gezant Reinhold gehoord te hebben, dat hij een beslissing gaf ; in een nota van 19 Maart 1816 aan Reinhold deed hij zijn beklag over de handelwijze der nederlandsche regeering en keurde het gedrag der geestelijke overheid in Belgie goed (2). Een maand later (1 Mei) vereerde hij Mgr de Broglie met een breve, waarin hij, na eerst zijn tevredenheid uitgedrukt te hebben over het kloekmoedig gedrag van den bisschop van Gent en zijne ambtgenoten, liet weten dat onderhandelingen aangeknoopt waren en zouden voortgaan om met de nederlandsche regeering een overeenkomst te treffen nopens de eedsformule (3).

---

(1) Uiterst belangrijk zijn de besprekingen, in de Congregatie gehouden, over de moeilijkheden in de Nederlanden, en die voor het eerst werden benuttigd in het reeds meer aangehaald en zeer verdienstelijk werk van prof. Terlinden (p. 145 ss.). Het blijkt duidelijk uit deze bronnen, dat Rome aan de zijde stond van Mgr de Broglie. Zoo de Paus, nl. in de zaak de Mean, gematiger optrad, dan sommige consultores hadden gewenscht en in Belgie was verwacht, dan was het, op aanraden van Card. Consalvi, om een beteren toestand voor de toekomst te bereiden.

(2) Deze nota werd in de Nederlanden rondgestrooid onder titel *Communication importante* (Keulen, in 8°, 8 bl.). Zie TERLINDEN, *o. c.*, p. 171.

(3) *Recueil*... p. 311. De breve werd naar Gent gebracht door Kan. Ryckewaert, professor aan het Seminarie te Gent, die te Rome het dossier van zijn bisschop had overhandigd en diens gedragslijn ook mondeling had uiteengezet. Reinhold was zeer verbitterd op den gentschen professor, die zijn plannen had verijdeld ; de nederlandsche

Dit pauzelijk schrijven, zoo verheugend voor de geestelijke overheid, werd aanstonds naar den koning gezonden met een gezamenlijken brief der bisschoppen (1), waarin deze laatsten den vorst smeekten de netelachtige zaak van den eed met den Paus te willen vereffenen en op voorhand beloofden de beslissingen van den H. Vader stiptelijk te zullen volgen (8 Juni 1816). Op dit schrijven kwam op 23 Juni een antwoord van baron Goubeau waarin duidelijk te verstaan werd gegeven, dat er geen verandering te verwachten was : de Paus, zoo luidde het, was slecht ingelicht geweest, en zou thans door den nederlandschen gezant te Rome op de hoogte gebracht worden (2). Werkelijk werd intusschen te Rome, waar de zaak de Mean (waarover in een volgende verhandeling) nog hangende was, ook over de eedformule gehandeld, doch men kwam tot geen algemeene beslissing. Alleen werd vastgesteld dat Mgr de Mean om de gegeven ergernis te herstellen een openbare verklaring zou doen, dat hij in niets door zijnen eed den katholieken godsdienst had willen schaden (18 Mei 1817). De hollandsche regeering had deze openbare verklaring zoo lang mogelijk trachten tegen te houden en poogde nadien den zin en den dracht er van te verminderen of de verklaring te doen doorgaan als een veroordeeling van het gedrag der bisschoppen ; zij weigerde, althans in den beginne, dergelijke verklaring aan anderen toe te laten (3).

Evenwel was er door de « zaak de Méan » een kentering in den toestand gekomen : op vele plaatsen, met of zonder wete der regeering, trachtte de geestelijke over-

---

regeering wilde hem zelf doen aanhouden bij zijne terugreis en zijn brieven ontnemen, maar Kan. Ryckewaert ontkwam gelukkig. Zie bij CLAESSENS, *La Belgique chrétienne depuis la conquête française*... t. II, p. 215.

(1) *Recueil*... p. 313.

(2) TERLINDEN, *o. c.*, p. 175, *Recueil*... p. 314.

(3) Zie over heel deze zaak, die we later ook nog zullen bespreken, TERLINDEN, *o. c.*, p. 176-194.

heid een uitweg te vinden. Te Mechelen, te Namen, en te Doornijk en weldra in het Luiksche werden de beëedigde weerom tot de sacramenten toegelaten, wanneer ze de verklaring « de Mean » wilden afleggen, zelfs verzon men middelen om den eed voor de toekomst mogelijk te maken. In 't Mechelsche, waar intusschen Mgr de Mean het bestuur van het bisdom had in handen genomen, begon ook de opinie veld te winnen dat de eed door Rome was goedgekeurd (Juli 1817). Toen de Paus dit vernam was hij zeer ontstemd ; in een breve van 3 Dec. 1817, laakte hij ten zeerste den aartsbisschop en verklaarde onverholen dat de grondwettelijke eed ongeoorloofd bleef, zoolang de formule niet gewijzigd werd, of de regeering niet openbaar verklaarde dat onder de bij eede te beloven bescherming aan alle gezindheden des rijks alleen eene « burgerlijke » bescherming te verstaan was (1).

Doch de regeering bleef doof voor deze duidelijke aanwijzing en dezen vurigen wensch van den H. Stoel, althans waar het 't bisdom Gent gold. Overal elders toonde zij zich inschikkelijk, en kwam in 't geniep met de geestelijke overheid overeen om de eedmoeilijkheden te vereffenen of te voorkomen ; voor 't bisdom Gent echter werd in niets toegegeven. Mgr de Broglie had nog op 23 Maart 1817 een verslag naar Rome gezonden, en aan den H. Stoel allerlei mogelijke formulen voorgesteld ; de Paus had hem (31 Dec. 1817) de oplossing laten kennen welke hij aan Mgr de Méan voorgesteld had en van de nederlandsche regeering verhoopte. De moedige bisschop van Gent had intusschen het land moeten verlaten, doch zijn vicarissen en zijne geestelijkheid hielden zich streng aan de breve van den Paus ; aangezien de regeering, op hunne uitdrukkelijke vraag, geen verklaring wilde geven of beperkingen toelaten, bleven zij voort den eed afkeuren

(1) *Ibid.*, p. 246-257.

en de sacramenten weigeren aan de beëedigden die niet herriepen (1).

Deze verschillende houding der regeering in de eedmoeilijkheden is alleen te verklaren door de misnoegdheid die koning en ministers hadden opgevat tegen Mgr de Broglie; zoolang de moedige en ijverige bisschop leefde, en, de drijverijen van de regeering ten spijt, door zijne getrouwe geestelijkheid erkend bleef, konden zij er zich niet toe besluiten hun ongelijk te erkennen. Het was eerst na het overlijden van Mgr de Broglie (20 Juli 1821), dat Goubeau in naam van den koning aan het gentsch vicariaat liet weten dat de eed van getrouwheid aan de grondwet maar te verstaan was in den civielen zin (2). Daarmede waren de eedmoeilijkheden ook bij ons geëindigd, maar de moedwil der regeering in deze netelachtige zaak, benevens vele andere tergende maatregelen, waarover in ons volgend antwoord, hadden diepe wonden geslagen en onze katholieke vlaamsche bevolking afkeerig gemaakt van het hollandsch bewind. De koning had zijn grondwet, tegen wil en dank der katholieken, kunnen volhouden, hij had echter de genegenheid van de besten zijner nieuwe onderdanen voor goed verbeurd.

R. Deschepper.

---

(1) Nog in 1820 werden twee westvlaamsche pastoors, de pastoor van St-Denys en de pastoor van Hoogstade, veroordeeld omdat ze de herroeping van den eed geëischt hadden. De regeering aarzelde niet zelfs lage middelen te gebruiken om den weerstand te breken, zij had nl. de breve van 31 Dec. 1817, naar Mgr de Broglie gezonden, vervalscht en den vervalschten tekst doen rondstrooien onder het volk. Terlinden, *o. c.*, p. 253.

(2) Zie dezen brief bij Terlinden, *o. c.*, p. 255; Goubeau wil den indruk niet laten dat de Regeering toegaf, en wil zijn schrijven als overbodig doen doorgaan. Maar voor het vicariaat was het wel de eerste officieele en authentieke verklaring, waarop mocht gesteund worden. Zie brief van Mgr Boussen, den toenmaligen secretaris van 't Bisdom aan de dekens, op 21 Aug. 1821, in *Recueil*... p. 477.

VI.

De pulsanda campanula.

Q. *Quandonam et quomodo pulsanda est campanula in missa et in laudibus SS^mi^ Sacramenti?*

R. **Historia** (1). Ex pluribus testimoniis novimus ab antiquis solitum fuisse ut pulsato aliquo signo excitarentur monachi a somno aut convocarentur fideles ad prædicationem vel ad officia ecclesiastica (2). Designatur hoc instrumentum nomine *signi*, *campanæ* (3), *nolæ*, *cloccæ* (4), et in multis casibus constat illud fuisse idem quod nos campanam nominamus. Usus ille nuntiandi initium officii liturgici sonitu campanæ præsertim invaluit a sæc. VIII. Sed usque ad sæc. XII non videtur pulsatam fuisse campanam *infra* missam.

Vertente autem sæculo XII praxis elevandi Hostiam post primam consecrationem inducta est, late sparsa et instanter commendata: unde consecratio et elevatio habita est etiam ritualiter ut centrum missæ (5). Et ut possent fideles etiam absentes oratione se associare sacrificio, mox injunctum fuit ut pulsaretur minor cam-

---

(1) Cfr H. Thurston, art. *Bells* in *The Catholic Encyclopedia*, t. II; H. Leclercq, art. *Cl ches*, *Clochettes* in *Dict. d'archéol. et de Lit.*, t. III; J. Deligny, *Les cloches* in *Revue Augustinienne*, XI (1907), 578 ss.; C. Rohault de Fleury, *La messe*, t. VI, p. 154-164; pl. CDXCVII-DI.

(2) Sicut apud paganos e somno excitabantur servi, resonabant præcipuæ horæ diei, nuntiabatur initium emptionis publicæ vel festi, etc.

(3) Præcipue conficiebantur in *Campania*, provincia italica, quæ industria æris et aurichalci celeberrima erat. Urbs præcipua erat *Nola*.

(4) Nomen originem habet vel a lingua germanica vel potius a celtica. Notatim in Hibernia celeberrima erat et magna veneratione gaudebat campanula (*clog* vocata) qua missionarii convocabant fideles, quarum multæ hodie servantur. Cfr L. Gougaud, art. *Clochettes celtiques* in *Dict. d'arch. et de Lit.*, t. III; H. Thurston, *The early history of the church bells*, in *The Month*, t. CIX (1907), p. 634 ss.

(5) Cfr H. Thurston, art. *Elevation* in *Cathol. Encyclopedia*; *Collat. Brugen.*, XIII, 141.

pana (1). Hæc pendere solebat vel in majori turri ecclesiæ, vel in minori turri ad latus chori erecta (2); vel interdum ab acolytho agebatur minor quædam campana *manualis* per aperturam in muro ecclesiæ (3). Jam a. 1287 a synodo anglica, in Exeter habita, præscripta est hujusmodi « campanella *deferenda* ad infirmos et ad elevationem Corporis Christi ». Inde invaluit usus ut intra ecclesiam pulsaretur hujusmodi campanula ad primam tantum aut ad utramque elevationem (4).

Intendebant ita tum assistentium (maxime per campanulam) tum absentium vicinorum (per campanam turris) attentionem et devotionem excitare ad momentum elevationis. Ut autem satis tempestive præmonerentur succedit mox usus pulsandi campanulam ad *Sanctus*. Sed et multo latius extensus est usus, diversus in variis ecclesiis potissimum Galliæ, pulsandi campanellam, v. g. fere immediate ante consecrationem, nempe ad *Hanc igitur*, vel ad alias partes præcipuas missæ : ad offertorium, ad minorem elevationem ante *Pater noster*, ad *Domine non sum dignus* immediate ante communionem Hæ consuetudines in diversis ecclesiis ad nostra usque tempora perseverarunt.

Si autem usum romanum spectemus, de campanula pulsanda intra missam tacent Ordines Romani, eisque succedens *Ordo Missæ* a Burchardo (1502) confectus, imo et prima editio rubricarum *Ritus celebrandi* in Missali Pii V. Tandem Clemens VIII (1604) inseruit in *Ritu celebrandi* textum de campanula quem hodiedum habemus.

---

(1) Cfr H. Thurston, in period. *The Tablet*, 26 oct. 1907: *Showing the Host*; 2 nov. 1907 : *Seeing the Host*. Hoc statuit jam a. 1215 capitulum generale Cisterciensium.

(2) Vide v. g. imaginem ex codice sæc. XIV ap. D Rock, *The church of our fathers*, London, 1905, t. IV, p. 178.

(3) De his omnibus lege citatos artic. in *The Tablet*.

(4) Hunc usum testatur G. Durandus († 1296), *Rationale divinorum officiorum*, l. IV, cap. XLI, in fine: agitur de campanula *bajula* quam vocat *squillam* (schel, handbel). Unde apparet usum campanulæ *manualis* multo antiquiorem esse quam contendit R. D. J. Kreps, ap. *Questions liturgiques*, V (1920), 51 ss.

II. **Disciplina hodierna.** 1. Ex præscripto rubricarum pulsanda est campanula bis infra missam: ad *Sanctus* et ad utramque elevationem (1).

a/ Ritus celebrandi, VII, 8: Sacerdos « dicit *Sanctus*... et inclinatus prosequitur, *ministro interim parvam campanulam pulsante* ». Sufficit unica eaque brevis pulsatio.

b/ Rit. celebr., VIII, 6: « Dum celebrans elevat Hostiam ... minister manu sinistra elevat fimbrias posteriores planetæ ... et *manu dextera pulsat campanulam ter ad unamquamque elevationem, vel continuate quousque sacerdos deponat Hostiam super corporale, et similiter postmodum ad elevationem Calicis* ». Congruentius nobis videtur ut ter pulset potius quam continuate.

2/ S. Rit. Congr., decreto diei 25 octobris 1922 (2), declaravit rubricas præfatas applicandas esse ad missas solemnes et pontificales. Quamvis allegari possint motiva contra usum campanulæ in hujusmodi missis (3), urget S. R. C. hanc interpretationis regulam : quod expresse statuit *Ritus celebrandi*, exponens missam privatam, etiam servari debet in solemniori missa, nisi aliud expressis verbis — non solo silentio — statutum fuerit. Jamvero *Ritus celebrandi* (VII, 11 et VIII, 8) et *Cæremoniale Episcoporum*, II, VIII, exponentes missam solemnem, simpliciter tacent de campanula.

3/ Invocat insuper S. Rit. Cong. : *a*/ « praxim communem et antiquam », quæ ut vidimus, multo latius utitur campanula ; *b*/ rationes ob quas censet pulsari campanulam, quæ sunt « Christi fidelium attentio, lætitia, devotio, fidei catholicæ professio in veram ac realem Jesu Christi præsentiam in SSma Eucharistia, eorumque

---

(1) Quod servari debet « etiam in oratoriis privatis, in quibus plerumque solus adest celebrans cum ministro » (D. 3638, 3).

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, XXII, 518.

(3) Monentur enim fideles ipso cantu. Et maxime si fideles ipsi cantent, vix quæri potest quomodo possent ignorare momentum elevationis.

consociatio angelicis choris ad laudandum Deum et adorandum » (1).

Et ob hæc motiva ita aperit mentem suam: « Insuper ad removendum, quantum fieri potest, inconveniens quo aliqui de longinquo vel de propinquo in templo sistunt sine attentione ac reverentia etiam ad præcipuas divinorum mysteriorum actiones, *maxime expedit, ut paulo ante consecrationem aliquod campanulæ detur signum, juxta communem ecclesiarum praxim* ». Quæ praxis apud nos ab immemoriali tempore obtinet, ut nempe campanula pulsetur ad *Hanc oblationem.*

4/ Ex modo loquendi S. Congregationis et motivis adductis, censemus servari posse et decere consuetudinem (præter rubricas) pulsandi campanulam, ut apud nos moris est, ad initium missæ (2), ad minorem elevationem in fine canonis, et ter ad *Domine non sum dignus* in præparationem ad communionem sacramentalem aut spiritualem fidelium.

Insuper quando admonendi sunt fideles S. Communionem esse distribuendam, merito datur campanulæ signum, nisi quando est supervacaneum, puta in missa communitatis in qua solet distribui, aut quando fideles sponte accedunt ad communionis scamnum.

5/ *Prohibetur* campanulam pulsare intra missam: 1° durante expositione SS. Sacramenti, etiamsi hæc fiat ad aliud altare (DD. 3157, 10; 3448, 2); 2° dum fit publica processio per ecclesiam (D. 3814, II) (3); 3° dum horæ canonicæ publice persolvuntur, saltem in missa quæ

---

(1) Ex qua enumeratione patet evolutionem esse factam inde ab origine, quando solum intendebant monere fideles.

(2) Si pulsata fuerit campanula ad egressum e sacristia et non multæ celebrentur missæ, non apparet cur rursus ad altare sit pulsanda. Non debent multiplicari pulsationes campanulæ.

(3) « Si vero, quod fieri non debet, ex errore pulsetur, omnes ante altare transeuntes ubi fit elevatio SS. Sacramenti, bini et bini unicum genuflectunt et piam supplicationem prosequantur » (D. 3814, II).

celebretur ad altare e conspectu chori positum (3814, I) (1).

In laudibus SS. Sacramenti, dum datur benedictio, pulsatur campanula pro more loci.

Nota. Loco campanulæ non convenit adhibere « cymbalum dictum Indorum Orientalium » quod percutitur ab acolytho, quod « gong » nuncupari solet (D. 4000, 3) (2). Semper curandum ut sonitus campanulæ sit modestus et brevis (3). Non enim est cæremonia sed merum signum, quod ne protrahatur.

C. Callewaert.

---

(1) Ad ipsum altare chori missæ privatæ non permittuntur (D. 3814, I, 1). « Quodsi campanula, non obstante vetito, quandoque pulsetur, et elevatio SS. Sacramenti advertatur, chorales omnes caput tunc temporis detegant, et horas canonicas prosequantur » (D. 3814, I, 3).

(2) Minus etiam convenit instrumentum, vulgo « carillon » quod constat pluribus tintinnabulis in unum conjunctis. « Ces inventions, quoique déjà anciennes [vide tabulam a P. Pourbus pictam in musæo ecclesiæ cathedralis], et autres analogues plus récentes, ne sont bonnes qu'à distraire et amuser les fidèles dans un moment où on doit chercher à les porter à la prière et au recueillement ». X. Barbier de Montault, *Traité pratique de la construction des églises,* Paris, 1878, t. I, p. 356.

(3) *Cæremoniale Episcoporum,* I, xxix, 6, vocat hoc: « tintinnabulum *tangere* » !

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis martii propositas.

—

I.

Paulus operarius.

Q. *Duplici loco* Act. Ap., *nimirum* XVIII, 1-3 *et* XX, 33-35. *pluribusque locis epistolarum s. Pauli, nimirum* I Cor., IV, 11-12; IX, 1-18; I Thess., II, 5-9; II Thess., III, 6-16, *etc.*, *audimus de* labore manuali *cui Paulus operam dabat.* — *Hujus laboris speciem et modum determina et quare mirationem nostram factum istud Pauli ita laborantis provocare natum sit ostende.*

R. Indubium est nec multis est evolvendum in mundo in quo Paulus tamquam præco fidei christianæ tanto zelo laborabat, laborem manualem non tantum innumeris illis qui servituti proprie dictæ vel conditioni opificum liberorum, a dicta servitute non ita dispari, adscripti erant, sed etiam ditioribus dominisque quam maximo fuisse odio et horrori. Ad nostra usque tempora permansit distinctio inter illa, in signum despectionis, sic dicta *opera servilia* et alias disciplinas artesque sic dictas *liberas*. Et ecce mundum hunc, non tantum judaicum, sed etiam, imo et præprimis græco-romanum, totum percurrit Paulus, fidem Christi prædicaturus animasque Christo lucraturus.

Jamvero idem ille Paulus, quamvis statura, ut videtur, pusillus et certe sanitate debilior, sub omni tamen alio respectu miræ magnitudinis fuisse apparet. In mundo judaico, unde originem traxit, non pauper sed ditior fuisse videtur; de secta erat Pharisæorum qui apud cæteros

Judæos magna gaudebant auctoritate; linguam callebat hebraicam et græcam, et, ut omnia demonstrant, tum mente et intellectu, tum corde et voluntate nequaquam gregarius erat homo; post scholas peractas Tarsi, ubi natus erat, Hierosolymam venit ibique sub ductu celeberrimi magistri Gamaliel titulum Rabbi seu Scribæ seu Legisperiti obtinuit; et quantum locum etiam inter primos Judæorum occupaverit, apparet ex loco insigniori quem adhuc juvenis, in variis eventibus obtinuit (1). — In mundo autem græco-romano prærogativa illa, suo tempore rariori, civitatis romanæ omnibusque privilegiis connexis gaudebat (2). — Tandem in mundo christiano, ab ipso Jesu fuerat, stupendo miraculo, ad fidem conversus (3); ab ipso Jesu ad dignitatem apostolicam vocatus, a Spiritu sancto speciali modo designatus qui episcopali dignitate augeretur (4); præ aliis Apostolis Apostolus Gentilium meruit esse et dici, præclaris miraculis prædicationem suam confirmabat mundumque universum mira textura communitatum christianarum operuit. — Quantus cæteroquin fuerit, ex omnibus quæ de ipso ipsiusque relationibus tum ad Judæos tum ad Gentiles sive in *Act. Ap.*, sive in *epistolis* ipsius Pauli referuntur, liquido apparet.

Et ecce magnus ille Paulus, tot titulis præclarus, et hujus suæ conditionis perfecte conscius (5), iteratis vicibus apparet operibus servilibus incumbens (6), imo omnia innuunt illud non modo quodam accidentali, sed vere per modum occupationis ordinariæ, per magnam saltem partem vitæ ejus apostolicæ, obtinuisse.

---

(1) Cfr *Act. Ap.*, VII, 58 ubi apparet qua dux commotionis in Stephanum; VIII, 3, coll. IX, 1; XXII, 4 s., ubi apparet qua dux persecutionis contra christianos, litteris Summi Sacerdotis et Synedrii donatus et vel extra Palæstinam Ecclesiam devastans.

(2) *Act. Ap.*, XXII, 26.

(3) *Act. Ap.*, IX, 1-29; XXII, 3-21; XXVI, 9-20.

(4) *Act. Ap.*, XIII, 1-3. Cfr *Collat. Brugen.*, supra, pp. 46 ss.

(5) *I Cor.*, IX, 1-18.

(6) Cfr ll. citata in quæstione.

Ars cui vacabat Paulus ut scenofactoria designatur (1), i. e. minora, portatilia tentoria faciebat, nempe ex corio, pannis ciliciis, pellibus pannisque linteis, non vero, ut quidam voluerunt ipsam telam texebat ex qua postea tentoria conficerentur. — Hanc porro artem servilem exercebat etiam in illis civitatibus quæ luxu suo effrænato, vita molliori et superbia notissimæ erant, ut puta Corinthi (2), Thessalonicæ (3), Ephesi (4); neque remissus erat labor nec levis, sed durus et diuturnus, per longam sæpe partem noctis protractus (5).

Non ita solitum sane fuerit spectaculum magni Apostoli Pauli, in sudore vultus sui labori huic servili incumbentis, dum, divinis contemplationibus Christo suo unitus, labores suos apostolicos præteritos recogitabat vel futuros præparabat et sollicitudine omnium ecclesiarum angebatur. Spectaculum quamdam præbens analogiam cum spectaculo illo in infinitum magis stupendo ipsius Dei-Hominis in domo Nazarethana arti fabrili incumbentis.

Nec indignum se hunc laborem æstimaverit Paulus, contra iteratis vicibus et quam sincere de eo gloriatur (6). Imo nonne ipse Deus voluit suo modo huic labori servili testimonium præbere, dum ut referunt *Act. Ap.*, per sudaria et semicinctia Pauli miracula operari dignabatur (7)?

Num ergo ad hujusmodi laborem præstandum coactus erat Paulus? Minime! Misso enim quod certe Paulus, pro suis dotibus, nobiliori modo sibi providere potuisset, plenissimo jure potuisset — et hujus sui juris perfecte

---

(1) *Act. Ap.*, XVIII, 3.
(2) *Act. Ap.*, XVIII, 1-3; *I Cor.*, IV, 11-12; IX, 1-18.
(3) *I Thess.*, II, 7-9; *II Thess.*, III, 8.
(4) *Act. Ap.*, XX, 33-35.
(5) *Act. Ap.*, XX, 35, ubi, loco *laborantes*, græce legitur κοπιῶντας, i. e. labore gravi et molesto laborantes; — *I Cor.*, IV, 11; *I Thess.*, I, 7-9; *II Thess.*, III, 8.
(6) Cfr *I Cor.*, IX, 15; *Act. Ap.*, XX, 33-35.
(7) *Act. Ap.*, XIX, 12.

erat conscius (1) — sustentari ex expensis à christianis sibi conferendis. Hoc jus aderat ipsi, eodem titulo quo cæteris Apostolis et missionariis fidei; hoc jus sibi exigere poterat ex jure naturæ, ex lege Dei positiva populo judaico olim data, ex lege ab ipso quoque Christo christianis posita (2). — Cæteroquin videmus de facto interdum pecunias ab ecclesiis quas fundaverat ei fuisse missas (3); et certe inter christianos quibuscum Paulus intimiori vinculo connexus erat, non defuerunt ditiores quoque. — Præterea videmus ecclesias Gentilium, decursu secundi et tertii itineris apostolici Pauli, non modica conferre subsidia pecuniaria in sublevandos christianos pauperiores hierosolymitanos (4); quanto magis Paulo, nomine speciali suo Apostolo, subsidia opportuna contulissent.

Et tamen his omnibus non utitur Paulus; iis uti recusat; labori servili incumbere omnino vult, nec veretur formula vere Paulina hanc suam determinationem enuntiare dum scribit ad Corinthios: Bonum est mihi magis mori quam ut gloriam meam quis evacuet — gloriam nempe inde sequentem quod proprio suo labore propriis necessitatibus providet (5).

En ergo factum: Paulus, tot titulis præclarus, humili huic negotio nulla ex parte adactus, sponte libera labori servili, quem mundus universus odio et horrori prosequebatur, iique duro et diuturno operam dat. — Quæritur de hujus Pauli miræ agendi rationis motivis (6).

A. Vander Heeren.

---

(1) *I Cor.*, IX, 1 ss.
(2) *I Cor.*, IX, 1 ss.
(3) Cfr *Philip.*, IV, 10 ss.
(4) Cfr *Act. Ap.*, XI, 29; *Gal.*, II, 10; *I Cor.*, XVI, 1 ss.; *II Cor.*, VIII, 1 ss.
(5) *I Cor.*, IX, 15.
(6) Vide dicenda in proximo fasciculo *Collat. Brugen.*

II.

De creatione angelorum.

Q. *Quid tenendum est et quonam assensu de creatione angelorum? Proba responsum.*

R. — Supponimus jam probatam fuisse existentiam angelorum; id est, ne quidpiam de natura angelica præjudicemus, supponimus demonstratum fuisse existere entia quædam intellectualia, ab hominibus distincta, iisque superiora, sed Deo inferiora, quæ omnia signatim in Scriptura sacra et traditione orali docentur (1).

Ad quæstionem nunc sic respondemus: tenendum est fide divina et catholica angelos esse *a Deo per creationem*, et quidem *non ab æterno*; deinde ex Scriptura sacra non certo constat utrum angeli ante mundum an cum mundo creati fuerint, atque etiam circa hoc punctum non est una ss. Patrum sententia aut Ecclesiæ ulla definitio.

1/ Angelos fuisse *a Deo creatos* haud immerito jam concluditur a multis ss. Patribus et theologis ex ipso versiculo primo Geneseos: « In principio creavit Deus cœlum et terram », quo loco, aiunt, cœlum et terra designant rerum universitatem seu cuncta quæ a Deo creata sunt (2).

Cum hac interpretatione consonant omnino quæ leguntur in sacris litteris: « Laudate eum omnes angeli ejus », hac ratione addita, quoniam omnia a Deo facta sunt: « Ipse mandavit et creata sunt » (3); alibi similiter: « Benedicite omnia opera Domini Domino, ... benedicite angeli Domini Domino » (4); scribit adhuc s. Paulus ad

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, II, p. 126 s.

(2) Sic etiam *Exod.*, XX, 11 et cfr *Catech. conc. trid.*, P. I. *De symbolo*, a. 1, n. 17 s., p. 21 in ed. Soc. s. Jo. evang., Tornaci, 1890, necnon ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. theol.*, n. 326, apud *Collat. Brugen.*, VIII, p. 465.

(3) *Psal.* CXLVIII, 2 a, 5 b.

(4) *Dan.*, III, 57 a, 58 a.

Colossenses: « Quoniam in ipso [Verbo] condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipso [gr. ipsum] creata sunt » (1).

Traditionis argumento de eadem veritate pariter constat, uti multis ss. Patrum textibus conficere liceret (2), quos singulos tamen recitare non vacat.

Revelatione deinde, id est, verbo Dei tum scripto, tum oretenus transmisso, prorsus indubium videtur, quod alibi demonstravimus (3), *nihil quod creatum est*, esse *ab æterno*, adeoque merito statuit Ecclesia, primum in concilio lateranensi quarto, postea rursus in concilio vaticano: « Firmiter credimus et simpliciter confitemur quod unus solus est verus Deus, æternus .... creator omnium, qui simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam » (4).

2/ Attamen, ubi quæritur *quandonam* fuerint angeli creati, neque ex Scriptura sacra, neque ex traditione orali certam responsionem eruere fas est.

Hoc problema, uti videtur, primo expressis verbis ponit Origenes: « Est etiam illud in ecclesiastica prædicatione esse angelos Dei...; sed quando isti creati sint ...

---

(1) *Coloss.*, I, 16.

(2) Cfr s. JUSTINUS, *Dial. cum Tryph.*, 128 (MPG, VI, 776); TATIANUS, *Adv. græc. oratio*, 7 (MPG, VI, 820); ATHENAGORAS, *Legatio pro christ.*, 10 (MPG, VI, 908); ORIGENES, *De princ.*, I. Præf. 10 (MPG, XI, 120); EUSEBIUS CÆSAR., *Demonstr. evang.*, IV, 1 (MPG, XXII, 257); s. Jo. CHRYSOST., *Sermo de resur. mort.*, 7 (MPG, L, 429); s. AMBROSIUS, *Hexam.*, I, 5, 19 (MPL, XIV, 131); s. AUGUSTINUS, *De Gen. ad litt.*, IV, 32, 49 (MPL, XXXIV, 316) et *De civ. Dei*, XXII, 1, 2 (MPL, XLI, 751); s. Jo. DAMASC., *De fide orthodoxa*, II, 3 (MPG, XCIV, 865).

(3) *Collat. Brugen.*, XX, 394 s.

(4) *Conc. later.*, IV (a. 1215), œcum. XII, cap. 1 (*Enchir.*, n. 428) et *Conc. vatic.*, œcum. XX, sess. III (24 apr. 1870), in *Const. dogm. de fide cath.*, cap. 1 (*Enchir.*, n. 1783).

non satis in manifesto distinguitur » (1). Opinatur ipse angelos fuisse ante mundum creatos, atque hæc ejus opinio connexa est cum erronea doctrina, quam de lapsu entium spiritualium tenet (2).

Eidem sententiæ, omisso tamen errore connexo, adstipulantur haud pauci ss. Patres, uti s. Gregorius nazianzenus, s. Ambrosius, s. Joannes chrysostomus ac s. Hieronymus (3).

Contrà, secundum s. Epiphanium: « Illud evidenter sermo Dei declarat, neque post astra productos esse angelos (4), neque ante cœlum et terram constitutos. Est enim immutabilis et certa illa sententia: ante cœlum et terram, nihil omnino conditarum rerum exstitisse, quoniam in principio creavit Deus cœlum et terram, ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit » (5).

Inter duas hasce sententias anceps hæret s. Augustinus, sed tandem magis propendit in theoriam creationis simultaneæ: « In principio creavit Deus cœlum et terram, quibus nominibus est significata universalis creatura, spiritualis et corporalis, quod est credibilius » (6).

Ita etiam Gennadius (7), dum Ps.-Dionysius areopagita rursus propugnat sententiam de creatione angelorum ante creationem mundi (8), et s. Gregorius magnus potius creationem simultaneam admittit (9).

Hisce notatis satis patet argumento traditionis de hac

---

(1) ORIGENES, *De princ.*, I. Præf., 10 (MPG, XI, 120).

(2) *Ibidem*, III, 5, 3 (MPG, XI, 327) et vide responsionem mensis præcedentis supra, p. 202.

(3) S. GREGORIUS NAZIANZ., *Oratio* XXXVIII, 9 (MPG, XXXVI, 320); S. AMBROSIUS, *l. c.*; S. JO. CHRYSOST., *In Gen. hom.* II, 2 et VIII, 2 (MPG, LIII, 29 et 71); S. HIERONYMUS, *In Tit. comm.*, I (MPL, XXVI, 560).

(4) Cfr *Job*, XXXVIII, 7.

(5) S. EPIPHANIUS, *Adv. hær. panar.*, LXV, 5 (MPG, XLII, 20).

(6) S. AUGUSTINUS, *De civ. Dei*, XI, 33 (MPL, XLI, 347) et cfr *ibidem*, XI, 9 (MPL, XLI, 325); *De Gen. ad litt.*, IV, 32, 49 (MPL, XXXIV, 316); *De Gen. ad litt. lib. imperf.*, VII, 8 (MPL, XXXIV, 222).

(7) GENNADIUS, *Lib. eccl. dogm.*, 10 (MPL, LVIII, 983).

(8) PS.-DIONYSIUS, *De div. nomin.*, X, 3 (MPG, III, 940).

(9) S. GREG. MAGNUS, *Moralia*, XXXII, 16 (MPL, LXXVI, 645).

quæstione non constare; argumento scripturistico pariter non dirimitur peremptorie controversia, quamquam in favorem sententiæ de creatione simultanea ex versiculo primo Geneseos argui potest.

Revera nihil in hac materia definivit Ecclesia, atque ad textum concilii lateranensis et vaticani, quem supra retulimus, adverti debet vocabulum « simul » obiter fuisse adjectum, ita ut pro « pariter » aut « æqualiter » accipi possit (1). Etiam s. Thomas, scribens paucis annis post concilium lateranense, expresse notat sententiam s. Gregorii nazianzeni non fuisse ab Ecclesia proscriptam, quamvis ipse tanquam probabilius habeat, quod communius etiam admittitur, angelos fuisse cum mundo creatos, quoniam, ait: « Angeli non constituunt per se unum universum, sed tam ipsi quam creatura corporea in constitutionem unius universi conveniunt.... Non est igitur probabile, quod Deus cujus perfecta sunt opera, ut dicitur (2), creaturam angelicam seorsum ante alias creaturas creaverit » (3). H. Lamiroy.

III-IV.

De impedimento criminis.

Q. *Describe impedimentum criminis 1° ex adulterio cum attentatione matrimonii, 2° ex adulterio cum conjugicidio.*

R. Quoad I^m^.

a/ Quod attinet adulterium.

Postulatur ut adulterium, objective spectatum, sit *reapse* commissum et consummatum, quodque, subjective spectatum, sit *formale* ex utraque parte et ita quidem ut alterutrius vinculum matrimoniale sit *utrique* notum. Has conditiones supra explicavimus (4).

---

(1) Cfr *Acta et decreta conc. vatic.*, in append. apud *Collect. lacens.*, VII, 1625.

(2) Cfr *Deuter.*, XXXII, 4.

(3) S. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 61, a. 3, c.

(4) Vide p, 145-147.

b/ Quod spectat matrimonii *attentationem*.

1/ Requiritur *vera* attentatio, qua vir et mulier, *obstante alterutrius vinculo matrimoniali*, invalide quidem sed vere et serio *nuptias* inire intendunt, sibi mutuo et absolute (1) consensum conjugalem præstantes verbis *de præsenti* vel quovis signo talem consensum exprimente.

α/ Non postulatur ut matrimonium celebretur in forma Ecclesiæ, coram parocho et testibus; sufficit ut attentetur actu omnino privato vel ut celebretur coram ministello acatholico aut coram solo magistratu civili, quod in can. 1075, 1° expresse dicitur: « qui perdurante eodem legitimo matrimonio adulterium inter se consummarunt et... ipsum matrimonium, *etiam per civilem tantum actum*, attentarunt ». Hoc itaque impedimentum frequens est inter personas civiliter junctas postquam alterutra, vero matrimonio ligata, divortium civile obtinuerat.

β/ Non obstat matrimonium attentatum ex alio quoque capite invalidum esse, puta ex impedimento consanguinitatis.

γ/ Merus concubinatus, absque ullo consensu matrimoniali institutus, sufficere nequit (2). Oportet enim, ad impedimentum contrahendum, ut concubinarii intendant *esse* conjuges et hac de causa mutuo sibi præstent consensum nuptialem de præsenti, *contractum* ineant *matrimonialem* (utique invalidum). Jamvero concubinatus de se non includit hujusmodi contractum (3), ne tacitum quidem.

2/ Attentatio fiat oportet cum *scientia* vinculi existentis (secus enim non est criminosa), et quidem cum scientia *utriusque* partis; imo requiritur ut alterutrius saltem vinculum *utrique* notum sit.

---

(1) Vel æquivalenter absolute, verificata scil. conditione apposita.

(2) Juxta *S. C. de Prop. Fide*, 14 jan. 1844, apud GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio*, I, n. 649. Parisiis, 1892.

(3) Similiter, concubinatus de se non includit *promissionem* matrimonii contrahendi.

Non sufficit itaque ut cognoscat uterque *sui* vinculi existentiam, nesciens statum matrimonialem alterius contrahentis.

De requisita vinculi scientia diximus supra (1). Hæc addere juvat: si forte contingat partem quamdam, matrimonium attentantem, ligaminis existentiam ignorare, eamque cognito postea vinculo (nondum dissoluto) nihilominus perseverare in sua illegitima conjunctione, sua agendi ratione exprimit consensum matrimonialem perseverare, non obstante scientia acquisita. Verificatur itaque in casu attentatio matrimonii criminosa.

c/ Quod spectat connexionem inter utrumque elementum.

Oportet ut adulterium et attentatio fiant perdurante *eodem* valido et *utrique* cognito matrimonio, utque inter attentationem et adulterium (forte subsequens tantum) non intercesserit *retractatio* præstiti consensus conjugalis (2).

Quoad II^{m}.

Tenore can. 1075, 2° « valide contrahere nequeunt matrimonium qui perdurante .. eodem legitimo matrimonio, *adulterium inter se consummarunt eorumque alter conjugicidium patravit* ».

Explicatur :

a/ Quod spectat *adulterium*, conditiones supra memoratæ verificentur oportet.

Adverte tamen non esse indifferens cujusnam adulteri matrimonium utrique notum sit, quia hujus præcise conjugii, *quod morte conjugis occisæ solvetur*, scientia requiritur. Quare, uti notat Cappello (3), si Titius conjugatus rem habet cum Bertha, cujus maritum in lectulo

---

(1) Vide, p. 146.

(2) Vide supra, p. 148-149.

(3) Cappello, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, III vol. *De matrimonio*, n. 488. Taurinorum Augustæ, 1923.

decumbentem brevi moriturum prævidet, *fingens se* non conjugatum sed *solutum esse;* et dein, adulterio patrato, uxorem suam interficit, ut nuptias inire possit cum Bertha statim post obitum ejus mariti, impedimentum non existit.

b/ Quod attinet alterum elementum, np. *conjugicidium.*

1/ Agitur de occisione *veri* conjugis *alterutrius* adulteri, cujus igitur matrimonium supponitur validum esse, licet forsan nondum sit consummatum. Hæc conditio verificatur quando unus ex adulteris occidit conjugem *suum*, aut, quod est sedulo notandum, conjugem *complicis* sui in adulterio.

Mutua adulterorum machinatio non postulatur.

2/ Oportet ut conjugicidium sit *perfectum*, ex parte causæ et effectus (1).

α/ Requiritur ut mors conjugis adultero *qua causæ* adscribi debeat.

Quare, non sufficit ut adulter occisionem peractam ratihabeat, neque ut occidat præter intentionem, neque ut ponat actum de se insufficientem ad mortem causandam, quamvis mors sequi contingat ex imperitia medici vel negligentia ipsius conjugis qui v. g. vulnus leve non satis curaverit.

Ex alia parte, non postulatur ut adulter per seipsum mortem causet, sufficit enim ut per alium id efficiat quem jussione, consilio aut suasione, utique *efficaci*, ad patrandum homicidium moverit (2). Parum proinde refert utrum causalitas sit *physica* vel *moralis.*

β/ Postulatur ut mors ex machinatione *reipsa* sequatur, unde non sufficit conjugicidium mere attentatum.

3/ Inspecto fine legis, occisio patranda est *intuitu matrimonii* contrahendi cum *complice* adulterii.

Hac de causa, non exsurgit impedimentum inter adul-

---

(1) Cfr Desmet, *Tractatus de matrimonio*, II, n. 664. Brugis, 1920.

(2) Si mandatum vel consilium efficaciter et tempestive retractatum est, non incurritur impedimentum.

terii complices si unus ex ipsis conjugicidium machinet ex sola vindicta, vel ut liberius cum adultera vivat, aut ut personam ducat ab adultera diversam.

Quamvis ex fontibus juris requiri non videatur ut intentio nubendi alteri adultero manifestetur, pluribus tamen et gravibus auctoribus hanc manifestationem requirentibus, stante controversia, impedimentum ob dubium juris non urget (can. 15), quoties prædicta intentio complicem latuit (1).

c/ Quod spectat *connexionem* inter utrumque elementum.

Oportet ut *idem* vinculum matrimoniale violetur adulterio et solvatur morte conjugis occisæ.

Adulterium fere semper præcedit conjugicidium, aliquando tamen committitur (utique ante mortem conjugis) posita jam causa mortis physica (puta, veneni propinatione) vel morali (v. g. efficaci suasione). Jam autem non refert, uti videtur, utrum adulterium committatur ante vel post machinationem mortis. Aliqui tamen, quorum sententiam Cappello (2) probabilem habet, censent non incurri impedimentum si posita jam causa *physica* mortis, adulterium tunc primum consummatur.

V. Coucke.

V.

De indulgentiis acquirendis.

Q. *Paucis explica conditiones ut subjectum capax indulgentias* REVERA *lucretur* (3).

R. — Responsum ad hanc quæstionem continetur canone 925, § 2: « Ut ... subjectum capax [indulgentias] revera lucretur, debet habere intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera injuncta implere statuto

(1) Cfr Cappello, *l. c.*, n. 490.
(2) *Ibidem*, n. 492.
(3) Cfr *Collat. Brugen.*, hoc tomo p. 60 ss., 148 ss.

tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem ». Breviter ergo dicemus 1° de intentione requisita, 2° de modo implendi opera: de tempore enim supra jam sufficienter actum est (1).

1° *Intentio generalis* lucrandi indulgentias.

Vera igitur *intentio* quædam requiritur: indulgentia enim est favor spiritualis quem Ecclesia nonnisi volentibus offerre solet (2).

Non tamen exigitur *specialis* et expressa intentio lucrandæ indulgentiæ in singulis operibus quibus adnexa est, *sed* sufficit intentio *generalis* lucrandi omnes indulgentias piis operibus forsan adnexis: unde ne scire quidem oportet utrum et quales indulgentiæ his operibus sint affixæ.

Ut autem melius intelligatur quid sit hæc intentio generalis paucis recolenda est ac præsenti materiæ applicanda notio et divisio intentionis (3).

Intentio indulgentiæ lucrandæ nimirum est tendentia voluntatis in indulgentiam per apta media comparandam, aliis verbis: desiderium efficax indulgentiæ acquirendæ.

Hæc autem intentio dicitur *actualis* quando finis, indulgentia scilicet lucranda, distincta notitia menti obversans actu movet voluntatem ad ipsam volendam aut ad opera requisita adimplenda. *Virtualis* autem intentio dicitur quando finis, indulgentia nimirum acquirenda, quamvis jam non distincte et conscie menti obversetur, pergit tamen influere in actum ponendi opera præscripta, quatenus inconscie mentem occupare ac voluntatem movere perseverat. *Habitualis* tandem dicitur intentio quæ nec actu conscio nec virtute influit in impletionem

---

(1) Cfr supra p. 153 sq. et 156.

(2) Posset quidem summus Pontifex applicare alicui indulgentias independenter a quacumque intentione illius, seu posset e thesauro Ecclesiæ solvere pro aliquo inscio et non intendente satisfactiones Deo debitas. Sed de hac mente concedentis constare deberet. Cfr M. Lecler apud *Collat. Namurcenses*, t. XVIII, p. 45.

(3) Cfr V. Frins, *De actibus humanis*, t. I, p. 353 ss., 57 ss.

operum præscriptorum, sed quæ olim habita deinceps non fuit retractata: unde opera non ponuntur ex intentione antea habita lucrandi indulgentias, sed ex alio quodam fine intento, v. g. pietatis vel charitatis. Tandem sermo etiam fit de intentione *interpretativa*, quæ nimirum intentio nec unquam adfuit, nec actu adest, sed quæ sponte in voluntate exsurgeret si mens de objecto ejus cogitaret.

Unde concludes ad intentionem generalem requisitam in canone citato nec satis esse intentionem mere interpretativam, utpote quæ vera intentio non est, nec requiri intentionem actualem aut virtualem, quum hæc implicet aliquam cogitationem et aliquam voluntatem inconscie saltem perseverantem de indulgentia lucranda, quæ in intentione generali non continetur, sed sufficere intentionem habitualem lucrandi omnes indulgentias lucrabiles, quousque hæc intentio retractata non fuerit (1).

Optima tamen et valde commendanda est praxis ut frequenter, imo singulis diebus mane, renovetur hæc intentio: ita scilicet augetur æstimatio indulgentiarum, juvatur attentio ac fervor in piis operibus præstandis ac prudenter multiplicandis.

Et hæc quidem intentio generalis sufficit in ordine ad *lucrandas* indulgentias. Ut autem indulgentiæ tum pro vivis tum pro defunctis concessæ de facto *defunctis applicentur*, requiritur ulterior quædam intentio saltem habitualis, sive restricta ad aliquas determinatas indulgentias sive universalis sese extendens ad omnes indulgentias defunctis applicabiles, cum determinatione animarum quibus favere quis cupiat, aut cum applicatione

---

(1) Imo juxta plures Aa. sufficit intentio habitualis *implicita* qualis v. g. jam continetur in ipsa professione vitæ christianæ. Ad quam sententiam notat VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome juris canonici*[2], t. II, p. 123; n. 214: « Generalis norma qua putant ab Ecclesia suppleri defectus quando agitur de opinionibus probabilibus et practicis nos reddit magis securos ».

generali omnibus defunctis in purgatorio degentibus (1).

2° *De modo implendi opera præscripta* (2).

Juxta communiorem sententiam opera præscripta considerari debent non tamquam causa remissionis pœnarum temporalium sed tamquam *conditio sine qua non* ita ut immediata et tota causa remissionis sit voluntas superioris ecclesiastici dispensantis satisfactiones Christi et Sanctorum (3).

Ea igitur opera impleri debent integre quæ et qualiter a concedente præscripta sunt. Quodsi unum alterumve ex operibus præscriptis sive totum sive secundum *notabilem* partem omittitur, sive ex ignorantia, sive ex negligentia, sive ex impotentia, aut si aliqua ex conditionibus temporis, loci etc. præscriptis ob quamcumque rationem non observatur, nisi forte legitima commutatio intercesserit, indulgentia nequaquam acquiritur (4). Inde concludes omissionem duorum vel trium Ave Maria in rosario recitando non sufficere ad deperditionem indulgentiarum: contrà vero sufficere omissionem unius strophæ alicujus hymni liturgici v. g. Veni Creator. Item indulgentiam non acquireret qui stando aut sedendo recitaret orationem quæ et quatenus genibus flexis dicenda præscribitur, aut qui notabiliter et moraliter interrumperet aliquod exercitium, v. g. viæ crucis, quod uno tractu faciendum indicitur (5).

Mutilati lucrari possunt indulgentias pro quibus lucrandis recitatio precum una cum aliquo corporis actu injun-

---

(1) Pie solent devoti quidam erga Mariam ipsi Beatæ Virgini committere dispensationem in favorem defunctorum, omnium suarum indulgentiarum.

(2) Cfr quæ supra jam diximus de conditionibus requisitis ex parte operum in genere, ea scilicet debere esse libera seu supererogatoria, moraliter bona et supernaturalia, personaliter ab ipso lucrante præstita. *Collat. Brugen.*, hoc tomo, p. 149 ss.

(3) Cfr Lehmkuhl, *Theologia moralis* [11], t. II, p. 388, n. 670, 6.

(4) Cfr *Raccolta*, 1898, p. VIII.

(5) Cfr *Decret. authent.*, n. 223 ad 4[m].

gitur (v. g. signo crucis, vel genuflexione) quem peragere impares sunt, fusis dumtaxat precibus (1).

Duo in fine adnotare juvat. 1° Quamvis per se nihil impediat quominus Summus Pontifex ita indulgentias concederet ut unus pro altero vivente eas lucrari posset, de facto tamen in novo jure cautum est ut nemo indulgentias acquirens eas aliis in vita degentibus applicare possit (2).

2° « Indulgentia plenaria nisi aliud expresse cautum sit, acquiri potest semel tantum in die, etsi idem opus præscriptum pluries ponatur. — Partialis indulgentia, nisi contrarium expresse notetur, sæpius per diem, eodem opere repetito, potest lucrifieri » (can. 928).

A. Legrand.

VI.

De sepultura ecclesiastica.

Q. *Interpretando textum canonis 1240, § 1, indica quinam baptizati in specie privandi sint sepultura ecclesiastica ?*

R. Supra (3) exposuimus quid complectatur sepulturæ ecclesiasticæ denegatio, quænam sint hujus denegationis rationes, et quænam regulæ generales in omni sepulturæ denegatione præ oculis habendæ, ita ut jam valeamus pressius determinare, inspecto legis textu, quinam baptizati delinquentes in specie hac ecclesiastica sepultura sint privandi. Enumerantur canone 1240.

1. « *Notorii apostatæ a christiana fide, aut sectæ hæreticæ*

---

(1) S. Pœnitentiaria, 22 octobris 1917. Cfr *Acta Apost. Sedis*, t. IX, p. 593, *Collat. Brugen.*, 1920, t. XX, p. 151.

(2) Canon 930. Notatu dignum est aliquod privilegium a s. Sede concessum sacerdotibus qui pertinent ad sodalitatem *a transitu s. Joseph* nuncupatam, nimirum « personale indultum altaris privilegiati pro agonizantibus », quæ indulgentia est intelligenda tamquam *pro vivis per modum absolutionis*, et adhuc perseverat post canonem 930 novi codicis. Cfr Breve Pii XI, 29 junii 1923 et rescriptum s. Officii 9 novembris 1922 apud *Monitore ecclesiastico*, 1923, p. 257 ss.

(3) Cfr p. 159.

vel schismaticæ aut sectæ massonicæ aliisve ejusdem generis societatibus notorie addicti ».

Delinquentes *notorii* dicuntur vel notorietate juris vel notorietate facti. Notorii *notorietate juris* sunt, qui per sententiam judicis competentis condemnati sunt vel coram tribunali suum delictum sunt confessi; *notorietate facti*, quorum delictum publice notum est et in talibus adjunctis commissum ut nulla tergiversatione celari nulloque juris suffragio excusari possit (1).

Apostatæ a christiana fide sunt baptizati qui totaliter a fide christiana recesserunt (2), sive transierint ad aliam religionem, uti judaismum, paganismum, etc., sive a fide penitus defecerint, uti deistæ, pantheistæ, materialistæ, liberi cogitatores. Ipsorum tamen delictum, ut patet ex textu canonis, notorium sit oportet.

Sectæ hæreticæ vel schismaticæ addicti. Hæretici sunt qui post receptum baptismum, nomen retinentes christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegant aut de ea dubitant. Schismatici sunt qui summo Pontifici subesse renuunt aut cum membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant (3). Et iterum quidem, ex eodem canonis textu, apparet notorium esse debere eos adscriptos esse sectæ vel schismaticæ, vel hæreticæ, ut puta lutheranæ, calvinistæ, methodistæ, anabaptistæ, etc., quibus merito annumeratur secta spiritarum (4). Unde jam non solum delictum hæresis aut schismatis ut sic, punitur privatione sepulturæ ecclesiasticæ sed sola *notoria adscriptio alicui sectæ.* Nihilominus, hæretici vel schismatici, etiam nulli sectæ notorie adscripti, suppositis supponendis, aliunde hac pœna

---

(1) Can. 2197, 2° et 3°.

(2) Can. 1325, § 2. — In antiquo jure dicebatur: « Negatur igitur ecclesiastica sepultura paganis, Judæis et omnibus infidelibus; hæreticis, et eorum fautoribus; apostatis a christiana fide, schismaticis ». *Rit. Rom.*, tit. 6, c. 2.

(3) Can. 1325, § 2.

(4) Ita Claeys-Bouuaert = Simenon, *Manuale juris canonici*, p. 485.

ecclesiastica plecti possent, utputa qua publici peccatores aut apostatæ.

Sectæ massonicæ aliisve ejusdem generis societatibus notorie addicti. Quid sint sectæ massonicæ omnes norunt; societates vero « ejusdem generis » probabiliter solæ illæ sunt quæ contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, et quarum membra aut duces quodammodo secreto tenentur (1). Parum refert utrum ipsi conatus ad evertendam Ecclesiam vel legitimas civiles potestates publice an secreto fiant, dummodo membra secreto quodam adstringantur; item parum refert utrum dictum secretum jurejurando necne firmetur. Tales sunt societates anarchistarum, nihilistarum, etc. (2).

2. « *Excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam* ». Dum jus anterius sepulturam ecclesiasticam denegabat omnibus « excommunicatis

---

(1) Ita tenent inter commentatores novi juris: VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*, t II, n. 549 et t. III, n. 535; CLAEYS-BOUUAERT = SIMENON, *o. c.*, p. 485. Auctores qui sub antiquo jure huic opinioni favebant vide apud DE MEESTER, *Compendium juris canonici*, t. III, p. 133.

(2) Acris exstat controversia circa determinandas notas requisitas ut societas dicenda sit « ejusdem generis » ac societas massonica. *Alii* enim contendunt requiri et sufficere ut vel contra Ecclesiam et legitimam potestatem civilem, vel contra alterutram machinentur; *alii* autem — et hanc sententiam in textu nostro admisimus, utpote quæ constitutionibus pontificiis circa hanc materiam prolatis magis conformis videtur — tenent duabus notis has societates dignosci : secreto nempe quo sive duces sive membra quodammodo tenentur, et insectatione legitimæ potestatis ecclesiasticæ vel civilis.

Hæc controversia practicum momentum habere potest ad determinandum utrum necne societates *socialistarum*, in hac re sepulturæ ecclesiasticæ denegandæ, societatibus massonicis sint æquiparandæ. Plures graves auctores affirmant, modo quæstio fiat de *veris* socialistis, qui revera contra Ecclesiam juxta conditiones a jure requisitas moliri videntur. At *in praxi*, omnes monent attendendum num adhærentes his societatibus mala fide agant, num præter materialem plebeiorum conditionem perficiendam, ea moliantur etiam quæ ad Ecclesiæ et status eversionem tendunt. — Hac tamen in controversia merito advertit VERMEERSCH-CREUSEN, *o. c.*, t. III, n. 535 : « Socialistæ plerique potestatem ecclesiasticam, non tamen semper directe, impugnant; sed multi potestatem civilem solis mediis politicis acquirere conantur, potius quam evertere nituntur; neque, qua tales, secretam societatum temperantiam habent ».

excommunicatione majori, interdicto nominatim et iis qui sunt in loco interdicto, eo durante », jus novum finem imponens controversiæ utrum soli excommunicati vitandi an etiam tolerati privandi essent hac sepultura, pœnam restringit ad solos excommunicatos vel interdictos post sententiam judicis, qua sunt condemnati ut tales, vel qua declarati sunt ut his censuris inodati, prout sunt notorii notorietate juris. Hæc porro rarissime, ne dicamus fere numquam, apud nos locum habent. At merito iterum advertatur etiam excommunicatos, positis ponendis, qua publicos peccatores posse a sepultura excludi (1).

3. « *Qui se ipsi occiderint deliberato consilio* ». Applicando principia generalia supra exposita (2), ut quis hac de causa a sepultura ecclesiastica excludatur, oportet adsit suicidium *a/ proprie dictum* ita ut mors ex ipsa actione sui occisiva, non vero ex alia quadam causa sequatur, *b/ certum* certitudine juris et facti (3), *c/ graviter malum*, quidquid proinde eousque tollit voluntarium vel deliberationem rationis ut actio jam non sit graviter mala, tollit etiam pœnam, *d/ directe voluntarium*, ita ut actio occisiva ponatur cum intentione sese occidendi, *e/ facto publicum*, et hinc si suicidium non nisi solis membris familiæ cognitum est, curandum erit ne amplius evulgetur, quo sepultura ecclesiastica concredi valeat.

---

(1) Cfr M. Lecler, *Coll. Nam.*, 1924, p. 271. — Sequelæ interdicti localis exponuntur in can. 2270 et sqq.

(2) Cfr supra, p. 159.

(3) Cfr *Coll. Brugen.*, t. XVI, p. 350. — Si quis ergo in flumine, in mari aut in puteo submersus, si laqueo in agris aut silva suspensus, si veneno aut ferro interfectus quis reperiatur, non erit privandus sepultura ecclesiastica, nisi evidentibus signis suicidium aliunde probetur. Nam ex declaratione S. Officii, quando omnibus consideratis, « dubium superest, utrum mortem aliquis sibi dederit per desperationem, an per insaniam, dari potest eccl. sepult. vitatis tamen pompis et solemnitatibus exsequiarum ». — Pro nostra tamen diœcesi exstat sequens decretum : « Ad incutiendum suicidii horrorem, quantumvis constare videatur de indeliberatione admissi criminis, sepult. eccl. suspendatur, donec Episcopus intervenerit ». *Decr.* 4, Congr. Prosyn. a. 1888. Cfr *Collect. epist. past.*, t. XV, p. 19.

4. « *Mortui in duello aut ex vulnere inde relato* ». Requiritur duellum proprie dictum, seu pugna inter duos vel plures in pari numero, auctoritate privata inita ex condicto circa tempus locum et arma, cum periculo occisionis, mutilationis vel vulneris. Sufficit ad pœnam incurrendam moriantur post ipsam pugnam sed ex vulnere inde relato, nisi ante mortem aliqua signa pœnitentiæ dederint (1).

5. « *Qui mandaverint corpus suum cremationi tradi* ». Hujus delicti interpretationem supra (2) dedimus agendo de corporum crematione.

6. « *Alii peccatores publici et manifesti* ». *Publicum* hic opponitur occulto, minus tamen dicit quam notorium sive jure sive facto. In sensu suo specifico publicum dicitur: « delictum quod jam divulgatum est aut talibus contigit aut versatur in adjunctis ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri » (3). *Manifestum* exigit ut plures certi sint testes, qui per scientiam certam et sensum corporeum rem cognoverint et desuper testimonium dare possint (4). Proinde semper oportet adsit delictum vel notorium vel saltem publicum pluribus testibus certe notum.

Si vero quæratur quodnam hic delictum a jure canonico intelligatur, videtur omnino dicendum « *delictum grave admodum ratione impietatis vel scandali socialis* » requiri (5). Et revera in hac re denegandæ sepulturæ ecclesiasticæ, disciplina novi juris antiquæ comparata, in multis mitigata apparet, et ad delicta graviora et publica restricta ; et præterea hi « *alii* publici et manifesti peccatores » in ipso canone nostro in eadem linea ponuntur cum aliis delinquentibus quorum omnia delicta admodum gravia esse supponuntur.

---

(1) In antiquo jure excludebantur « morientes in duello, etiamsi ante obitum dederint signa pœnitentiæ ». Cfr *Rit. Rom.*, tit. 6, c. 2.

(2) Cfr p. 65.

(3) Can. 2197, 10.

(4) Cfr Wernz, *Jus decretalium*, t. VI, n. 17.

(5) Cfr *Coll. Nam.*, l. c.

Porro tales communiter citantur: qui in notorio *habitu* concubinatus, adulterii, matrimonii civilis, meretricii, absque signo pœnitentiæ moriuntur; qui ut foliorum impiorum aut obscœnorum scriptores noti ita decedunt; vel qui in *actu* ejusmodi delicti decedunt aut occiduntur, puta in adulterio, in fornicatione, in latrocinio, aut qui palam et coram testibus ultima sacramenta recusarunt, non vero si id occulte vel aliqua spe vitæ protrahendæ delusi fecerunt. Nec illis annumerandi sunt qui in ebrietate moriuntur, quia dubitari potest num hæc fuerit plene voluntaria seu graviter peccaminosa (1).

Quæstio specialis hic poni potest num his publicis et manifestis peccatoribus annumerandi sint et consequenter num sepultura ecclesiastica deneganda sit illis qui, præcepta confessionis annuæ et communionis paschalis non implentes, absque signo pœnitentiæ moriuntur. Revera in antiquo jure specialiter agebatur de « iis de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt sacramenta confessionis et communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt » (2).

Opinamur nudum factum non impletionis dictorum præceptorum per aliquot annos non constitui aliquem ut peccatorem publicum et manifestum qualis a lege requiritur (3), sed requiri ut quis publice et manifeste a

---

(1) Cfr A. De Meester, *o. c.*, t. III, p. 135; Genicot-Salsmans, *Institutiones theologiæ moralis*, t. II, n. 628; *Coll. Nam.*, l. c.

(2) Cfr *Rit. Rom.*, tit. 6, c. 2.

(3) Ita tenet M. Lecler, *Coll. Nam.*, *l. c.*; Claeys-Bouuaert = Simenon, *o. c.*, 815: « Non ut peccator publicus et manifestus habendus est ille qui semel aut iterum sacramenta confessionis et communionis in Paschate non suscepit. Hic casus enim in novo jure non jam recipitur et per se non est sufficiens ad denegandam sepulturam ecclesiasticam »; *L'ami du clergé*, a. 1921, p. 110 et 715, et a. 1923, p. 309: « Attento quod negatio sepulturæ ecclesiasticæ sit pœna vindicativa ordinis publici læsi, addit: D'où il faut conclure qu'à cette pénalité sociale doit correspondre un crime de gravité sociale correspondante, et donc tous ceux qui commettent des fautes publiques ne sont pas, en droit, des pécheurs publics auxquels on doive refuser la sépulture ecclésiastique ». — His consonare videtur Bargilliat, *Prælectiones*

dictis præceptis implendis abstinuerit ex contemptu vel ex impietate, et absque signo pœnitentiæ defunctus sit. Hujusmodi delictum vario ex capite dignosci potest, puta ex sermonibus publicis religioni infensis, vel ex articulis in diariis conscriptis, vel ex participatione societatibus religioni infensis, vel ex prohibitione, cum impietate facta, ne pueri religionem in scholis addiscant vel ne sacramenta recipiant aut divina officia frequentent. Ubi autem de hoc contemptu vel impietate delinquentis non constat, opinamur sepulturam ecclesiasticam esse concedendam, modo, uti patet, scandalum amoveatur si adsit. Scandalum autem vitari seu potius præveniri optime potest « abstinendo, in urgenda præcepti paschalis obligatione, a proclamanda pœna quæ non habetur in lege ecclesiastica, et docendo pœnam denegationis sepulturæ ecclesiasticæ non esse nisi gravissimis delictis impietatis et scandali socialis infligendam » (1).

J. Brys.

---

juris canonici, t. II, n. 1079; Vermeersch-Creusen, *o. c.*, t. II, n. 549, 6°. « qui *per longum tempus* communionem paschalem *contempserunt* »; Genicot-Salsmans, *o. c.*, t. II, n. 624, 4°.

Hujus opinionis plures rationes afferri possunt: *a*/ can. 6, 5° ut abrogatas declarat omnes pœnas antea existentes, quarum in Codice nulla fit mentio, nulla exceptione statuta pro pœnis olim in libris liturgicis statutis; *b*/ ob nudum factum non impletionis horum præceptorum non videtur quis annumerandus inter peccatores publicos et manifestos sensu canonico, quia hoc factum non necessario involvit characterem contemptus, impietatis, scandali socialis et recessus a religione; *c*/ ob hanc absentiam contemptus, etc. difficile constare potest de impœnitentia finali; *d*/ ad hanc mitiorem disciplinam admittendam impellimur per ipsam novam legislationem quæ in hac materia in partes benigniores declinavit; *e*/ hæc conclusio optime intelligitur ex eo quod lex de præcepto paschali implendo in ecclesia paræciali jam non urgetur a Codice, ita ut deinceps difficilius constare poterit de hac publica non impletione.

Contrarium tenet Blat, *Commentarium textus juris canonici*, t. III, p. 120. At immerito nititur textu Rit. Rom. utpote qui vi textus can. 2 vi destituitur. — Quin rem dirimat in sensum potius severiorem loqui videtur Matthæus a Coronata, *o. c.*, p. 267.

(1) Cfr M. Lecler, l. c.

Acta SS. Congregationum.

E Supr. S. Congr. S. Officii.

I.

PROPOSITIONES DAMNATÆ (1).

Romæ, 1 decembris 1924

Illustrissime ac Reverendissime Domine

In generali consessu habito feria IV, die 19 nuper elapsi mensis in Suprema Congregatione S. O. propositæ et ad trutinam revocatæ sequentes propositiones ab Amplitudine Tua denunciatæ :

« I. Conceptus seu ideæ abstractæ per se nullo modo possunt constituere imaginem realitatis rectam atque fidelem, etsi partialem tantum.

« II. Neque ratiocinia ex eis confecta per se nos ducere possunt in veram cognitionem eiusdem realitatis.

« III. Nulla propositio abstracta potest haberi ut immutabiliter vera.

« IV. In assecutione veritatis, actus intellectus, in se sumptus, omni virtute specialiter apprehensiva destituitur, neque est instrumentum proprium et unicum huius assecutionis, sed valet tantummodo in complexu totius

(1) Hæc desumimus e *Documentation catholique*, 28 mars 1925, unde simul hanc notam exscribimus : « Condamnation de propositions contraires à l'intellectualisme scolastique. — Sous ce titre : *Propositions condamnées*, la *Semaine religieuse de Quimper* (27-2-25) publie le communiqué suivant : Sur une demande qui lui avait été adressée par un écrivain étranger au diocèse, Mgr l'Evêque avait présenté à l'examen du Saint-Office certaines propositions concernant la philosophie, l'apologétique et la théologie, sans toutefois désigner à la censure les ouvrages, où elles pourraient être contenues, le but étant d'atteindre les doctrines plutôt que les personnes. Sa Grandeur a reçu de Rome la réponse suivante ... » Additur dein hanc responsionem alibi non paruisse.

actionis humanæ, cuius pars et momentum est, cuique soli competit veritatem assequi et possidere.

« V. Quapropter veritas non invenitur in ullo actu particulari intellectus, in quo haberetur « conformitas cum obiecto », ut aiunt Scholastici, sed veritas est semper in fieri, consistitque in adæquatione progressiva intellectus et vitæ, scilicet in motu quodam perpetuo, quo intellectus evolvere et explicare nititur id quod parit experientia vel exigit actio: ea tamen lege ut in toto progressu nihil unquam ratum fixumque habeatur.

« VI. Argumenta logica, tum de existentia Dei, tum de credibilitate Religionis christianæ, per se sola, nullo pollent valore, ut aiunt obiectivo: scilicet per se nihil probant pro ordine reali.

« VII. Non possumus adipisci ullam veritatem proprii nominis quin admittamus existentiam Dei, immo et Revelationem.

« VIII. Valor quem habere possunt huiusmodi argumenta non provenit ex eorum evidentia seu vi dialectica, sed ex exigentiis « subiectivis » vitæ vel actionis, quæ ut recte evolvantur sibique cohæreant, his veritatibus indigent.

« IX. Apologesis illa quæ procedit « ab extrinseco », — scilicet ea quæ a cognitione naturali factorum historicorum, relatorum in Libris Sacris, præsertim in Evangelio, ascendit, mediante ratiocinio, ad stabiliendum eorundem factorum character supernaturale et divinum, unde tandem concludit Deum esse auctorem revelationis quam muniunt — est methodus infirma puerilisque, neque respondet legitimis exigentiis humanæ mentis qualis est hodie.

« X. Miraculum in se nude sumptum, — scilicet prout est factum sensibile quod soli potentiæ divinæ attribui potest præcisione facta tum ab eius significatione symbolica, tum ab exigentiis subiectivis hominis, — non præbet solidum argumentum Revelationis.

« XI. Praxis religiosa legitima non est fructus certitudinis quam homo habet de veritate, sed, contra, medium unicum obtinendi de hac veritate certitudinem.

« XII. Etiam post fidem conceptam, homo non debet quiescere in dogmatibus religionis, eisque fixe et immobiliter adhærere, sed semper anxius manere progrediendi ad ulteriorem veritatem, nempe evolvendo in novos sensus, immo et corrigendo id quod credit.

« Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales una mecum Inquisitores Generales, præhabito D. D. Consultorum voto, respondendum decreverunt:

« Propositiones delatas, prouti iacent, in globo esse « iam a Concilio Vaticano et a Sancta Sede proscriptas et « damnatas vel viam sternentes ad easdem propositiones « iam proscriptas et damnatas ».

« Hæc pro meo munere Amplitudini Tuæ significans, fausta cuncta atque felicia a Domino adprecor.

« R. Card. MERRY DEL VAL ».

II.

DISSOLUTIO VINCULI NATURALIS IN FAVOREM FIDEI (1).

Beatissime Pater,

Episcopus Helenensis, ad pedes S. V. humillime provolutus, exponit: Die 30 septembris 1919, apud G. G. M. acatholicus non baptizatus, matrimonium iniit cum F. E. G. acatholica baptizata in secta anglicana, coram præcone hæretico, sectæ anglicanæ, proindeque absque ulla dispensatione obtenta. Die 4 novembris 1920, G. G. M. divortium civile a F. E. G. obtinuit. Nunc desiderat G. G. M. catholicam fidem amplecti et matrimonium inire cum puella catholica. F. E. G. novas nuptias iam iniit. Quapropter supplicat S. V. ut dispensatio concedatur super vinculo naturali primi matrimonii.

Feria IV, die 5 novembris 1924.

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis, proposito suprascripto supplici libello, attentis expositis, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, Emi ac Revmi DD. Cardinales in rebus Fidei et morum Generales Inquisitores decreverunt: « Consulendum SSmo, pro gratia dissolutionis vinculi naturalis primi matrimonii contracti a G. G. M. cum F. E. G. in favorem fidei ».

---

(1) Hoc decretum, 5 nov. 1924, desumitur ex *Ecclesiastical Review*, febr. 1925, p. 188. — Vox *apud*, linea secunda, videtur mendum typographicum atque omittitur apud *Nederl. Kath. Stemmen*, 1925, p. 65, ubi hoc decretum etiam citatur; cfr et *Period. de re can. et mor.*, 1925, XIV, p. 19 s.

Insequenti vero feria V, eiusdem mensis et anni, SS. D. N. D. Pius, divina Providentia Papa XI, in audientia R. P. D. Assessori S. Offici impertita, habita de hac re relatione, resolutionem EE. Patrum adprobavit et petitam gratiam concedere dignatus est.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Aloisius Castellano
Supremæ S. C. S. Officii Notarius

Adnotationes. — Non agitur de privilegio Paulino, quo legitimum inter *non baptizatos* matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei (can. 1120, § 1). Certo non obtinet casus apostoli in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus (1120, §2); neque obtinet in matrimonio, absque hujusmodi dispensatione valide inito inter partem infidelem et partem quæ baptizata quidem fuit, sed extra Ecclesiam catholicam baptizata est et nunquam ad eam ex hæresi vel schismate conversa. S. Paulus agit enim in I *Cor.*, VII, 15 de matrimonio inter duos infideles contracto (1).

Advertunt auctores (2) Ecclesiam nonnunquam, in casibus in quibus deficiunt conditiones privilegii Paulini, pronuntiare invalida matrimonia in infidelitate rite inita, modo post utriusque partis baptismum non fuerint consummata. Quodsi ita est, non est major difficultas in explicanda Ecclesiæ praxi in præsenti casu quam in illis: eadem est firmitas vinculi. Si enim illa matrimonia non sunt sacramentum, adeoque non sunt rata (et consummata), neque sacramentum est matrimonium de quo agitur in decreto. Nam, uti advertit Card. Billot (3), si vi conversionis unius conjugum ad fidem christianam, matrimonium prius existens, nequidem ex parte baptizati fit sacramentum, signum est quod fidelis respectu infidelis vinculi sacramentalis capax non est; nam alias, charactere christianitatis superveniente, conjugium in baptizato rationem sacramenti ipso facto indueret. Unde intelligitur S. Congregationem vinculum in casu tanquam mere naturale atque dissolubile existimasse. V. Coucke.

---

(1) Cfr Desmet, *De Matrimonio*, I, n. 342. Brugis, 1923.
(2) *Ibidem*, n. 333.
(3) *De Ecclesiæ Sacramentis*, II, p. 358. Romæ, 1901,

E S. Congr. Rituum.

DUBIUM (1)

A Sacra Rituum Congregatione, pro opportuna declaratione, postulatum est: « Utrum in ecclesiis, etiam « Religiosorum, in quibus est obligatio chori, et una « tantum Missa conventualis celebratur, quoties simul « occurrant aliqua ex Feriis Missam propriam habentibus « vel Vigilia, atque Festum duplex maius vel minus aut « semiduplex, ipsa Missa debeat dici de Feria vel Vigilia, « an potius de festo occurrente? »

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, propositæ quæstioni respondendum censuit: « *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad « secundam; iuxta novas Missalis Romani rubricas, tit. I, « n. 4 ».

Atque ita rescripsit, declaravit ac decrevit, quacumque consuetudine non obstante. Die 28 februarii 1925.

† A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinæ,
S. R. C. Præfectus.

L. † S. Alexander Verde, *Secretarius.*

E S. Pœnit. apost.

I.

DE IUBILÆO PRO DEFUNCTIS LUCRANDO (2)

Sacræ Pœnitentiariæ Apostolicæ exhibitæ fuerunt preces quibus postulabatur ut fidelibus omnibus, tum Romæ incolis tum peregrinis, qui semel in Urbe Iubilæi veniam quovis legitimo modo lucrati sint, facultas fieret toties præterea Iubilæi in defunctorum suffragium acquirendi, quoties unam tantummodo quattuor Basilicarum visitationem peregerint; eademque gratia concederetur peregrinis ad proprium habitualis commorationis locum reversis, quotiescunque quattuor in die parœcialis ecclesiæ visitationes expleverint: servatis ceteris servandis.

Facta relatione de præmissis SSmo Dno Nostro Pio divina Providentia Papæ XI ab infrascripto Cardinali

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. XVII, p. 159.
(2) *Ibid.*, t. XVII, p. 266.

Pœnitentiario Maiore in audientia diei 20 martii 1925, Sanctitas Sua benigne gratiam concedere iuxta preces pro hoc anno tantum dignata est. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romæ, in Sacra Pœnitentiaria Apostolica, die 21 martii 1925.

Fr. Andreas Card. Frühwirth, *Pœnitentiarius Maior.*

L. † S. S. Fagiolo, *S. P. Secretarius.*

Adnotatio. — Hoc rescripto benigne annuit s. Pontifex precibus ipsi porrectis per comitium quoddam dominarum romanarum institutum occasione centenarii inde a nativitate fundatricis societatis auxiliatricum purgatorii. Postquam igitur aliquis semel *Romæ* indulgentiam jubilæi obtinuit, impletis conditionibus sive ordinariis, sive per dispensationem aut commutationem sibi impositis, deinceps poterit per totum annum sanctum toties jubilæum lucrari in suffragium defunctorum quoties sive Romæ quatuor basilicas [in una die] visitaverit, sive in propria habituali residentia quater in una die ecclesiam parœcialem visitaverit, dummodo ceteræ conditiones impleantur, nimirum confessio, communio, preces ad intentiones s. Pontificis et spatium unius diei sive naturalis sive liturgici pro visitationibus (1).

II.

DUBIA SOLUTA.

DE JUBILÆO LUCRANDO A PRIVILEGIATIS (2).

1. *De qualitate operarii.*

a/ Quæsitum est utrum necne hoc nomine venirent personæ « quæ variis modis mente laborant in variis muneribus nec maiore libertate fruuntur quam qui manibus ».

Responsum est die 5 martii: Negative.

b/ Quæsitum est utrum verba Bullæ *Apostolico Muneri:* « Item operarii qui cotidiano sibi victum labore compa-

(1) Cfr *Il monitore ecclesiastico*, t. VII, 1925, p. 141 sq. et *Periodica de re canonica et morali*, t. XIV, 1925, p. 35.

(2) Hæ solutiones, quas hic recitamus, non apparuerunt in Actis Apostolicæ Sedis sed ex *Osservatore romano* resumptæ sunt apud *Il monitore ecclesiastico*, 1925, p. 140 sq. et *Periodica de re canonica et morali*, 1925, p. 41 sq.; ex hoc ultimo periodico ea quæ in textu habentur deprompsimus.

rantes nequeunt se ab eo per tot dies atque horas abstinere » habeant significationem restrictivam, an mere declarativam, scilicet, num includantur inter operarios ii qui labore non manuali sed liberali, ut e. g. institutores, secretarii, etc. sibi victum comparant ».

Responsum est, die 12 martii 1925: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam partem.

2. Quæsitum est utrum necne indulgentia iubilæi extra Romam acquiri possit a personis quibus nec tempus nec pecuniæ ad Romam petendam desunt et quæ nihilominus *impeditæ* sunt, v. g. quia maritus non sinit uxorem a se discedere.

S. Pœnitentiaria, 9 mart. 1925, respondit: Negative.

3. *De condicione qua privilegiati suo privilegio uti possint.*

Quæstiones: *a*/ Utrum in § VIII Constitutionis *Apostolico Muneri* beneficii participes intelligi debeant omnes indiscriminatim operarii an taxative illi tantum qui nequeunt se a labore abstinere per tot dies et horas, visitandis basilicis necessarias.

Responsum est, die 5 martii: Affirmative ad primam partem, negative ad alteram.

b/ Utrum septuagenarii privilegio gaudeant in C. *Apostolico Muneri* ipsis concesso, etiamsi optima valetudine et viribus integris adhuc sint præditi ».

Responsum est, die 5 martii: Affirmative.

4. *Quoties indulgentiam* [privilegiati] *sibi lucrari possint.*

Verba C. *Apostolico Muneri* quibus personæ ibi numeratæ dicuntur lucrari posse iubilæum « etiam bis intra anni decursum », significantne facultatem esse personæ ut bis sibi indulgentiam acquirat, an semel pro se et semel pro animabus purgatorii?

S. Pœnitentiaria, die 9 mart. 1925, respondit: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Adnotatio. — Juxta hoc ultimum responsum corrigendum est quod supra scripsimus p. 81. Ibi scilicet interpretantes varia documenta quibus præsens jubilæum regitur, censuimus privilegiatos jubilæi indulgentia etiam *bis sibi* frui posse. Nunc vero s. Pœnitentiaria restrictivam inducens interpretationem statuit eos bis quidem intra anni decursum jubilæum acquirere posse, sed semel tantum sibi, semel vero pro animabus purgatorii.

A. Legrand.

Consultationes.

I.

Quæritur. An licet mihi in mea ecclesia *de novo* erigere ambones, ut ibi epistola et evangelium cantentur in missa solemni? Ratio dubitandi est quia, ut audio (1), Cæremoniale Episcoporum usum ambonum admittit tantum ubi ab antiquis viget *consuetudo*.

Resp. Ut clare perspiciamus verum sensum textuum, præ oculis habeamus oportet imprimis antiquam consuetudinem, juxta quam sat communiter in basilicis et majoribus ecclesiis ad ingressum chori, erigi solebant unum vel duo loca altiora ad legendam epistolam, cantandum evangelium et prædicationem instituendam. Hujusmodi ædiculum dicebatur *ambo*, *pulpitum*, *suggestus*, *auditorium*, etc. Omitti solebat in minoribus ecclesiis. Decursu autem temporis, quum plebs jam non calleret linguam latinam et suggestus ad prædicandum in navi ecclesiæ collocaretur, etiam in majoribus ecclesiis ambones per modum tantum exceptionis servati sunt. Et hæc erat conditio rerum quando conscriptæ sunt rubricæ Missalis et Cæremonialis Episcoporum (2).

Missale cæremonias missæ privatæ et solemnis ordinans, præ oculis habet missas communes, maxime in ecclesiis minoribus celebrandas. Unde non supponit adesse ambones, adeoque de iis tacet, sed eos nec improbat nec prohibet.

---

(1) Ita censet X. Barbier de Montault, *Traité pratique de la construction, de l'ameublement des églises*, Paris, 1878, I, 206.

(2) Cfr H. Leclercq, v° *Ambon* in *Diction. d'archéol. et de liturgie*, I, 1330-1347; J. Gerhardy, *Praktische Ratschläge über kirchl. Gebaüde*, Paderborn, 1913, p. 148; Ch. Rohault de Fleury, *La messe*, t. III, p. 1-72, pl. CLXX-CCXVI.

Cæremoniale vero *Episcoporum* accurate describit officia solemniora in ecclesiis cathedralibus et collegiatis. Novit ambones existere in ecclesiis, sed in paucis tantum, adeoque principaliter describit ritus deficientibus ambonibus servandos, sed secundarie indicat quomodo sit agendum si adsint ambones.

Ita de ornatu ecclesiæ: « Ambones, ubi epistolæ et evangelia decantari solent, si qui erunt, necnon et pulpitum ubi sermo vel concio haberi solet, consentaneum est pannis sericis, ejusdem coloris cujus sunt cetera paramenta, exornari, ita tamen ut locus evangelii pulchrius ornetur » l. I, c. XII, § 18).

De legenda epistola: « Subdiaconus ... a latere sinistro altaris, vel ubi ita consuetum sit, in ambone, cantat epistolam » (l. II, VIII, 40).

De evangelio tandem: « Si vero in ecclesia fuerint legilia, vel ambones, in illis poterit cantari evangelium; videlicet, *a*/ si cantabitur in legili seu pulpito, subdiaconus stabit post illud, quod panno aureo vel serico coloris ceterorum paramentorum coopertum et ornatum esse debet, amplectens ipsum legile et manibus hinc inde librum tangens; *b*/ quod si cantabitur in ambone lapideo, ad quod per gradus ascenditur, prout in pluribus ecclesiis juxta antiquam consuetudinem hujusmodi ambones reperiuntur, tunc subdiaconus assistet et ministrabit diacono opportune, stans a latere ejus dextero, videlicet porrigens thuribulum et vertens folia libri evangeliorum, cum opus erit » (l. II, VIII, 45).

Horum textuum sensus omnino patet si præ oculis habeatur conditio rerum supra exposita: ambones existunt tantum per modum exceptionis: debet igitur *Cæremoniale* necessario exprimere suppositionem: « *Si* qui *erunt* ... *si* vero *fuerint* legilia vel ambones ... » Et idem exprimitur dicendo: « *vel ubi ita consuetum est,* in ambone ... » Nam ubi adsunt ambones, ibi consuetum est iis uti. Unde apparet verba « ubi consuetum est » non indicare consuetudinem juridicam sed merum usum facti. Consuetudo juris ne verbo quidem tangitur, nec certe ponitur tanquam conditio sine qua non ut adhibere liceat ambones.

Nec tandem usus facti ullo pacto improbatur; e contrario videtur potius commendari quia describitur ut conformis « antiquæ consuetudini » de qua in initio responsi. Ergo *Cæremoniale Episcoporum* sine restrictione permittit erigere et adhibere ambones (1) etiam ubi antea nunquam exstiterant.

Ad decreta autem quod attinet, decr. 9, 1-2, diei 16 mart. 1591, permittit « consuetudinem cantandi evangelium in ambone, sive in pulpito, cum id fel. rec. Pius V permiserit in sua Bulla specialiter pro regnis Hispaniarum edita, die 17 decembris 1570 ». Item decret. 19, ad 2, in *Abulen.*, diei 17 novemb. 1592, respondet: « Si pulpitum ad recitandum evangelium ex vetere ecclesiæ consuetudine ibi fuerit juxta facultatem regnis Hispaniarum a s. m. Pio V concessam, in eodem pulpito, ut prius cantetur: sin minus, in plano presbyterii in cornu evangelii, juxta rubricas Missalis Romani, cantetur ». Ulterius s. Congregatio interrogata — rursus ex Hispania — de modo servandi cæremonias in ambone, respondit « servetur solitum », decr. 3151 et 3160. In prioribus antiquissimis decretis videtur igitur s. Congregatio admisisse ambonem tantummodo vi consuetudinis vel vi privilegii.

Verum multo recentius hunc usum sine restrictione admisit decreto n. 4057, ad III, diei 29 maii 1900: « An *Exultet* in solemni functione Sabbati sancti canendum sit versus aquilonem, prout fit ad cantum evangelii; an vero cantari debet versus celebrantem? » *Resp:* « ad III. Affirmative ad primam quæstionem, *nisi cantetur in ambone* (2), et ad secundam quæstionem provisum in præcedenti ».

Merito ergo auctores qui hanc quæstionem tangunt,

---

(1) Cæremoniale fere eodem modo agit de pulpito ac de ambonibus. De illo nemo ambigit usum esse licitum: cur aliter esset dicendum de ambonibus?

(2) Quo in casu ratio est habenda directionis ipsius ambonis.

simpliciter admittunt usum ambonis esse licitum (1). Et hic usus modo magis practico ostendit *lectiones* in missa fieri *pro* populo, ad ejus instructionem. Commendandus igitur esset iis in ecclesiis ubi assistentes intelligunt linguam latinam. Ita cohæret cum tota tendentia quæ conatur obtinere intimiorem consociationem fidelium cum sacerdote.

Rubricæ autem in casu servandæ indicantur in textu *Cæremonialis* supra citato, ubi sedulo notetur verbum « *opportune* ». Subdiaconus enim ministerium moderabit pro dispositione ipsius ambonis et spatio sibi reservato. Si desit locus in suppedaneo ambonis, stabit in gradu. Acolythi autem et thuriferarius stabunt generatim in plano.

II.

Quæritur. Sum solus sacerdos in parœcia mea. Sed tempore feriarum commoratur heic aliquis alumnus Seminarii et per aliquot dies solet accedere sacerdos in collegio professor. Velim identidem missam celebrare solito solemniorem. Quomodo hoc possum secundum rubricas?

Resp. Pro vario gradu solemnitatis missæ vel festi, poteris optime, juxta rubricas, missam cantatam diverso gradu solemnizare.

1/ Dum ipse cantas missam, potes applicare decretum in *Baionen.*, diei 25 sept. 1875, n. 3377, 1:

« I. An celebrans missam *cum cantu sine ministris* [sacris] adhibere possit plures quam duas candelas (2) et ministrum [in sacris constitutum] qui folia vertat et calicem discooperiat ipsumque mundet [ad offertorium], vinum et aquam infundat, eumdemque calicem infra

(1) Cfr A. Fortescue, *The ceremonies of the roman rite*, London, 1917, pp. 108, 109, 175; G. Schober, *Cæremoniæ missarum solemnium et pontificalium*, Ratisbonæ, 1909, pp. 57 et 69; C. Callewaert, *Cæremoniale*, Brugis, 1922, n. 214.

(2) Quatuor vel sex, D. 3029, 7.

actionem [h. e. canonem] palla cooperiat et discooperiat juxta opportunitatem, necnon ipsum tergat post communionem suisque ornamentis instruat; vel celebrare debeat ut in missis sine cantu, omnia supra enuntiata a semetipso peragendo et non ope ministri? »

« Ad I. Affirmative, ad primam partem; negative, ad secundam ».

Minister de quo hic agitur superpelliceo erit indutus, sed magna ex parte ministerium peraget subdiaconi et diaconi. Respondebit ad preces ad pedem altaris, et ad *Kyrie*, assistet ad librum, ad introitum, ad orationes, ad evangelium, transferet librum, a dextris celebrantis cum ipso recitabit *Gloria* et *Credo*, cantabit epistolam ut infra dicetur; ad offertorium partes aget diaconi et subdiaconi, acolytho ampullas afferente; ab offertorio ad communionem, partes diaconi; ad ablutiones, partes subdiaconi, acolytho librum transferente. Sed non cantat evangelium aut *Ite missa est.*

Sedulo tamen notandum est, ministrum, ut hæc *omnia* peragere possit, debere esse « in sacris constitutum » seu in ordine saltem subdiaconatus. Hoc, quod per se intelligitur, diserte declaravit S. Rit. Congr. decreto in *Plocen.*, diei 6 dec. 1901, quod invenies ap. *Collat. Brugen.*, VII, 157.

2/ Si autem Seminarista nondum est ad subdiaconatum promotus, sed est *saltem tonsuratus*, potes, ritu minus solemni, applicare S. R. C. *Decretum*, diei 10 mart. 1906, n. 4181, ad III-VI, cujus textum adnotationibus illustratum invenies in nostro *Cæremoniale* (Brugis, 1922) nn. 258-259. In hoc casu, poterit clericus tonsuratus explere ea quæ supra indicavimus his exceptis:

a/ Ad offertorium, « calicem ante offertorium non abstergat; nec vinum nec aquam in eo infundat, nec patenam cum hostia, nec calicem celebranti tradat »; potest tamen vel afferre calicem a credentia et velum auferre, vel saltem præsentare ampullas quas affert acolythus, vel manere a sinistris celebrantis apud librum.

b/ « Infra actionem, calicem nunquam tangat, neque pallam super eum ponat aut ab eo removeat » ; remanebit ergo a sinistris celebrantis apud librum, sed ad consecrationem adgeniculabitur et ad ipsam elevationem planetam sublevabit.

c/ « Post ablutionem, calicem non abstergat (abstergente ipso celebrante), sed tantummodo illum componat, more solito, et velo cooperiat cum bursa et ad mensam deferat ». Poterit vel manere apud librum illumque transferre, vel a dextris celebrantis infundere vinum et aquam, transferre velum et componere calicem quem celebrans absterserit, illumque ponere in medio aut ad credentiam referre. Accipiet benedictionem genuflexus sive in medio sive in cornu evangelii, ubi tabellam sustinere potest.

Permittitur in utroque casu ut duo acolythi deferant candelabra, quæ ad evangelium sustinebunt stantes in plano in cornu evangelii ; ad elevationem possunt deferri intortitia (D. 3059, 7) (1).

3/ In omni missa cantata, sine ministris sacris exoptat *Ritus celebrandi* VI, 8, ut aliquis lector, aut « saltem sacra tonsura initiatus », ut declaravit S. R. C. decret. 4181, I, superpellices indutus, « epistolam cantet in loco [et more] consueto, qui in fine non osculatur manum sacerdotis ». Non ideo debet præstare cetera quæ mox descripsimus.

4/ Præterea *si adsit rationabilis causa*, v. g. aliquod festum solemnius celebrandum, potes celebrare **missam solemnem**, sacerdote professore assistente ut diacono, et clerico *tonsurato assistente loco subdiaconi*. Hic assumet omnia indumenta subdiaconi, solo manipulo excepto, sed in ministerio debebit abstinere a quibusdam, ut videbis ex decreto 4181, II, apud *Cæremoniale* nostrum n. 202.

C. Callewaert.

---

(1) Cfr C. Callewaert, *Cæremoniale*, n. 231.

Notæ Bibliographicæ

Godts, F. X. (C. SS. R.). *Définibilité dogmatique de l'assomption corporelle de la T. S. Vierge.* Esschen, Librairie St-Alphonse, 1924. — In 8, VII-102 p. — Pr. 4,50 fr.

Dans cette très intéressante étude, le T. R. P. Godts, bien connu pour ses ouvrages de théologie mariale, se propose d'établir la définibilité de l'assomption. Dans son Avant-propos, l. A. explique qu'il entreprend cette étude pour défendre le privilège de Marie contre les attaques d'une brochure allemande; d'où la division de ce petit traité en deux parties: analyse des difficultés proposées contre la définibilité du fait; réfutation ensuite « en prouvant que l'Eglise infaillible, tant enseignante qu'enseignée, croit d'une infaillibilité active et passive, que le fait de l'assomption corporelle est bien certainement contenu dans le dépôt de la tradition divine: implicitement dans la sainte Ecriture; explicitement dans les traditions divino-apostoliques ».

Van Coppenolle, E. (C.SS.R.). *De bovennatuurlijke mensch.* Esschen, St-Alfonsusboekhandel, 1925. — In 8, 429 bl. — Pr. 12 fr.

In een eerste deel, tamelijk kort, behandelt S. eenige algemeene vraagstukken en zet sommige hoofdzakelijke begrippen uiteen; in een tweede deel, onderverdeeld in vier boeken, ontleedt hij achtereenvolgens de verheffing van den mensch tot de bovennatuurlijke orde in haar oorsprong, haar wezen, haar ontwikkeling en haar voltooiing.

Het boek geeft klaar en duidelijk de katholieke leer der genade weer, brengt voedsel tevens aan verstand en hart, en zal, zooals Z. E. P. Salsmans terecht in een voorwoord ter inleiding zegt, niet enkel dienstig zijn voor priesters, die hun theologische wetenschap in 't vlaamsch willen herhalen, om er inniger in door te dringen en ze dan op meer vatbare wijze aan hun volk te kunnen mededeelen, maar ook nog voor ontwikkelde christenen, en niet het minst voor studenten, kloosterbroeders en kloosterzusters, die meer en meer, Goddank, uitzien naar stevige geestelijke lezing, waardoor zij hun geloofs- en zedenleer beter zullen kennen en begrijpen. Die vinden zij in 't werk van E. P. Van Coppenolle; zij leeren er ook in de goddelijke gave der genade naar waarde schatten en hun gansche leven er naar schikken.

H. Lamiroy.

Farrugia, N (O. S. Aug.). *De Matrimonio et causis matrimonialibus.* Tractatus canonico-moralis juxta codicem juris canonici. Taurini-Romæ, 1924. — In 8, VI-564 p. — Pr. 18 lib. ital.

Divisionem hujusce tractatus suppeditat ipse codex juris canonici, excepta tamen parte quæ agit de consensu matrimoniali et de vitiis quibus invalidari contingit. Hæc pars, post notionem matrimonii ut est contractus et sacramentum, ab auctore tractatur,

Quod spectat doctrinam, singuli canones de matrimonio a can. 1012 ad 1143 concinne et solide explicantur; ita pariter canones de causis matrimonialibus (can. 1960-1992). Pars quoque moralis optimo judicio pertractatur, ita ut sacerdotibus, sacro ministerio addictis, doctrina practice tuta præbeatur. Hoc opus libenter commendamus.

V. Coucke.

Joseph a Spiritu sancto (Carm. discalc.). *Mystica Isagoge* hoc est brevis totius mysticæ theologiæ synopsis seu prima pars tomi primi *Cursus Theologiæ mystico-scholasticæ*. Editio 6ª a P. Fr. Anastasio a s. Paulo. [Bibliotheca Carmelitana]. Brugis, Beyaert, 1924. — In 8, VIII-136 p. — Pr. 12,50 fr.

R. Fr. Anastasius a s. Paulo, Cortraci in collegio philosophico sui ordinis professor historiæ, juxta omnes exigentias critices modernæ hanc novam editionem pretiosi hujus operis paravit. Paucis prius curriculum vitæ Josephi a Spiritu sancto adumbremus, quippe quum, nescio quanam oblivione, editor id penitus omiserit in sua præfatione. In Hispania natus a. 1667 ibique defunctus a. 1730, Josephus a Sp. s. successive fuit in ordine suo prælector philosophiæ ac theologiæ, postea, post varia alia munia, ter definitor provincialis ac tandem generalis totius congregationis in Hispania. Mediis in suis itineribus ac multiplicibus occupationibus ingens conscripsit opus in quo doctrinam traditionalem ordinis Carmelitarum consignavit circa theologiam mysticam, cui titulus: *Cursus theologiæ mystico-scolasticæ* sex complectens tomos quorum ultimus rarissime adhuc reperiri poterat (1).

Præsens *Isagoge* seu introductio, conspectum tradit totius theologiæ mysticæ et compendium exhibet universi operis, adeoque qua liber manualis adhiberi utiliter poterit ab alumnis theologiæ mysticæ incumbentibus. Est opus eruditione ac methodo scolastica præclarum, in doctrina s. Thomæ, s. Joannis a Cruce et s. Theresiæ radicatum, sed terminologia hellenistica antiquata nonnihil obscurum, nimiis subdivisionibus aliquantulum fastidiosum.

Auctor contemplationem dividit in activam seu acquisitam et passivam seu infusam. Activa ea dicitur quam supposito lumine fidei vel ipso formaliter influente, propria industria exercemus. Infusa vero est simplex intuitus veritatis a principio supernaturali procedens, supernaturali scilicet non solum entitative sed etiam quoad modum. Utraque contemplatio a fide provenit: infusa habet altiora principia, siquidem ab ipso lumine gloriæ provenire potest. Purgatio passiva sensuum formaliter consistit in subtractione gratiæ sensibilis; finis ejus est perfecta subordinatio et conformitas partis inferioris cum superiore. Purgationis passivæ spiritus causa formalis est clarissima lux contempla-

(1) Cfr P. Théodore de s. Joseph, *Essai sur l'oraison*, p. 138, juxta quem corrige Poulain, *Des grâces d'oraison*, p. 649, n. 100.

tionis infusæ, qua animæ manifestantur vel minimi sui defectus; finis est ut pars superior plene Deo conformetur.

Non dubitamus quin hæc nova editio optimi operis valde sit opportuna atque multum theologiæ mysticæ illustrandæ et spargendæ sit collatura. Ideo optamus ut mox, eadem cura ac methodo critica, reliqua volumina in lucem prodeant.

Mulders, A. *La vocation au sacerdoce.* Bruges, Excelsior, 1925. — In 8, 217 p. — Pr. 15 fr.

Nous signalons volontiers à l'attention de nos lecteurs la dissertation du professeur de dogme et d'histoire ecclésiastique au Grand Séminaire de Hoeven (Hollande), avec laquelle l'A. a conquis, summa cum laude, à l'Université de Fribourg en Suisse, le titre de docteur en théologie. Nous n'avons à formuler qu'un seul regret, à savoir que le candidat ait dû, en raison des règlements de la faculté, se servir d'une langue qui lui est étrangère: le lecteur subit à chaque page le contrecoup du supplice de l'auteur, ce qui n'est pas de nature à donner de la vogue au livre en question. Et cependant un ouvrage sérieux sur la vocation au sacerdoce excite de nos jours plus que jamais l'intérêt du clergé et des fidèles à raison de l'actualité du sujet.

L'auteur divise sa thèse en deux parties: une partie historique, où il expose rapidement la doctrine des Pères de l'Eglise et des Docteurs du moyen-âge, puis celle des théologiens postérieurs au Concile de Trente, chez qui la théorie de la vocation prend corps, pour s'arrêter à la controverse récente qui a abouti à la décision cardinalice du 2 juillet 1912 (1); une partie théologique, où il traite successivement de l'appel divin, des appelants au sacerdoce, Dieu et l'évêque avec ses délégués et ses auxiliaires, des appelés au sacerdoce, c. à d. de ceux qui présentent les indices de vocation divine, l'intention droite et l'idonéité.

Qu'on ne s'attende pas à trouver dans cet ouvrage des thèses nouvelles, des vues personnelles. Le mérite de l'auteur est de montrer la continuité de l'enseignement théologique au sujet de la vocation sacerdotale: les trois thèses contenues dans la réponse romaine signalée tantôt ne constituent pas une révolution dans la matière, mais sont l'aboutissement normal de l'enseignement traditionnel; il n'y a donc entre les idées modernes sur la vocation et la conception ancienne aucune différence essentielle.

Terminons par un souhait. Puisse l'auteur reprendre bientôt l'étude plus approfondie de certaines questions essentielles qu'il n'a pu qu'effleurer dans sa thèse, entre autres la question touchant la chasteté requise chez le candidat aux ordres majeurs (2). A. LEGRAND.

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XVII, 1912, p. 618 sq., t. XVIII, 1913, p. 53 ss.

(2) La réponse à cette question est ébauchée dans l'ouvrage en question p. 191 s.

Opera ad redactionem missa (1)

Catechismus der Derde-Orde. Volledig handboek bewerkt door EE. PP. Carolus en Timotheus, O. M. C. Brugge, Beyaert, 1925. — In 24, 520 bl. — Pr. 5 fr.

Dieckmann, H. (S. J.). *De Ecclesia.* I. Friburgi Br., Herder, 1925. — In 8, XVII-554 p. — Pr. 14 mk.

Fabri, M. (S. J.). *Conciones in evangelia et festa totius anni.* Accedunt conc. funebres et nuptiales. 5 ed. Taurini, Marietti, 1923-24. — 10 vol. in 8. — Pr. 175 fr.

Hildebrand, P. (O. M. C.). *Ieperen en de Kapucijnen.* Iseghem, 1924. — In 8, 40 bl.

Hoornaert, P. G. (S. J.). *De strijd om de kuischheid.* Vert. door Kan. J. Muyldermans. Brussel, Kath. Werking, 1924. — In 12, 438 bl.

Huonder, A. (S J.). *Zu Füszen des Meisters.* II B. *Die Leidensnacht.* Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 12, XII-430 p. — Pr. 5.20 mk.

Jansen, B. (S. J.). *Wege der Weltweisheit.* Freib. i. Br., Herder, 1924. — In 8, VIII-368 p. — Pr. 10,50 fr. suisses.

Janssen, A. *Les danses modernes.* Bruxelles, La lecture au foyer, 1925. — In 8, 40 p. — Pr. 2 fr.

Janssens, Al. (Miss. van Scheut). *Het menschgeworden Woord.* Brussel, Standaard-Boekh., 1925. — In 8, XI-265 bl. — Pr. 16 fr.

Les plus belles prières de s. Mechtilde et s. Gertrude. Trad. du latin par D. A. Castel. Collect. « Pax ». Bruges, Desclée, 1925. — In 12, XXIV-160 p. — Pr. 4.75 fr.

Mahieu, J. *De liefde Gods.* I. *Hertelijke liefde.* Reeks: Geestelijk leven, n. 9. Leuven, Vl. Boekenhalle, 1925. — In 24, 131 bl.

Marmion, C. (Dom). *Sponsa Verbi.* De aan Christus toegewijde maagd. Vert. W. Van Neylen. Lier, Taymans, 1925. — In 16, 80 bl.

Romain Rome P. (Franciscain). *Un semeur de sainteté.* S. François d'Assise. Bruxelles, Le lecture au foyer, 1925. — In 8, 40 p. — Pr. 2 fr.

Rutten, H. (pbr). *Openbaar kath. leven.* Beginselen en toepassingen. Antwerpen, Veritas, 1925. — In 8, 47 bl. — Pr. 1 fr.

Schryvers, J. (C. SS. R.). *Ma Mère.* Esschen, Imp. St-Alphonse, 1925. — In 24, 150 p. — Pr. 3 fr.

Vansteenberghe, E. *La vision de Dieu* par le Card. Nicolas de Cuse (1401-1464). Ed. Museum lessianum. Louvain, Desbarax, 1925. — In 12, XXVIII-128 p. — Pr. 6.50 fr.

von Zegschwitz, G. *Persönliches Erlebnis prot. und kath. Frömmigkeit.* Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 8, VIII-52 p. — Pr. 1,80 mk.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc tantum indicantur, in sequentibus fasc. parebunt.

Collationes Brugenses

Introductio in theologiam mysticam.

Tabula VI.

Regnum Christi æternum in cœlis. — Æterna damnatio impiorum, justorum æterna remuneratio. (1)

Hac in tabula convertimus oculos ad finem temporum, quando jam totum opus Dei ad extra, creatio, exaltatio supra naturam angelorum et hominum, gloriosa instauratio humani generis lapsi et perfectio totius ordinis naturæ et gratiæ in Christo et per Christum, salvatio et sanctificatio animarum per applicationem meritorum Redemptoris in Ecclesia terrestri, verbo, omnia jam consummabuntur, tempus non erit amplius, cessabunt cuncta peritura et locum cedent æternis et incommutabilibus; quando ultima et perpetuum duratura perfectio imponetur divino operi, per resurrectionem carnis et judicium supremi Judicis, quod excipient æternum impiorum supplicium et æterna merces ac gloria justorum cum Christo triumphante et regnante in omnem æternitatem.

Etsi enim animæ ex hac vita decedentes statim post mortem judicio Dei subjiciuntur, et quæ in peccato impœnitentes decedunt, illico damnantur ad æterna inferni supplicia; quæ vero decedunt in Dei gratia, vel illico admittuntur ad beatam Dei visionem, vel, si quid culpæ venialis aut remissi peccati onus pœnitentiale remanet, post expiationem in purgatorio, in cœlum

(1) Vid. supra hoc tomo, pag. 187.

ascendunt (1); nihilominus plena consummatio fit divini operis ad extra per resurrectionem carnis et ultimum judicium: tum enim completur merces bonorum et punitio malorum, in corpore et anima, et gloriosum Salvatoris regnum definite perficitur, cujus regni non erit finis.

Et hoc quidem regnum præcipue contemplamur in hac tabula. Ideo quoque non immorabimur in consideranda horribili sorte damnatorum angelorum et hominum, sub Satanæ tyrannide, quæ nomen regni non meretur, sed horrenda ordinis perversio est. Est enim infernus vere « ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat. » Eo vel meliori jure hoc triste spectaculum relinquimus quod, animas ad vitam perfectam adspirantes hoc scripto attingere volentes, eas cum S. Joanne Chrysostomo de gloriosa transfiguratione Domini agente alloqui possumus: « Cum igitur, *ait* (2), de utrisque disseruerit, regnum quidem ut oculis cernatur concedit, gehennam autem minime, quoniam rudioribus atque ineptioribus illud necessarium fuisset; sed cum illi [apostoli] probi essent et perspicaciores, satis fuit eos a melioribus confirmare. »

Suprema et essentialis beatitudo in cœlis consistit in visione Dei, Unius et Trini, ita quod Sancti intellectu, lumine gloriæ illustrato, clare vident id quod omni creato intellectui viribus naturæ propriis profundum ac inscrutabile mysterium est augustissimæ Trinitatis. Vident ergo Sancti ineffabilem vitam Dei: æternas ac incommutabiles processiones Filii a Patre et Spiritus sancti a Patre Filioque, et hanc Dei vitam quasi convivunt. Si jam hic in terra consortes erant divinæ naturæ per gratiam sanctificantem, quæ semen est gloriæ, erantque filii Dei per admirabilem unionem cum persona

---

(1) V. *Constit.* « Benedictus Deus » Benedicti XII, a. 1336, apud Denzinger, aliaque ibidem documenta.

(2) Homilia 57 in Matthæum.

Spiritus sancti (1), nunc consortium illud fit arctius et unio intimior, eaque jam perpetua atque insolubilia; præterea accedit unio ineffabilis cum Verbo Dei, quod est Deus de Deo, lumen de lumine, qua fit ut eorum intellectus illustretur lumine gloriæ, quo vident in Verbo et essentiam Dei et duas processiones divinas et tres divinas Personas; hæc omnia vident uno intuitu, neque enim Pater videtur sine Filio sicut nec est sine Filio, neque Spiritus sanctus sine Patre et Filio, neque Personæ sine una identica eorum essentia; ita ut vere intimam vitam Dei videant, ut diximus, eamque quasi convivant (2). « Promittitur nobis, ait Augustinus (3) conspectus Dei, veri Dei, summi Dei. Hoc enim bonum est Videntem videre... Nobis... promittitur visio Dei viventis et videntis. »

Si similitudo cum Deo animæ sanctæ hisce in terris jam adeo mirabilis est (4), quid dicemus de similitudine animæ beatæ in cœlis. Hoc quidem nobis splendide declarabit doctrina ac pietate præstans theologus, Leonardus Lessius, qui sic loquitur (5):

« Ad divinam pulchritudinem et speciem, quæ prorsus inæstimabilis et infinita est, proxime accedit pulchritudo animæ beatæ, quæ Deo adeo est similis ut nulla major cum Deo similitudo vel animo concipi, vel etiam per potentiam Dei absolutam (ut valde probabile est) dari possit; ut merito dictum sit a s. Joanne: *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ratio est, quia in statu beatitudinis erit suprema participatio divinarum perfectionum, imo ipsa beatitudo in tali communicatione consistit. Si enim esset altior modus participationis bonorum divinorum et conjunctionis vitalis

---

(1) V. tabulam II.

(2) Cf. nostram *Disquis. dogmaticam de unione justorum cum Deo*, part. II.

(3) *Serm. X de verbis Domini.*

(4) V. nostram tabulam V, collata II.

(5) *De summo bono*, l. II, c. XVI, nn. 136 et 137.

cum Deo, in eo potius consisteret nostra beatitudo quam in visione et amore. Beatitudo enim est summa et perfectissima communicatio divinitatis cujus mens est capax Itaque cum anima beata adeo sit similis Deo, ut nulla major vel sublimior similitudo ad Deum concipi possit; consequens est ipsius quoque pulchritudinem inæstimabilem esse et ipsam instar cujusdam divinitatis fulgere.

» Consistit autem hæc pulchritudo potissimum in tribus, per quæ etiam expressa imago sanctissimæ Trinitatis in anima relucet; nimirum in lumine gloriæ, in visione et in amore. Intellectus enim, lumine gloriæ illustratus et ad statum divinum elevatus, similis est Patri æterno. quatenus hic est prior ratione vel origine (1) Filio, habetque rationem memoriæ fœcundæ. Sicut enim Pater æternus vi luminis quo essentiam divinam intelligit, producit Verbum, ita intellectus creatus vi luminis gloriæ (quod divini luminis est suprema participatio) producit visionem, quæ vere et proprie est *verbum* mentis beatæ. Sicut enim Verbum divinum repræsentat essentiam divinam et tres personas: ita visio Beatorum essentiam divinam et personas clare repræsentat. Rursus sicut Verbum divinum (2) producit Spiritum Sanctum, qui est amor divinitatis: ita visio beatifica in Beatis excitat amorem divinitatis. Itaque per lumen gloriæ anima est similis Patri, per visionem Filio sive Verbo, per amorem Spiritui sancto. Nulla major similitudo ad Patrem esse potest in rebus creatis, quam per lumen gloriæ; nulla major ad Filium, quam per visionem; nulla major ad Spiritum sanctum, quam per amorem; sicut etiam nulla processio in rebus creatis esse potest, quæ magis imitetur

---

(1) Intellige: *ordine* originis. Nam, ut notat Wiggers, in 1, q. XII, a. 8: « In divina Trinitate nihil prius est aut posterius [nisi nostro concipiendo modo]; neque enim una persona est altera prior duratione, natura aut etiam proprie origine, etsi ordo originis hactenus ibi constituatur quatenus una persona est ab alia, qui ordo non importat proprie prioritatem et posterioritatem. »

(2) Intellige: simul cum Patre ut unum principium.

processionem divinarum personarum, quam processio intellectionis et amoris. Anima ergo beata per hæc tria est summa et perfectissima sanctissimæ Trinitatis imago; ac proinde habet summam pulchritudinem, cujus natura creata est capax. Singula horum ipsam animam implent et totam penetrant, absque ulla inter se confusione vel permixtione, eamque in immensum extendunt et divinis personis quodammodo adæquant. Lumen in immensum animam dilatat, ut fiat capax divinitatis, eamque simul fœcundat ut in se pariat imaginem divinitatis. Visio est expressa divinitatis imago, eam quodammodo adæquans. Amor est impetus quidam animam in divinitatem immergens. »

Supra dicebamus (1): Deum videre propria virtute est Deus esse, et Deum videre ex supernaturali dono divino, est perfecte deiformis esse. Hanc stupendam deiformitatem quæ capaces facit animas divinæ visionis descriptam habemus in citatis verbis Lessii.

Visio Dei est actus perfectissimus facultatis perfectissimæ, scilicet intellectus supra naturam lumine gloriæ evecti, contemplantis objectum infinitæ perfectionis, Deum. In hac visione consistit beatitudo possibilis maxima, et ex ea consequitur in voluntate amor quam perfectissimus et perfecta possessio summi boni.

Igitur cœlites vident Deum in se, sicuti est, quin tamen eum cognoscant quantum cognoscibilis est, neque enim exhaurire possunt cognitionem Dei, qui infinitæ perfectionis est, dum lumen gloriæ, quantumcumque sit, finitum est, neque ulla creatura divinam cognitionem æquare potest.

Omnes et singuli Beati Deum vident, sed unus alio clarius et intimius, pro diversitate meritorum et his respondente lumine majori vel minori.

Vident Deum esse omnipotentem et omnium extra se rerum causam, non tamen ideo vident omnia quæ

---

(1) In tabula II.

operatur vel operari potest, sed plus minusve pro merito et lumine majori vel minori. Et quidquid vident, non successive sed uno ictu, quippe uno intuitu divinæ essentiæ.

Præter essentialem beatitudinem divinæ visionis, cujus vix hisce in terris aliquem conceptum efformare valemus, multiplex in cœlis felicitas est accidentalis; delectationes plurimæ, corporis et animæ, sunt quibus fruentur Beati, quas facilius animo concipimus, quæque demonstrant quomodo reipsa eorum felicitas sub omni respectu suprema ac perfecta beatitudo dici debet.

Ibi, primum videbunt Sancti oculis corporis gloriosi Christum, regem cœlestis civitatis, in sanctissima sua humanitate, in omni gloria sui corporis, portantis quinque vulnerum cicatrices, supra omnem lucem splendentes, ut signa triumphi de diabolo, morte et inferno reportati, ut trophæum nostræ redemptionis gloriosissimæ. Et omnes suos redemptos, tamquam fratres et cohæredes æterni sui regni, Christus summo amore respiciet et complectetur.

Ibi et Christi Matrem nobilissimam, quæ et Mater et Mediatrix eorum est, Reginam omnium Angelorum et Sanctorum, Dominam mundi aspicient in splendore incomparabilis suæ gloriæ, et ejus amore vere materno et suavissimo perfruentur.

Ibi supra modum delectari licebit societate jucundissima omnium cœlestium Spirituum et sanctorum hominum. Ibi patriarchæ et prophetæ, omnesque antiqui fœderis Sancti, ibi sancti Apostoli, martyres, confessores et virgines, omnes quos in terra degentes sæpius invocaverunt et venerarunt Beati, nunc coram videbunt seseque omni amicitia et affabilitate excipientes.

Ibi parentes et filii, cognati et amici, omnesque sibi invicem noti maximo cum gaudio denuo occurrent, numquam jam separandi; denique omnes Sancti uno amore et felicitate una intime connexi vivent in æternum, omni timore mortis ac doloris et qualiscumque infausti casus excluso.

Hæc omnia modo exposita hausimus ex doctrina sanctæ Ecclesiæ et traditione SS. Patrum.

Audi S. Cyprianum (1): « Patriam nostram paradisum computamus, parentes Patriarchas habere jam cœpimus, quid non properamus et currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic nos carorum numerus exspectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos et copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, et adhuc de nostra salute solicita. Ad horum conspectum et complexum venire, quanta et illis et nobis in commune lætitia est! Qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, et cum æternitate vivendi! Quam summa et perpetua felicitas! Illic Apostolorum gloriosus chorus, illic Prophetarum exsultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus ob certaminis et passionis victoriam coronatus. Triumphantes illic Virgines, quæ concupiscentiam carnis et corporis continentiæ robore subegerunt. Remunerati misericordes, qui alimentis et largitionibus pauperum, justitiæ opera fecerunt: qui dominica pracepta servantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt ».

S. Gregorius Magnus paucis his verbis beatitudinem cœlestem describit (2) : « Quæ autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa supernæ civitatis quanta sint gaudia : Angelorum choris interesse, cum beatissimis Spiritibus gloriæ Conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari ? »

Heic obiter notemus quomodo Deus Sanctis suis non tantummodo integritatem naturæ, primis parentibus concessæ restituit, sed et perfectiorem concedit. Primi parentes, si fideles mansissent, fuissent immortales

---

(1) L. *de mortalitate*, in fine.
(2) *Hom. 37 in Evang.*

quatenus potuissent *non mori* , Sancti vero in corpore glorioso, impassibili et incorruptibili immortales erunt ita ut *non possint* mori nec pati ; adeoque et submissio partis sensitivæ rationi non tantum facto aderit, ut adfuisset primis parentibus, sed jure omnino et sine possibili defectu, e natura rei, nempe ratione gloriosi corporis.

Et hoc magis declaratur a contrario, nempe e statu damnatorum, qui et ipsi resurgent non amplius morituri, sed in corpore squalido et maxime passibili animam sicut in fœdito carcere violenter detinente, ita ut non possint quidem mori, anima vero onere corporeo omnimode gravata intolerabili supplicio torqueatur, et ex hac misera immortalitate nedum consequatur concordia interior inter utramque partem, inferiorem seu sensitivam et superiorem seu rationem, contra exsurgat intestina pugna et horrenda quasi divulsio perpetua.

Audiamus adhuc S. Bedam venerabilem presbyterum, qui solet doctrinam antecedentium Patrum compendio referre. « Consideremus ergo, ait (1), inclytam urbis illius (cœlestis) felicitatem, in quantum considerare possibile est ; ut enim vere est, comprehendere nullus sermo sufficit. Dicitur de ea in quodam loco sic : quod aufugiet ibi dolor, et tristitia, et gemitus. Quid hac vita beatius, ubi non est paupertatis metus, non ægretudinis imbecillitas ? Nemo lædetur, irascetur nemo, nemo invidet, cupiditas nulla exardescit ; nullum ibi desiderium honoris pulsat, aut potestatis ambitio. Nullus ibi diaboli metus. insidiæ dæmonum nullæ, terror gehennæ procul, mors neque corporis neque animæ erit, sed immortalitatis munere vita jucunda. Nulla erit tunc usquam discordia, sed cuncta consonna, cuncta convenientia : quia omnium erit Sanctorum una concordia, pax cuncta et lætitia continet. Tranquilla sunt omnia et quieta, jugis

(1) *Serm. 18 de Sanctis.* — Cf. de contemplatione cœlestis Jerusalem, S. Bonav. *Stimulus divini amoris*, p. III, c. 20.

splendor, non iste qui nunc est, sed tanto clarior quanto felicior : quia civitas, ut legitur, illa non egebit lumine solis, sed Dominus omnipotens illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus. Ibi Sancti fulgebunt ut stellæ in perpetuas æternitates, et sicut splendor firmamenti qui erudiunt multos. Quapropter nox ibi nulla, nullæ tenebræ, concursus nubium nullus, nec frigoris aut ardoris asperitas ulla, sed talis quædam erit rerum temperies qualem nec oculus vidit, nec auris audivit... Non est senectus ibi, nec senectutis miseria, dum omnes occurrunt in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Verum super hæc omnia est consociari Angelorum et Archangelorum cœtibus, Thronis etiam et Dominationibus, Principatibus et Potestatibus, omniumque cœlestium supernarum Virtutum contuberniis perfrui, et intueri agmina Sanctorum splendidius sideribus micantia, Patriarcharum fide fulgentia, Prophetarum spe lætantia, Apostolorum in duodecim tribubus Israël orbem judicantium, Martyrum purpureis victoriæ coronis lucentia, Virginum quoque choros candentia serta gestantes inspicere » (1).

Sanctus quoque Doctor Seraphicus præclare describit cœlestem beatitudinem in fine sui *Breviloquii* (2), e quo hæc pauca desumimus de præmio substantiali, ut ait : « Productio Dei fecit rationalem spiritum prope Deum, capacem Dei, capacem scilicet secundum vim inditæ imaginis ipsius beatissimæ Trinitatis, cui in justis totus hominis spiritus secundum integritatem imaginis deservivit; hinc est quod a nullo minus Deo potest rationalis spiritus præmiari nec impleri, nec ejus capacitas terminari; ideo in præmium datur ei deiformitas gloriæ, per

(1) Cum delectatione quoque leges B. Rusbrochium, *Van den VII trappen* (Leuven, De vlaamsche drukkerij, Minderbroederstraat, 44), Ve trappe, in fine, ubi describit æternæ vitæ gaudia.

(2) P. VII, c. 7. In edit. P. Ant. Mariæ a Vicetia (Friburgi, apud Herder, 1881), simul invenies locos parallelos ejusdem S. Doctoris, et varias textus illustrationes.

quam Deo effectus conformis, et ratione ipsum videat clare, et voluntate diligat plene, et memoria retineat in æternum : ut sic anima tota vivat, tota dotetur in tribus animæ viribus, tota Deo configuretur, tota illi uniatur, tota in illo requiescat, in ipso sicut in omni bono inveniens pacem, lucem et sufficientiam sempiternam, per quam in statu omnium bonorum congregatione perfecto constituta (Boët. *de consol. philos.*, l. III, pros. 2) et æterna vita vivens, dicatur beata et etiam gloriosa. »

Deinde S. Doctor agit de præmio, quod vocat consubstantiale, corporis gloriosi, et tertio de præmio accidentali aureolæ. Concludit autem opusculum dicendo : omnia bona quæ spectant ad gloriæ complementum « qualia et quanta sint, non verba mea, sed B. Anselmi ponantur ». Quæ et nos censemus hic ponenda, quoniam efficacissime simul et jucundissime excitant nos ad contemplationem cœlestis beatitudinis. Sic igitur S. Anselmus (1) :

« Excita nunc, anima mea, et erige totum intellectum tuum, et cogita, quantum potes, quale et quantum sit illud bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intente, quam delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum, non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tanto differentem, quanto differt creator a creatura. Si enim bona est vita creata, quam bona est vita creatrix ? Si jucunda est salus facta, quam jucunda est salus, quæ fecit omnem salutem ? Si amabilis est sapientia in cognitione rerum conditarum, quam amabilis est sapientia, quæ omnia condidit ex nihilo ? Denique si multæ et magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis et quanta delectatio est in illo, qui fecit ipsa delectabilia ? O qui hoc bono fruetur, quid illi erit, et quid illi non erit ? Certe quidquid volet, erit ; et quod nolet, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis et animæ, qualia nec oculus vidit, nec

(1) In fine *Proslogii* (c. XXIV-XXVI).

auris audivit, nec cor hominis cogitavit (*I Cor.*, II, 9). Cur ergo per multa vagaris, homuncio, quærendo bona animæ tuæ et corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, et sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum, et satis est. Quid enim amas, caro mea, quid desideras, anima mea? Ibi est, quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo? Fulgebunt justi, sicut sol (*Matth.*, XIII, 43). Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit? Erunt similes angelis Dei (ibid XXII, 30), quia seminatur corpus animale, et surget corpus spirituale (*I Cor.* XV, 44), potestate utique, non natura. Si longa et salubris vita? Ibi erit sana æternitas, et æterna sanitas, quia justi in perpetuum vivent (*Sap.*, V, 16), et salus justorum a Domino (Ps XXXVI, 39). Si satietas? Satiabuntur, cum apparuerit gloria Dei (Ps. XVI, 15). Si ebrietas? Inebriabuntur ab ubertate domus Dei (Ps. XXXV, 9). Si melodia? Ibi angelorum chori concinunt sine fine Deo. Si quælibet non immunda, sed munda voluptas? Torrente voluptatis tuæ potabis eos Deus (ibid). Si Sapientia? Ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia? Diligent Deum plus quam seipsos, et invicem tanquam seipsos, et Deus illos plus quam illi seipsos, quia illi illum, et se et invicem per illum, et ille se et illos per seipsum. Si concordia? Omnibus illis erit una voluntas, quia nulla illis erit, nisi sola Dei voluntas. Si potestas? Omnipotentes erunt suæ voluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod volet per seipsum: ita poterunt illi quod volent per illum, quia sicut illi non aliud volent, quam quod ille, ita ille volet quidquid illi volent, et quod ille volet, non poterit non esse. Si honor et divitiæ? Deus suos servos bonos et fideles supra multa constituet (*Matth.*, XXV, 21); imo filii Dei vocabuntur (ibid., V, 9) et erunt; et ubi erit Filius Dei, ibi erunt et illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. (*Rom.* VIII, 17). Si vera securitas? Certe ita certi erunt nunquam et nullatenus ista vel potius istud bonum sibi

defuturum, sicut certi erunt se non sua sponte illud amissuros ; nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum, nec aliquid Deo potentius invitos Deum et illos separaturum. Gaudium vero quale aut quantum est, ubi tale ac tantum bonum est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnas, imo obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares? Interroga intima tua, si capere possint gaudium suum de tanta beatutitudine sua. Sed certe si quis alius, quem omnino sicut te ipsum diligeres, eamdem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum, quia non minus gauderes pro eo quam pro te ipso. Si vero duo vel tres, vel multo plures idipsum haberent, tantumdem pro singulis quantum pro teipso gauderes, si singulos sicut teipsum amares. Ergo in illa perfecta charitate innumerabilium beatorum angelorum et hominum, ubi nullus minus diliget alium quam seipsum, non aliter gaudebit quisque pro singulis aliis quam pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono vix capiet gaudium suum, quomodo capax erit tot et tantorum gaudiorum ? Et utique quoniam quantum quisque diligit aliquem, tantum de bono ejus gaudet, sicut in illa perfecta felicitate unusquisque plus amabit sine comparatione Deum quam se et omnes alios secum, ita plus gaudebit absque æstimatione de felicitate Dei quam de sua et omnium aliorum secum. Sed si Deum sic diligent toto corde, tota anima, ut tamen totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis, profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudini gaudii... Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium...

» Nondum ergo, Domine, dixi aut cogitavi, quantum gaudebunt illi beati tui ; utique tantum gaudebunt, quantum amabunt : tantum amabunt, quantum cognoscent. Quantum te cognoscent, Domine, tunc et quantum amabunt te? Certe nec oculus vidit, nec auris

audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.*, II, 9) in hac vita, quantum te cognoscent et amabunt in illa vita. Oro, Deus, cognoscam te, amem te, ut gaudeam de te ; et si non possum ad plenum in hac vita, vel proficiam in dies, usque dum veniat illud ad plenum : proficiat hic in me notitia tui, et ibi fiat plena ; crescat hic amor tuus, et ibi sit plenus ; ut hic gaudium meum sit in spe magnum, et ibi sit in re plenum. Domine, per Filium tuum jubes, imo consulis petere, et promittis accipere, ut gaudium nostrum plenum sit. Deus verax, peto, accipiam, ut gaudium meum plenum sit. Peto, Domine, quod consulis per admirabilem consiliarium nostrum ; accipiam, quod promittis per veritatem tuam, ut gaudium meum plenum sit. Meditetur interim mens mea, loquatur inde lingua mea, amet illud cor meum, sermocinetur os meum, esuriat illud anima mea, sitiat caro mea, desideret tota substantia mea, donec intrem in gaudium Domini, qui es trinus et unus Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen ».

Antequam avertamus oculos ab hac tabula, attendamus monitum maximi momenti, quod desumimus ex ipso Dei verbo. Ait Apostolus : « Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublinitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis (1) ». Et iterum : « Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (2) ». Quæ quidem sic interpretatur S. Beda : « Dei enim ineffabilis et immensa bonitas etiam hoc providit, ut laborum quidem tempus et agonis non extenderet, nec longum faceret aut æternum, sed breve, et, ut ita dicam, momentaneum : ut in hac brevi et exigua vita agones essent et labores ; in illa vero quæ æterna est, coronæ et præmia meritorum ; ut labores quidem cito finirentur, merito-

(1) *2 Cor.*, IV, 17.
(2) *Ad Rom.*, VIII, 18.

rum vero præmia sine fine durarent; ut post hujus mundi tenebras visuri essent candidissimam lucem, et accepturi majorem passionum cunctarum acerbitatibus beatitudinem (1) ».

Hæc nobis recogitantibus quam stupenda apparet tot hominum inconsiderantia et temeritas! In vanum increduli negant aut in dubium vocant exspectanda æternam mercedem aut pœnam, in vanum fide debiles illorum futurorum cogitationem repellunt: nullatenus id infirmat certissimam rei veritatem. Quæ cum firma stet, cujus rationis vel momenti est vita præsens collata cum æternitate: omnis dolor et passio præsens collata cum æternis suppliciis, et, rursum, quævis sive delectationes sive passiones cum gaudiis cœlestibus?

Quis, nisi insaniat, non omnem dolorem omnemque adversitatem, adeo brevem, patienter toleret, et imo amplectendo sanctificet, ut æternas pœnas evadat, æternamque beatitatem consequatur?

Igitur sæpius hanc tabulam regni cœlestis consideremus attente, ut nobis animos addat nosque confortet in hac lacrymarum valle, imo vero ut nos doceat omnem laborem et passionem ad amorem et gloriam Dei dirigere, quo perveniamus ad beatum finem: ad Deum contemplandum facie ad faciem, eum diligendum amore perfecto et immoto, et in eo fruendum omni bono.

Hæc eadem tabula ideo quoque præ oculis teneatur, quod unionem contemplativam perfectam, nempe cœlestem et æternam explicat, quæ, ut jam dictum, exemplaris instar est contemplativæ unionis inchoatæ in præsenti, de qua in tabula sequente erit agendum.

† G. J., Episc. Brugen.

---

(1) *Serm. 18 de Sanctis.*

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis aprilis propositas.

—

I.

Paulus operarius.

Q. — *Ex iisdem tum* Act. *tum* Epistolarum *locis collige motiva ob quæ Paulus hujusmodi laborem susceperit* (1).

R. In responso ad quæst præcedentem (2), ex variis textibus ibidem citatis statuimus mirum illud factum : Paulus, tot titulis præclarus, humili huic negotio minime adactus, sponte libera labori servili, quem mundus universus odio et horrore prosequebatur, iique duro et diuturno operam dat.

Jam ulterius indagandum est quonam modo mirum illud factum explicari valeat, seu, quibusnam motivis specialibus (3) ductus Paulus laborem illum susceperit (4). Porro ex II. citatis hæc colligi possunt (5) :

---

(1) Vide hæc loca citata supra, p. 226.

(2) Supra, p. 266 ss.; ubi etiam vide opera opportune consulenda.

(3) Dicimus : quibusnam motivis specialibus. Paulum enim ultimo intendisse gloriam Dei et salutem hominum et signanter bonum exemplum ipsis præbendum (cfr *II Thess.*, III, 9), item majorem perfectionem et salutem propriam (cfr *I Cor.*, IX, 18), indubium est.

(4) Horum motivorum expositio etiam pro societate nostra hodierna utili documento esse poterit. Indubium enim est etiam in nostro mundo moderno, sicut et tempore Pauli obtinebat, laborem, potissimum manualem et sic dictum servilem horrori haberi : habetur enim qua onus illudque humilians, quod ad minimum reducendum est ; habetur qua obstaculum delectationum mundanarum, ni dicamus, ut sæpe, inhonestarum, in quibus summam felicitatem non pauci reponere videntur; præterea quod adhuc labori præstatur, ab innumeris præstatur sensu et scopo plane egoistico, qua medium nempe habendi pecunias necessarias ad vitam jucundiorem et faciliorem ducendam, ad magis concedendum luxui expensisque immoderatis, ni iterum dicamus et inhonestis.

(5) De more quem habebant Rabbini artem manualem addiscendi,

scandalum infidelibus : *et nullius aliquid desideretis* (1). — Et quum prima correptio non suffecisset, iterum inculcat Paulus et gravius : *Denuntiamus... vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis... Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete*, inordinate, *nihil operantes, sed curiose agentes*, i. a. rebus inutilibus dediti.

Quartum tandem *motivum* quare laborare debet homo illudque maxime altum in eo est quod laborando sibi procurare valet abundantiam unde aliis causis bonis, et signanter profectui religionis impendat. — Sic enim alloquitur presbyteros Ephesios : *Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis : quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his, qui mecum sunt ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit : Beatius est magis dare quam accipere.*

A. Vander Heeren.

II.

De natura angelorum.

Q. *Quid tenendum est et quonam assensu de natura angelorum ? Proba responsum.*

R. Sicut de existentia angelorum, ita de eorum natura nihil certi novimus nisi revelatione, quamquam, hac supposita, ratio naturalis purum spiritum possibilem esse satis ostendit, vel adhuc eumdem existere tanquam gradum summum in scala rerum omnium creatarum multum suadet. Unde remanet ut doctrinam de natura angelica e fontibus revelationis depromamus (2).

---

(1) *I Thess.*, IV, 11 s.

(2) Cfr s. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 50, a. 1, c. necnon *Sum. contra gentiles*, II, 91 et observa quæstionem spectare angelos tum bonos, tum etiam malos.

Jamautem 1/ *Scriptura sacra*, jam sub vetere testamento, excludit ab angelis corpus quale homines habent, ut ex ipsis apparitionibus ibidem narratis abunde constat (1) : non videntur angeli nisi Deus aperiat oculos ad eosdem conspiciendos (2) ; apparent subito et eadem ratione ex oculis evanescunt (3) ; declarant ipsi se nullatenus indigere cibo vel secundum apparentiam tantummodo manducasse (4).

Idem patet ex apparitionibus in novo testamento relatis (5) ; insuper dicuntur angeli non nubere, neque nubi (6) ; quinimmo sæpius spiritus appellantur, sicut ipse Deus spiritus vocatur (7) ; tandem opponuntur omnino ad homines, qui corpore et spiritu constant (8).

2/ Testimonia *traditionis oralis* quod attinet, negari nequit ss. Patres bene multos aperte pronuntiare angelos esse incorporeos, esse spiritus : ita s. Hilarius, Eusebius cæsariensis, s Gregorius nazianzenus, s. Gregorius nyssenus, s Joannes chrysostomus, s. Hieronymus, s. Augustinus et s. Gregorius magnus (9).

Alii tamen quidam, ut puta s. Ambrosius (10), ubi

---

(1) Cfr etiam *Lc.*, XXIV, 39.

(2) *Num.*, XXII, 31.

(3) *Judic.*, VI, 21; XIII, 20; *Tob.*, XII, 19.

(4) *Judic.*, XIII, 16; *Tob.*, XII, 19.

(5) *Lc.*, I, 11 s.; 26 s.

(6) *Mt.*, XXII, 30; *Mc.*, XII, 25; *Lc.*, XX, 35 s.

(7) *Mt.*, VIII, 16; *Lc.*, VI, 18; X, 20 etc., coll. *Jo.*, IV, 24.

(8) *Lc.*, XI, 24, 26; *Eph.*, VI, 12.

(9) S. HILARIUS, *Tract. super psalm.*, CXXIX, 7 (MPL, IX, 722); EUSEBIUS CÆSAR., *Demonstr. evang.*, IV, 1 (MPG, XXII, 252); S. GREGORIUS NAZIANZ., *Oratio* XXVIII, 31 et XXXVIII, 9 (MPG, XXXVI, 72 et 320); S. GREGORIUS NYSS., *De oratione dominica or.* 4 (MPG, XLIV, 1165); S. JOANNES CHRYS., *De resurrectione mort.*, 7 (MPG, L, 429); *In Gen. hom.* XXII, 2 (MPG, LIII, 188); *In I Cor. hom.* XXXII, 3 (MPG, LXI, 268); S. HIERONYMUS, *Epist.* LXXV, 2 et CVIII, 22 (MPL, XXII, 687 et 900); S. AUGUSTINUS, *Enarr. in psalm.* CIII, 1, 15 (MPL, XXXVII, 1348); S. GREGORIUS MAGNUS, *Moralia*, IV, 3, 8 (MPL, LXXV, 642); *Dialogi*, IV, 28 (MPL, LXXVII, 365).

(10) S. AMBROSIUS, *De virgin.*, 1, 8 (MPL, XVI, 203) ubi interpret. Gen., VI, 2 ; cfr etiam TERTULLIANUS, *De carne Christi*, 6 (MPL, II, 764).

exegesim instituunt textus Geneseos, qui de congressu filiorum Dei cum filiabus hominum agit, filios Dei intelligentes angelos, iisdem corpus aliquod attribuunt.

Alii, uti s. Basilius (1) et postea adhuc s. Joannes damascenus (2), ad interpretationem psalmi, cujus hæc verba de angelis audiunt: « Qui facis angelos tuos spiritus et ministros tuos ignem urentem » (3), iisdem angelis corpus quoddam igneum adscribunt.

Alii rursus, ut s. Gregorius nyssenus, corpus potius aëreum admitterent: « Divisa est omnis rationalis creatura in incorpoream et in corpoream naturam. Incorporea est angelica: altera autem species nos homines. Illa igitur intellectualis, quæ remota est a gravante corpore (ab hoc, dico, rebelli et ad terram vergente), supernam partem sortita, levibus et æthereis locis commoratur, agili et expedita natura; altera vero, propter cognationem corporis nostri ad terrestria, tanquam fæcis sedimentum hanc terrestrem vitam necessario sortita est » (4).

Ex hoc testimonio liquet apud quosdam ss. Patres, qui etiam naturam angelicam vocant incorpoream, hanc vocem non ita presse sumendam esse; quod rursus patet his verbis s. Gregorii nazianzeni: » Spiritus quoque atque ignis [angelus] appellatur: illud, quia intellectuali natura est præditus, hoc quia purgandis animis nostris adhibetur: quandoquidem primaria quoque illa essentia iisdem nominibus nuncupatur. Sed sint sane nobis illi incorporei, aut quam proxime ad hoc accedentes. . Atque ita secundi splendores procreati sunt, primi splendoris administri: sive intelligentes spiritus, sive ignem velut immaterialem et incorporeum, sive aliam quam-

---

(1) S. Basilius, *De Spiritu sancto*, xvi, 38 (MPG, XXXII, 136).

(2) S. Joannes damasc., *De fide orthod.*, ii, 3 (MPG, XCIV, 865).

(3) *Ps.* ciii, 4.

(4) S. Gregorius nyss., *De oratione dom. or.* 4 (MPG, XLIV, 1165); cfr etiam Cassianus, *Collat.* vii, 13 (MPL, XLIX, 684).

dam naturam, quam proxime ad has accedentem, eas existimare oportet » (1).

Ipse s. Augustinus tandem, in quibusdam locis, omnino anceps circa hanc quæstionem hærere videtur (2).

Et revera non tantum apparitiones angelorum et textus sacri supra citati difficultatem faciebant, sed adhuc considerationes quædam philosophicæ, præsertim hæc de angelorum creatione et relatione ad Deum, qui pariter dicitur spiritus et prorsus tamen ab angelis distinguitur.

Hanc difficultatem bene notat, sed minus bene exprimit s. Gregorius magnus, ubi agens de angelorum circumscripta ac limitata perfectione, sic concludit : « Comparatione quidem nostrorum corporum spiritus sunt, sed comparatione summi et incircumscripti spiritus, corpus » (3) ; ita et s. Joannes damascenus : « Angelus itaque est substantia intelligens, perpetuo motu et libertate prædita, corporis expers, Deo serviens, immortalitatem in natura Dei munere consecuta ; cujus formam substantiæ ac definitionem creator solus novit. Incorporea vero et immaterialis dicitur quantum ad nos ; quidquid enim cum Deo confertur, qui solus nulli comparari potest, crassum et materiale invenitur. Sola quippe divina natura vere immaterialis est et incorporea » (4).

Hæc dubitatio de natura angelica, quæ uti videtur, magis adhuc in apta quærenda formula quam in re penitius intelligenda hæret, sat diu perseveravit, quod apud s. Bernardum (5) et Petrum lombardum, magistrum sententiarum (6), adhuc videre est. B. Albertus

---

(1) S. Gregorius nazianz., *Oratio* xxviii, 31 et xxxviii, 9 (MPG, XXXVI, 72 et 320).

(2) S. Augustinus, *Sermo* cclxiv, 6 (MPL, XXXVIII, 1217) et *De civ. Dei*, xxi, 10, 1 (MPL, XLI, 724).

(3) S. Gregorius magnus, *Moralia*, ii, 3, 3 (MPL, LXXV, 556).

(4) S. Joannes damasc., *De fide orthod.*, ii, 3 (MPG, XCIV, 865).

(5) S. Bernardus, *De consider.*, v, 4 (MPL, CLXXXII, 790).

(6) Petrus lomb., *Lib. sent.*, ii, 8.

magnus jam magis assertive loquitur (1); ita pariter s. Bonaventura (2); dubitationem porro omnem tollit s. Thomas, qui docet angelos esse omnino incorporeos, nullatenus compositos ex materia et forma, quamquam compositos potentia et actu, et hoc quidem multiplici ex capite, nimirum essentia et esse, essentia et facultatibus, facultatibus adhuc et actibus (3).

Jamvero res ita prorsus eliquata existebat : angeli sunt puri spiritus, absque materia, absque corpore, absque partibus quantitativis ; attamen simul perfecte distinguuntur a Deo, qui est actus purus.

Hæc sententia nunc communius a theologis tenetur, ita ut certo certius *non absque temeritate* aliquis ab eadem recederet. Quinimmo, solutis difficultatibus, magis insistere licet in testimoniis Scripturæ sacræ (4), ita ut, si attendamus simul ad mentem Ecclesiæ, quæ satis apparet ex verbis concilii lateranensis quarti statuentis Deum utramque de nihilo condidisse creaturam, « spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac

---

(1) B. Albertus magnus, *Comm. in lib. II sent.*, dist. viii, A. art. 1.

(2) S. Bonaventura, *Comm. in lib. II sent.*, dist. viii, p. 1, a. 1, q. 1; lege tamen dist. iii, p. 1, a. 1, q. 1, ubi de compositione ex materia et forma dicit.

(3) S. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 50, a. 1 et 2; q. 51, a. 1 et q. 54, a. 1 s.; *Summa contra gentiles*, II, 49 et 50; *Quæst. disp. de potentia*, q. 6, a. 6; *De Malo*, q. 16, a. 1.

(4) Quoad argumentum traditionis observa non dari consensum ss. Patrum in puram spiritualitatem angelorum tanquam in rem revelatam; unde ex hac parte etiam non habemus argumentum theologicum stricte dictum et peremptorium. Adverte simul ss. Patres, qui corpus aliquod aëreum aut igneum in angelis admittunt, non tam assertive sed potius dubitative loqui, quo satis constat eos sic potius agere doctores privatos et recole quæ de hisce disputantur apud *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 35 s. — E testimoniis, quæ in præcedentibus indicavimus, constat tamen exaggerare Turmel, *Histoire de l'angélologie des temps apostoliques à la fin du Ve siècle*, ubi scribit in *Revue d'hist. et de littér. relig.*, III (1898), p. 411 : « Les anges, tels que les juifs les concevaient, étaient des êtres intelligents, pourvus de corps aériens. Pendant les cinq premiers siècles du christianisme cette idée se maintint sans contestation ».

deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam » (1), dicendum videatur hanc sententiam esse *fidei proximam*, quæ proinde non, nisi cum errore, negari posset (2).

Nihilominus *nunquam definita* fuit ; etiam non per concilium lateranense, quod contra manichæos docere intendit Deum esse omnium rerum creatorem, atque hoc enuntiat cum terminologia jam recepta et secundum opinionem in schola tunc temporis magis communem (3).

H. Lamiroy.

III.

De oratione in genere.

Q. *Resolve sequentes difficultates : nec gratia sufficiens petenda est in oratione, quia illam omni casu Deus concedet, nec gratia efficax postulanda est saltem absolute, ne discordemus a Deo qui hanc forsan dare non vult; insuper debitam spiritualem retributionem, ut contrito remissionem et perseveranti gloriam exposcere otiosum est utpote debitum ; tandem nec auxilium superabundans rogandum est ad facilitatem profectus et vitæ spiritualis, quia id frustra petitur quod proprio conatu procurari potest.*

R. — *Ad primum.* Auxilium gratiæ tum sufficientis tum efficacis absolute petendum est in oratione, prout ex præcedenti responso sufficienter constat.

---

(1) *Conc. later.* IV, œcum. XII, cap. 1 (*Enchir.*, n. 428) et *Conc. vatic.*, œcum. XX, *Const. dogm. de fide cath.*, cap. 1 (*Enchir.*, n. 1783 .

(2) Ita, post Suarezium, plerique auctores, ut puta Mazzella, *De Deo creante*, n. 287 s , p. 198 s., Romæ, 1880[2] ; Lahousse, *De Deo creante et elevante*, n. 418, p. 703, Brugis, 1904 ; Janssens, *Sum theol.*, VI. *De Deo creatore et de angelis*, p. 475, Frib. Br., 1905.

(3) Sic intelligitur quomodo post concilium lateranense adhuc dubitativo modo de pura spiritualitate angelorum loqui potuerint theologi, haud infimæ tamen notæ, uti Cajetanus v. g. et D. Bannez. — Censet Palmieri, *Tract. de Deo creante et elevante*, thes. XVIII, p. 174, Romæ, 1878, per concilia fuisse definitum angelos « non habere corpora cujusmodi sunt nostra ».

Ad rationes autem allatas :

Certo certius divina bonitas gratiam cuique sufficientem semper tribuit ; sed inde minime sequitur otiosam fore hujus gratiæ postulationem. Hanc ipsam enim voluntatem dandi nobis auxilium sufficiens vult Deus effectum habere, mediante oratione nostra (1).

Quod autem ad gratiam efficacem attinet, non est nobis in orando ratio habenda voluntatis Dei consequentis, qua forsitan hujusmodi auxilium concedere recusat, sed antecedentis, qua salutem omnium intendit et media ad hanc necessaria, quaque simul nos jubet illam pariter velle nobisque procurare, postulando notatim gratias efficaces. Nec cæteroquin, illas absolute petendo, ipsius voluntati consequenti contradicimus, quamvis cum illa in objecto forsan non conveniamus ; contra posteriorem agimus, nos conformando priori. « Eo vel maxime quod cum nos desideramus aut petimus auxilium efficax per se, solum petimus ut gratia Dei in nobis habeat effectum, ita ut nos illam non impediamus ; quomodo autem Deus in mente ac voluntate sua hoc ab æterno disponat, ad nos non pertinet, neque modus orationis nostræ inde pendet » (2).

Ad secundum. Profecto de beneficiis jam acceptis, re cognita, petitio fieri nequit. Ita si quis ex revelatione

---

(1) Simili ratione respondet s. THOMAS in II-II, q. 83, a. 5, ad 3, objectioni analogæ, frustra nempe peti ab aliquo id ad quod accipiendum petens jam invitatur: « Sic ad bona Deus nos invitat, quod ad ea non passibus corporis, sed piis desideriis et devotis orationibus accedamus ». Notandum vero est voluntatem dandi, ex parte Dei, non in omnibus requirere cooperationem orationis nostræ: « quia vero ad ipsammet orationem necessarium est auxilium, quod per orationem obtineri non potest, quia præcedit illam, ideo non ad omne auxilium sufficiens necessaria est vel possibilis oratio; nam illud quod est ipsius orationis initium, absque oratione ab ipso Deo dandum est, et a fortiori etiam illud auxilium, ex quo nascitur desiderium, quod est orationis motivum. Et hoc docuerunt Concilium Arausicanum et Augustinus contra Semipelagianos ». SUAREZ, *De virtute et statu Religionis*, tract. 4, l. 1, c. 21, n. 11.

(2) SUAREZ, *ib.* et cfr DIGNANT, *De virtute Religionis*, n. 37.

certior fieret de perfecta quam habet contritione, hic nec remissionem mortalium, nec gratiam sanctificantem petere posset, utpote jam habitas ; verum reliqua merito postularet adhuc incerta, ut remissionem omnium etiam venialium vel omnium pœnarum, restaurationem pristinæ cum Deo familiaritatis, perseverantiam usque ad mortem etc.

Porro, quoties circa beneficia jam accepta dubitatio quædam remanet, optime usuvenit petitio conditionalis : si nondum habeo. Et sic de facto peccator jam dolens merito remissionem peccatorum adhuc precatur, conditionate nimirum aut etiam disjunctive : petendo nempe statum gratiæ si nondum habet, vel si jam habet, perfectam tunc remissionem venialium et pœnarum et cetera hujusmodi.

Verum spiritualis retributio nondum habita, quamvis jam debita, adhuc peti potest. Quod primo patet quamdiu maneat merces amissibilis ob futuras culpas ; et sic profecto justus adhuc viator, quamvis etiam ex revelatione cognoscat esse se amicum Dei, petere potest et debet beatitudinem, quia virtualiter per hoc perseverantiam postulat.

Imo, etsi quoddam futurum beneficium sit tum debitum tum inamissibile, nondum repugnat ut petatur, postposito tunc omni dubio omnique timore non obtinendi. Potest enim tunc orans rogare ut novo titulo idem beneficium denuo mereatur, prout Christus sua oratione gloriam corporis sui mereri potuit, quamvis illius futuri beneficii, aliis jam titulis debiti, certior existeret. Et certe optima insuper maneret hæc forma orationis, qua homo dictam mercedem recognoscere intenderet ut largitatem a divina benignitate accipiendam, vel hanc adhuc postularet ad conformandam voluntatem suam voluntati Dei.

Ad tertium. Cum proposita objectio liceitatem admittat petitionis auxilii necessarii, illud jam notandum venit : duplici nempe modo hanc necessitatem inveniri posse, per se et per accidens. Per se quidem, dum considerando

naturam finis propter quem petitio elicitur, impossibilis dicenda est ejus consecutio absque tali gratia ; et inde jam liquet, servato ordine divinæ providentiæ, plurimas profecto magnasque gratias merito postulari, qua per se necessarias ad totam hanc sanctitatem quam supra vidimus honeste desiderari.

Per accidens autem, cum tantum auxilium ad finis consecutionem non simpliciter necessarium sit, in hoc tamen casu et pro hoc homine reapse attenuari nequeat quin intentum amittatur : et hæ etiam gratiæ qua necessariæ jure merito exposcuntur.

Sed insuper, quoad auxilia proprie superabundantia, negatur ratio in objectione allata : tum quia communi sensui usuique piorum contradicit (1), tum quia ex generali petitionis notione erui nequit, et multo minus ex speciali notione orationis seu petitionis Deo factæ, ut optime ostendit Suarezius : « In contrarium vero est primo, quia si consideremus naturam petitionis secundum se, non est de ratione vel honestate ejus ut solum petantur ea quæ simpliciter necessaria sunt, sed etiam quæ sunt utilia, et conferunt ad facilius seu melius esse, ut videtur per se et ex terminis notum, et humanis exemplis ostendi potest ; nam licet possit quis pedibus

---

(1) « Verumtamen difficile est postulare ab omnibus hominibus, ut, priusquam ad aliquid faciendum auxilium a Deo petant, sibi persuadeant se non posse id facere quod petunt, sine extraordinario vel supernaturali gratiæ auxilio. Alioqui non poterit artifex, v. g. pictor, petere a Deo auxilium ad bene depingendam imaginem, nisi prius sibi persuadeat per potentiam et artem suam cum communi concursu Dei, non posse recte illam depingere, nisi Deus addat et sibi conferat extraordinarium donum naturæ non debitum. Similiter dux habens validum exercitum majoris virtutis et roboris, quam sit contrarius, non poterit a Deo convenienter postulare victoriam orando, nisi prius sibi persuadeat se non posse cum toto exercitu et communi concursu Dei vincere inimicum, nisi Deus addat extraordinarium favorem naturæ non debitum. Hæc autem, et similia, quæ facile inferri possunt, durissima videntur, et creditu difficillima, quia in dictis casibus nullum habemus principium, quo vel convincamus homines, vel obligemus illos ad talem persuasionem seu credulitatem ». SUAREZ, *ib.*, n. 16.

iter conficere, honeste petit mutuo ab amico equum, ut facilius conficiat ; et licet solus possit grave pondus portare, prudenter petit ab alio ut se adjuvet, quo suavius hoc faciat. At nihil est peculiare in oratione ad Deum, propter quod hæc generalis conditio petitionis in divina locum non habeat. Imo majori ratione illi videtur attribuenda, tum quia Deus liberalior est, et non solum necessaria, sed etiam abundantia paratus est dare ; tum etiam quia in spiritualibus actibus honestissime desideratur facilitas et promptitudo, quia sunt bona maxime honesta. Potesque hoc usu ipso confirmari, nam petimus a Deo suavitatem in orando, non quia sine illa orare non possumus, sed ut facilius et constantius ita oremus ; et sic de aliis » (1).

IV.

Q. *Declara utrum et quatenus oranti liceat* mala tum physica tum moralia *sibi aut aliis a Deo postulare.*

R. Cum oratio sit decentium a Deo petitio, cumque bona tantum data Deum dare deceat filiis suis, nunquam profecto fas erit malum qua tale in oratione petere ; sed sicubi mala deprecari liceat, ea tantummodo sub ratione boni exposcenda erunt. Jamvero, ad hoc quod attinet, longe alia ratio est physicorum malorum atque moralium. Mala enim moralia seu spiritualia sunt mala simpliciter, temporalia autem non simpliciter, sed tantum secundum quid, nempe relate ad hujus mundi prosperitatem. Verum, cum ex intentione Dei temporalia omnia, tum bona tum mala, altiorem supra se finem habeant, scilicet beatitudinem æternam, jam inde sequitur petitionem malorum temporalium nullatenus præ se ferre malitiam intrinsecam, prout ceteroquin ex usu s. Scripturæ et Sanctorum exemplis facile eruitur. Quæ cum ita sint, ubicumque propter finem bonum, et debitis sub circum-

(1) *Ib.*, n. 6.

stantiis, appetentur dicta mala, licebit; quodsi liceat appetitio, licebit etiam eorumdem petitio.

A/ *De petitione malorum temporalium.*

1/ Sibi profecto facilius quam aliis oranti licebit mala physica postulare, cum in propria causa conditiones ex parte finis et circumstantiarum minore negotio verificari natæ sint.

Et quidem, quod ad debitum finem spectat, communiter hic erit spiritualis: sive quis per mala physica retrahi speret a malo animæ vel a periculo mali, sive majorem inde profectum spiritualem aut aliud gratiæ beneficium æstimet secuturum. Sic petit quis morbum a Deo ut a mala vita resipiscat, aut dolores physicos ut tentationes vincat, vel etiam tribulationes ut inde perfectior fiat; sic etiam cupiebat s. Paulus dissolvi et esse cum Christo (1). Quamquam aliquando temporale commodum, qua debitus finis, ad petitionem hujusmodi pariter sufficere potest, modo majus sit bonum intentum quam malum optatum: ita rabido liceret mortem a Deo postulare, ne atroces dolores amplius patiatur.

Porro, ex parte circumstantiarum oportet simul ut ille qui talia petit in profectum animæ suæ, ita habitualiter sit dispositus ut ea nolit si saluti non expediant; et insuper ut prudenter æstimare queat ea de facto esse profutura. Facile enim propter imperfectionem agentis aut ipsum pondus postulati mali, transit hujusmodi

---

(1) Ex his autem malis temporalibus quædam sunt quæ homo sibi ipsi inferre potest ad virtutis profectum, relinquendo scilicet divitias, castigando corpus et contemnendo honores. « Unde in his potius postulamus a Deo ut nobis præbeat auxilium ad amanda hæc incommoda, et virtutem ad illa nobis inferenda, quam ut ipse per se ea faciat. Quamvis etiam recte postulemus ut auferat a nobis occasiones habendi talia bona, quia non solum recte optamus non habere illa in affectu, sed etiam non habere in effectu, nec solum cupimus illa non quærere, verum etiam neque ad illa quæri, aut vel inviti ad illa recipienda compelli, propter periculum aut impedimentum majoris boni, quod ex eis timemus ». SUAREZ, *De virtute et statu Religionis*, tract. 4, l. 1, c. 19, n. 2.

oratio, si semel exaudiatur, in occasionem peccati. Quapropter ad vitandam temeritatem, in dubio conditio expressa apponenda erit; aut melius tunc postulandus erit crucis amor potius quam dolor. « Legimus Paulum, cum stimulo carnis affligeretur, ter Dominum rogasse, ut a se discederet, quia tunc ignorabat quid sibi magis profecturum esset; ergo regulariter hoc potius imitandum est, quia non sumus nos Paulo perfectiores, et in dubio potius de nostra fragilitate timere debemus » (1).

Jam age, ad petenda nunc mala temporalia proximo, magna cautela utendum est. Ex parte sane finis nefas est ipsi quævis mala qua mala precari, in hoc sistendo: hoc est enim intrinsecum malum contra caritatem, cum sit ipsum odium inimicitiæ, et insuper petitio indecentium. Nec magis propriam vindictam hic intendere licebit: sive quis a Deo auxilium postulet ad hanc ultionem proprio marte de proximo sumendam, quod est vires petere ad peccandum; sive mala alteri apprecetur a Deo quidem inferenda, sed ad satiandum revera proprium appetitum vindictæ, scilicet ut proximus idem vel majus malum a Deo accipiat quam oranti intulit: quod perinde est ac ipsi malum postulare in malum ejus.

Licebit autem oratio hujusmodi, quod spectat ad debitum finem, si malum proximi qua bonum exposcatur, ut ait s Thomas. « Possumus enim illis quos ex caritate diligimus, velle aut inferre aliquod malum temporale, propter tria Primo quidem, propter eorum correctionem. Secundo, in quantum aliquorum temporalis prosperitas est in detrimentum alicujus multitudinis, vel etiam totius Ecclesiæ..... Tertio, ad servandum ordinem divinæ justitiæ, secundum illud Ps. LVII, 2: « Lætabitur justus, cum viderit vindictam » (2).

Proinde erga peccatorem v. g. licebit, ex parte finis, tribulationes ipsi optare necnon a Deo poscere, nempe

---

(1) Suarez, *ib.*
(2) *Quæst. disp. de caritate*, a. 8, ad 10.

ut ipsi bene sit, scilicet ut inde corrigatur aut pro peccatis satisfaciat. Verum, cum bonum ex integra causa sit, malum autem ex quocumque defectu, oportebit simul ex parte circumstantiarum attendere ad duo : tum scilicet ut detur proportio inter malum postulatum et bonum intentum, adeo ut ex hac etiam parte sit petitio boni, melioris scilicet et majoris præ optato malo ; tunc etiam ut subintelligatur conditio : si aliter obtineri nequeat bonum istud superius (nam ad caritatem pertinet ut bonum proximo velimus cum minimo ejus incommodo) ; quod utique ob circumstantias quandoque moraliter certum erit (1).

Licebit etiam optare et petere proximo, sub iisdem duabus cautelis bene notandis, malum quoddam temporale ut nobis bene sit, vel etiam aliis, et notatim communitati. « Sic licite optamus mortem mimici quem scimus nos gravissime vexaturum, si aliter ab eo nos eripere non possumus ; item licite gaudemus de exitu peccatoris scandalosi, ne amplius sit ruina aliis ; pariter licite desideramus ob bonum commune mortem heresiarchæ vel publicæ pacis perturbatoris, etc. » (2). Nec imo tunc obstat, si debita proportio adsit, nos inde proximi damnationem quandoque permittere, modo certe illam nunquam intendamus.

Tandem licebit pariter ex amore justitiæ, postposito

---

(1) « Item hoc modo etiam licite potest desiderari mors proximi, si justus est, ne malitia mutet intellectum ejus ; vel, si peccator est, ne pejor fiat. Sed utraque oratio vel supponere debet tales circumstantias, quæ vehementem occasionem præbeant timendi talem eventum, vel certe fieri debet in ordine ad præscientiam divinam, id est, si Deus præscit ita expedire proximo ad ejus salutem æternam, vel saltem ad minorem damnationem. Tandem non videtur malum precari hæc incommoda temporalia proximo propter majorem profectum ejus spiritualem, nam hoc etiam officium est caritatis ». SUAREZ, *ib.*, n. 4. Adde finem alicujus boni etiam temporalis, si debita adsit proportio, ad mala physica proximo postulanda pariter sufficere posse, prout de ipso orante jam supra diximus. Ita, sicut rabido sibiipsi, ita proximo rabido mors ab alio orante exposci licet.

(2) BOUQUILLON, *De Virtutibus theologicis*, n. 519.

propriæ appetitu vindictæ, malum proportionatum et debita potestate inferendum proximo postulare in pœnam delicti: dum enim hac intentione furi carcerem, hosti injusto adversa certaminis, et cetera hujusmodi a Deo rogamus, mala petimus, debito cum moderamine, sub vera ratione boni.

B/ *De petitione malorum moralium.*

Contra, nunquam licebit sibi aut aliis viatoribus malum spirituale a Deo postulare: mala nempe hæc sunt mala simpliciter, nequitque hujusmodi petitio esse decentium. Non enim in hac causa ordo subordinationis aut honestæ præferentiæ his in terris invenitur, quo mala moralia qua bona licite exoptentur: neque ex parte Dei, neque ex parte orantis aut proximi.

Nam si bonum justitiæ prætendas, propter quod peccatori v. g. damnationem æternam postulares qua meritam, odium dico et non justitiam: nisi enim proximus jam sit defunctus et certo reprobatus, non est ejus damnatio per se necessaria ad justitiam Dei, unde sub specie justitiæ solum denique petitur malum proximi. Ut ait Suarezius: « si proximus sit viator, nunquam licet illi imprecari vindictam quæ involvat damnationem æternam, etiam sub titulo divinæ justitiæ, quia de nullo viatore desperandum est, et Deus potest aliam vindictam sumere de peccatore, per quam suæ justitiæ satisfaciat, et misericordiam habeat adjunctam, quam vindictam sumit mediante pœnitentia; et hanc Deus ipse, quantum ex se est, magis exoptat » (1).

Si vero bonum majus alleges (spirituale dico, nam

(1) *Ib.*, n. 3; ubi addit: « Si est proximus jam defunctus et damnatus, licitum est illi imprecari vindictam æternam, juxta illud Psalmi 57: lætabitur justus cum viderit vindictam. Si autem proximus jam est defunctus, et nobis non constat illum esse damnatum, imprecari illi damnationem desiderando ut damnatus sit, et de illo sumatur æterna vindicta, manifestum odium esset, quia illud per se non est necessarium ad justitiam Dei: unde solum postulatur in summum malum proximi ».

temporalia bona profecto sunt inferiora) quod ex malo spirituali nonnunquam enasci contingit, et ideo licitam reputes orationem qua quis a Deo denegationem v. g. gratiæ efficacis sibi aut aliis postulet, aut inductionem sive permissionem sive auxilium ad peccatum committendum, ad hoc nempe ut ruina gravior sit occasio conversionis efficacioris aut majoris boni spiritualis, respondeo hujusmodi orationem nihilominus intrinsecam malitiam præ se ferre Non enim facienda sunt, adeoque nec intendenda sunt mala ut eveniant bona ; et est hujusmodi petitio in seipsa saluti propriæ aut respective proximi contraria. Sane unusquisque tenetur tum sibi tum aliis salutem velle æternam, adeoque tum gratiam Dei tum fugam peccati sedulo prosequi ; nefas est ergo illa abjicere et petere opposita, cum subtractio gratiæ et ipsum peccatum evidenter et per se saluti contrarientur.

Ipse autem Deus per modum pœnæ quasdam potest subtrahere gratias, necnon e malo spirituali permisso bonum animæ prævidere et intendere secuturum. Sed inde minime sequitur petitionem hujusmodi ob majus bonum nobis licere ; nam « quamvis Deus sua voluntate utatur hoc medio, nihilominus non vult ut ipse homo utatur illo, quia non quidquid Deus vult potest homo velle, nec Deus semper vult ut illud velit. Et ideo talis petitio nunquam esset confirmis voluntate divinæ, voluntati, inquam, illi quæ esse debet regula nostrarum voluntatum » (1).

E. Hosten.

(1) Suarez, *ib.*, c. 21, n. 14.

V.

De Kerk van Belgie onder het hollandsch bewind.

V. Godsdienstpolitiek van Willem I in 1815-16.

V. *Welke maatregelen troffen koning Willem en zijne regeering, einde 1815 en in den loop van het volgende jaar, tegenover de afkeurende houding der katholieke Belgen?*

A. Sederthetafstemmen vande grondwet (aug. 1815)(1), leefde bij Willem I een gevoelen van bitteren weerzin tegen de belgische katholieken, vooral tegen de geestelijkheid, die zich reeds dadelijk zoo in zijnen weg had gesteld. Krachtig optreden scheen echter aan den koning en zijne regeering in den beginne ongewenscht (2); langs omwegen zouden ze trachten den tegenstand te breken en de katholieke Kerk in Belgie allengerhand onder den invloed van den nieuwen staat te brengen. Eene reeks maatregelen getroffen, einde 1815 en in den loop van het volgende jaar, laten duidelijk blijken waar de godsdienstpolitiek van koning en regeering heen wilde.

Op 16 sept. 1815 werd, door een koninklijk besluit, bij den raad van State een bijzonder departement gevoegd, voor regeling der zaken betreffende den katholieken eeredienst; dit departement zou geleid worden door een algemeen bestuurder en twee of drie leden, die tot den katholieken godsdienst moesten behooren. Deze maatregel werd aangekondigd als een tegemoetkoming aan de katholieken, en werkelijk scheen daarmede een der grootste grieven, door het « *Jugement doctrinal* » der bisschoppen opgesomd, weggenomen; dank immers zij dit besluit zouden protestantsche ministers en ambtenaars, zooals men eerst gevreesd had, zich niet rechtstreeks met kerkelijke zaken te bemoeien hebben. Doch

(1) Zie hooger bl. 124 vlg.
(2) Blok *t. a. pl.*, bl. 348.

het bleek alras dat anderzijds van het bijzonder departement voor den katholieken eeredienst niet veel goeds te verwachten was.

Vooreerst de aanstelling van den gekenden josephist en febroniaan, baron Goubeau d'Hovorst, als algemeen bestuurder aan het departement, liet genoeg voorzien in welken zin de regeling der kerkelijke zaken zou geschieden ; ten andere het koninklijk besluit van 16 sept. sprak duidelijk genoeg : het departement voor den katholieken eeredienst kreeg als bijzonder opdracht te zorgen voor « het behoud der oude vrijheden der belgische Kerk », en om te beginnen werd het onzalig « placet » weerom ingebracht, waardoor de regeering toezicht wilde houden op de briefwisseling van den H. Stoel met de geestelijke overheid van ons land (1).

Aldus opgevat en gewapend zou het departement voor den katholieken eeredienst een voortdurende belemmering zijn, een middel om de Kerk onder den staat te brengen. Alleen jansenisten en vijanden der Kerk hadden zich vroeger beroepen op de zoogenaamde vrijheden der belgische Kerk, en 't lag nog in veler geheugen tot welke dwingelandij het febronianisme Joseph II en het gallicanisme Napoleon gebracht hadden.

Wat te voorzien was, geschiedde dan ook weldra ;

---

(1) TERLINDEN, *o. c.*, p. 115 ss. Artikel 6 van het koninklijk besluit luidde als volgt : « Les lois des Pays-Bas établissant qu'aucune ordonnance en matière ecclésiastique, provenant d'une autorité étrangère, ne peut être publiée sans l'aveu du Gouvernement, l'examen nécessaire à cet égard se fera dorénavant par la commission du conseil d'Etat, conjointement avec le susdit directeur général et il leur est enjoint, en général, de veiller au maintien des anciennes libertés de l'Eglise belgique ».

Baron Goubeau d'Hovorst, geboren te Mechelen 1757, was onder het oostenrijksch bewind, als lid van den hoogen raad, heel ten dienste der politiek van Joseph II; onder de brabantsche revolutie nam hij de wijk naar Weenen, waar hij twintig jaar verbleef en zich hoe langer hoe meer liet doordringen van den antikerkelijken hervormingsgeest en het absolutisme, die te dien tijde aan het Oostenrijksch hof heerschten.

niet echter zonder heftige tegenspraak uit te lokken. Reeds aanstonds na de inrichting van het departement, werden de pastoors verwittigd dat ze alle wetten en besluiten van op den predikstoel aan de bevolking moesten bekend maken. Rome daarover geraadpleegd door grootvikaris Lesurre van Gent, oordeelde dat men uit voorzichtigheid zich schikken mocht naar den eisch der regeering, voor zooveel nochtans de af te kondigen wetten en besluiten geen godsdienstzaken betroffen; in dit laatste geval immers zou eerst de kerkelijke overheid zich uit te spreken hebben over de degelijkheid dezer maatregelen (1). Dit was nog maar een begin: op 30 nov., in eenen brief aan den bisschop van Doornik, verklaarde Goubeau dat de koning het recht had eigenmachtig openbare gebeden voor te schrijven. Dat was ongehoord! Ook antwoordde Mgr Hirn vrijmoedig dat het doen van openbare gebeden een zuiver godsdienstige aangelegenheid was, waarin de wereldlijke macht niets te zien had. Goubeau hield echter vol en eischte, in naam van den koning, een plechtig *Te Deum* tegen 20 Dec., voor de herstelling van den vrede in Europa. De zaak werd aan Rome onderworpen, die Mgr Hirn in 't gelijk stelde (2).

---

(1) *Ibid.* p. 123.

(2) Vroeger reeds was de kerkelijke overheid in Belgie bekommerd geweest met het netelachtig vraagstuk der openbare gebeden voor een protestantschen vorst en diens huis. Was dit geen ongeoorloofde *communicatio in divinis?* Rome daarover geraadpleegd liet op 3 maart 1815 weten, dat de belgische geestelijkheid zich schikken mocht naar de gebruiken die bij de katholieken in protestantsche landen bestonden. Doch intusschen was de grondwet gekomen en 't scheen den katholieken dat de Kerk geen reden had officieel deel te nemen aan de inhuldiging van den koning te Brussel; het vikariaat van Mechelen verbood dan ook het Te Deum dat bij de feestelijkheden voorzien was; doch deken Millé van Brussel liet zich aan dit gebod niet gelegen. De aanmatiging van Goubeau, waarvan hier spraak, was tegen dit eerste verzet gericht. Rome stelde hier wel den bisschop van Doornik in 't gelijk, doch gaf de noodige richting niet voor de toekomst, zooals de bisschoppen gewenscht hadden. Opnieuw werd

Op 5 maart 1816 kwam Goubeau met een nieuwen tergenden maatregel voor den dag. Sedert de uitdrijving der franschen hadden de bisschoppen vrij beschikt over de openstaande pastorijen; thans liet Goubeau weten dat geen benoemingen meer mochten gedaan worden zonder voorafgaandelijke verwittiging en toestemming van den koning. Deze maatregel kon tot erge misbruiken leiden, doch strikt gesproken was de koning hier in zijn recht, daar het concordaat, dat nog van kracht was, zulks aan den regeerenden vorst toestond (1). Maar koning Willem wilde niet alleen het concordaat; ook de organieke artikelen, waartegen de Paus herhaaldelijk en zoo luid had geprotesteerd, zou hij weerom in voege brengen. Dit bleek uit zijn koninklijk besluit van 10 mei, waardoor aan Goubeau en zijn departement alsmede aan de gouverneurs der provinciën, dezelfde hooge politiemacht werd geschonken, die Napoleon eertijds aan zijn minister van eeredienst en aan zijn prefekten had gegeven, ten einde, zoo heette het, de misbruiken tegen te gaan waarvan zich de geestelijkheid zou plichtig maken in 't uitoefenen van haar ambt. Deze zoo vernederende en tergende maatregel verwekte algemeene misnoegdheid in ons land en werd te Rome streng beoordeeld. De H. Stoel deed protest aanteekenen bij de nederlandsche regeering en

---

dan ook door Mgr de Broglie, die nieuwe aanvragen van wege de Regeering voorzag, een vraag naar Rome gericht, maar het antwoord bleef lang uit; in de bisdommen was men het intusschen niet eens; alleen Mgr de Broglie bleef weigeren tot dat, op 1 febr. 1817, toelating van den H. Stoel werd gegeven. Zie bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 123 ss., 202 ss.

(1) *Ibid.*, p. 128. Vele katholieken waren de meening toegedaan dat het Concordaat sinds de uitdrijving der franschen vervallen was. De kerkelijke overheid had over dit gewichtig vraagstuk ook een vraag bij den H. Stoel ingediend; doch 't was eerst in 1817 dat een beslissing daarover getroffen werd: het fransch concordaat bleef in voege « exceptis tantum articulis respicientibus privilegia concessa ei qui tunc temporis regnabat, quæque nonnisi catholicis principibus conceduntur ». Zie TERLINDEN, *o. c.*, p. 43, note 2.

vermaande de bisschoppen niets te doen of te laten gebeuren, waardoor ze de aanmatigingen van den koning zouden schijnen goed te keuren (1). Doch de koning ging ongestoord verder den dwaalweg op, en 't bleek hoe langer hoe duidelijker dat gansch het zoo gehaatte fransch stelsel van godsdienstpolitiek weerom in voege zou komen. Op 25 sept. 1816 begon de antikerkelijke, en ook voor Willem zoo noodlottige, schoolpolitiek. Volgens een koninklijk besluit moest in de zuidelijke provinciën het hooger onderwijs georganiseerd en een drietal hoogescholen in 't leven geroepen : een te Gent, een ander te Luik, en een derde te Leuven. Aan elk dezer universiteiten zou, zoodra de omstandigheden zulks gedoogden, een theologische faculteit worden verbonden, ten einde bekwame priesters voor de kerkelijke bediening te vormen. Echter werd reeds terstond het kerkelijk recht aan de toekomstige theologische faculteit onttrokken en bij de rechtsgeleerdheid gevoegd. Wederom verhieven de bisschoppen hun stem en betreurden het, dat de professoren der theologie als staatsambtenaren, zonder zending te ontvangen van de bisschoppen, volkomen vrij zouden zijn in hun onderwijs : zij vreesden terecht voor hunne seminaries en eischten hun onvervreemdbaar recht, zelf de dienaren des heiligdoms aan te kweeken (2).

---

(1) *Ibid.*, p. 128 ss. Met dezen maatregel dacht men heel het fransch stelsel weer in voege te zien komen « Un devoir sacré, schreef de Vikaris Barett van Luik naar den koning, m'impose l'obligation d'informer V. M. que son arrêté du 10 mai 1816, par lequel elle ordonne le maintien du concordat de 1801 et des articles organiques y ajouté par le gouvernement français, a produit une consternation si générale dans ce diocèse que, si V. M. ne juge convenable dans sa sagesse de revenir sur ces dispositions, la moitié des cures et des succursales sera bientôt abandonnée, par la crainte de voir renaître les temps désastreux, sous lesquels l'Eglise a gémi sous la domination de Napoléon ». De koning liet antwoorden dat concordaat en organieke artikelen staatswetten waren en bleven, zoolang nopens de gewenschte veranderingen geen nieuwe maatregelen waren getroffen.

(2) Zie Albers, *t. a. pl.*, bl. 51. Het vraagstuk van het onderwijs zullen we verder breedvoeriger behandelen.

Met de maand december kwam de huwelijkswetgeving aan de beurt: de vroeger tegemoetkomingen aan de katholieke zedenleer, werden ingetrokken en het burgerlijk huwelijk weerom, even als onder het fransch bewind, verplichtend gemaakt en wel vóór het kerkelijk huwelijk (1).

Zoo wilde koning Willem, even als Napoleon, de vrijheid van de Kerk aan banden leggen, de belgische clerus scheiden van haar opperhoofd, opvoeden onder het oog der wereldlijke macht en voortdurend bewaken en belemmeren; hij zou er zelf niet voor teruggedeinsd hebben, zoo 't hem gelukte, een onafhankelijke, van Rome afgescheurde, belgische kerk te stichten.

Doch wat Napoleon, in den tijd zijner hoogste macht, niet had gekunnen, dat zou evenmin aan koning Willem gelukken; de hatelijke vrijheidroovende maatregelen, getroffen te midden de moeilijkheden betreffende den eed (2), hitsten nog meer de gemoederen op, en 't ontging den koning niet, dat, behalve enkele uitzonderingen, de gansche belgische geestelijkheid hem vijandig was. Doch Willem was stijfhoofdig en met den raad zijner josephistische omgeving verzon hij middelen om den tegenstand te breken. Nu door bovengemelde besluiten en wetten de wapenen gesmeed waren, zou hij krachtig optreden tegen Mgr de Broglie, het hoofd der tegenbeweging; anderzijds zou hij er voor zorgen een regeeringsgezinden bisschop op den aartsbisschoppelijken zetel van Mechelen te brengen. In de volgende verhandelingen zullen we zien hoe hij dit plan stelselmatig trachtte ten uitvoer te brengen en hoever hij erin gelukte.

R. Deschepper.

---

(1) Terlinden, *o. c.*, p. 133.

(2) Zie hooger bl. 212. Voegen we daarbij nog de moeilijkheden waarmede de nog overgebleven kloosterlingen te kampen hadden om hun vroeger leven te hernemen. Zoo werden in ditzelfde jaar 1816 de Colletienen te Brugge uiteengedreven, omdat ze van de regeering geen toelating verkregen; het zelfde lot trof de Jesuieten die eerst te Rumbeke, dan te Destelbergen een onderkomen hadden gevonden.

VI.

De amictu.

Q. *Paucis explica originem, usum et symbolicam significationem* amictus *liturgici* (1).

R. De **nomine** si quæratur, vestimentum quod in liturgia specifice *amictus* nuncupamus, eo quod collo circumjicitur (*am* = circa et *icere* = jacere) (2), Romæ usque ad sæc. XII-XIII simili nomine græco-latino dicebatur *anabolaium*, *anagolaium*, *anagolagium* (ανα = rursus vel supra, βαλλεσθαι = jacere) et interdum in Germania *superhumerale* vel *humerale* vocabatur.

II. **Originem** ducit amictus ex panno quadrato vel oblongo (halsdoek, écharpe, étole), quo solebant antiqui, sicut et moderni, collum et fauces circumducere ad præcavendum frigus (3) vel ad hònestiorem habitum (4). Sic orientales sacerdotes, quibus amictus non est vestimentum liturgicum, solent tamen primo sudarium commune collo circumponere, ne habitus liturgicus sudore maculetur (5). Simili ratione et scopo cæpit clerus

---

(1) Inter cætera quæ hunc materiam tractant opera, eminet J. Braun, *Die liturgische Gewandung*, Freiburg i. B., 1907. pp. 21-52.

(2) Nomine generico *amictus* designabant Romani quodvis pallium quo solebant Romani jam induti ulterius *amiciri* seu corpus libere et ample involvere, puta togam, pallium, stolam. Contra vocabant *indumenta* vestes inferiores ut tunicam, dalmaticam, quæ magis corpori aptabantur.

(3) Ita qui apud Romanos valetudine erant debiliores jam ab antiquis utebantur hujusmodi panno seu « focali » quod, tempore imperii magis communiter adhibitum est, notatim a militibus qui non raro ad regiones septentrionales castra movere debebant : vide v. g. milites qui repræsentantur in columna Trajani aut arcu Septimii Severi. Vocabatur *focale*, *pallium*, *mappula*, *orarium*, *sudarium*.

(4) Focale adhibebant « recitatores » (*Mart.*, XIV, 142). S. Isidorus, *Etymolog.* l. IX, 25, describit « *anabolium* » tanquam *sindonem* seu panrum lineum quod in humeris imponere solebant mulieres.

(5) Cfr. A. Fortescue, *The vestments of the roman rite*, London, Cath. Truth Society, p. 8.

assumere amictum, qui in Ordine Romano I s. VIII numeratur inter vestimenta « liturgica » Romani Pontificis (1). Antiquiora testimonia non novimus.

Sed et diaconus et subdiaconus « se involvunt anagolagio circa collo » (2) quoties induunt dalmaticam aut tunicellam quæ erant albi coloris. Brevi autem, quod constat jam sæc. IX, tam Romæ quam extra Urbem, omnes — etiam clerici inferiores — qui albam induunt, assumunt amictum, qui ita videtur haberi ut *accessorium albæ*, forte ne alba, dalmatica aut casula maculentur (3).

III. **Usus et ornatus.** Primis temporibus amictum assumebant *post* albam et cingulum et « *collum* undique cingebant » (4).

Sed jam a sæc. X cœperunt amictum etiam *capiti* imponere et, assumptis ceteris vestimentis, demittere circa collum, ita ut appareret *tanquam collare* super casula aut dalmatica. A sæc. XII-XIII cœperunt hanc partem apparentem amictus ornare solidiori *parura* aut aurifrisio, ad instar paruræ quam solebant apponere oræ anteriori et posteriori albæ et extremitatibus manicarum. Qui usus toto medio perduravit, ut videre est v. g. in monumentis sepulchralibus aut in pulcherrimis tabulis a Van Eyck, Memlinc, Gerardo David aliisque depictis. Et nihil impedit quominus hujusmodi ornatus etiam hodie adhibeatur tam in amictu quam in alba. Imo est commendandus, modo cum casula conveniat.

In nonnullis ordinibus religiosis qui utuntur caputio,

---

(1) Ordo Romanus I, n. 6.

(2) Ita Ordo romanus quem e codice s. Amandi edidit L. Duchesne, *Origines du culte chrétien*, Append. I.

(3) Cfr J. Braun, *o. c.*, p. 26.

(4) Amalarius, *De eccl. offic.*, II, 17. Hujus praxeos vestigium permanet in officio pontificali, ubi presbyter assistens et diaconi ad honores — assumunt amictum *post* et supra rochettum, antequam pluviale vel dalmaticam induant. — Exinde originem ducere videtur insigne Romani Pontificis quod *fano* (fanone) dicitur, quodque in officiis solemnibus supra albam circa collum ponitur. Cfr J. Braun, *o. c.* p. 52 ss.

super hoc imponebatur amictus, ut cum caputio tegeret caput *ad modum bireti* et dimitteretur tantum infra missam. Imo in quibusdam ecclesiis sæcularibus tempore hiemali amictu tegebant caput usque ad præfationem.

Exeunte autem medio ævo, quum universim induceretur usus bireti, sponte rediit praxis primitiva ponendi amictum tantummodo circa collum et super humeros.

IV. **Usus et symbolismus.** Vestigia usus mediævalis nonnulla remanent, notatim in ordinatione subdiaconi, ubi episcopus amictum « imponit *super caput* singulis » ordinandis, dicens : « accipe amictum per quem designatur *castigatio vocis* ». Sicut amictus materialiter protegit organum vocis contra frigus et periculum morbi, ita spiritualiter debet usus vocis seu loquela moderari ne proferat verba iræ, malitiæ aut vanæ gloriæ, contra justitiam, caritatem, discretionem, etc.

Eodem modo præscribit rubrica *Ritus celebrandi*, I, 3, « amictum ponit *super caput* et mox declinat ad collum, et eo vestium collaria circumtegens... » Unde intelligitur formula dicenda « ad amictum, dum ponitur *super caput :* Impone, Domine, capiti meo *galeam salutis*, ad expugnandos diabolicos incursus ». Medio ævo varia indumenta liturgica interpretati sunt secundum symbolismum militarem, juxta quem amictus super caput positus habebatur ut galea, quæ caput protegit contra hostiles ictus. Significat igitur protectionem contra incursus diaboli. Et s. Paulus describens spiritualem armaturam christiani ait : « *galeam salutis* assumite » (Eph., VI, 17), quam, I ad Thessal., V, 8, explicat « galeam *spem salutis* », quia firma spes in salutem æternam dat robur et protectionem contra omnes diaboli tentationes.

V. **Hodie** in amictu non alius solet apponi *ornatus* quam *crux in medio*. Hæc juxta rubricam mox citandam adesse debet, propter osculum. Convenit ut non sit adeo parva ut solet esse, sed sit bene delineata et omnino visibilis. Apponi autem potest vel in medio partis supe-

rioris seu paruræ, si hæc adsit, vel in centro integri amictus.

Assumitur amictus quoties quis induet albam. « Primum accipiens amictum circa extremitates et chordulas, osculatur illud in medio, ubi est crux, et ponit super caput, et mox declinat ad collum, et eo vestium collaria circumtegens (1) ducit chordulas sub brachiis, et circumducens per dorsum, ante pectus reducit, et ligat » (*Rit. celebr.*, I. 3).

C. Callewaert.

(1) Curet sacerdos ut penitus tegatur collare vestis nigræ, quæ apparere non debet. Sed nulla est ratio ut amictus ita constringatur circa collum et infra albam, ut vix appareat. Præstare videtur ut magis libere et sinuose appareat collo circumvolutus.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis maii propositas.

—

I.

Fractio panis, de qua Act. Ap., XX, 7 et 11.

Q. *Quonam sensu intelligenda est* fractio panis *de qua* Act. Ap., xx, 7, *sicut et* fractio panis *et* gustatio *de qua ibidem*, v. 11? *Paucis responsum demonstra.*

R. Paulus est in tertio suo itinere apostolico, in reditu a Græcia, per Macedoniam, in Jerusalem. Pluribus eum præeuntibus, simul cum Luca, a Philippis venit Troadem, ibique per septem dies commoratur. Ultima dies ante profectum præcise est una sabbati, i. e. prima dies hebdomadæ, seu dies dominica. Vespere convenit Paulus cum sodalibus suis et christianis Troadensibus, *ad frangendum panem*. Quum autem die sequente sit profecturus, diu cum eis sermocinatur, usque ad mediam noctem. Quo momento accidit Eutychum, somno occupatum, de fenestra decidere in terram et a Paulo a morte resuscitari. Quo facto, redit Paulus in cubiculum, et (juxta græcum:) *postquam fregisset panem et gustasset*, diu eos denuo alloquitur, per reliquum noctis, et mane, omnibus illis peractis, proficiscitur. — Porro hanc fractionem panis et gustationem indubie intelligendam putamus confectionem et communionem ss. Eucharistiæ (1). Revera :

a/ De Eucharistiæ hunc locum explicant versiones

---

(1) Inutile erit addidisse, si de Eucharistia agitur, subintelligendam esse etiam consecrationem vini ejusque sumptionem.

antiquæ syriaca, arabica et æthiopica; item, præter alios multos antiquos — aliter tamen Chrysostomus — s. Augustinus et Venerabilis Beda, et inter recentes longe communius Catholici et multi Protestantes.

b/ Ipsa dictio *frangere panem* illud omnino suadet. Equidem hæc dictio de se non necessario Eucharistiam significat ; solita enim erat formula qua Judæi convivia aliasque refectiones designabant, a more quo, saltem in adjunctis solemnioribus, paterfamilias vel præses convivii panem benedicere eumque frangere (1) et inter convivas distribuere solebat. — Attamen eadem expressio in Novo Testamento ita de Eucharistia adhibetur ut h. l. *Act. Ap.* de eadem intelligenda omnino videatur. Etenim consequenter ad ritum quo Jesus, in ultima cœna Eucharistiam instituens, panem fregerat — ut referunt unanimiter Evangelia et Paulus (2), — christiani primitivi ejusdem Eucharistiæ celebrationem quasi formula technica, cui pro intellectu nihil erat addendum, nomine *fractionis panis* designaverant (3). Ita signanter ipse

---

(1) Apud Israëlitas panis, e farina cum aqua permixta compactus atque coctus, formam habebat placentæ oblongæ aut rotundæ eratque digito pollice crassus (*een duim dik*); quapropter non dissecabatur, sed frangebatur.

(2) *Mt.*, XXVI, 26; *Mc.*, XIV, 22; *Lc.*, XXII, 19; *I Cor.*, XI, 23.

(3) Quod alia loca N. T. spectat ubi de fractione panis occurrit mentio, dissentiunt auctores in eorumdem interpretatione. Ita *Lc.*, XXIV, 30-35, refertur Jesum coram discipulis Emmaus accepisse panem, et benedixisse illumque fregisse et porrexisse illis (v. 30), et discipulos Jesum agnovisse in fractione panis (v. 35) ; — *Act. Ap.*, XXVII, 35, refertur Paulum, dum in tempestate maritima in insulam Melitensem perventuri erant, sumpsisse panem, gratias egisse Deo in conspectu omnium, panemque fregisse et manducasse : utroque hoc loco non ita improbabilis, ut quidam volunt, videtur nobis sententia etiam hîc de Eucharistia agi ; — *Act. Ap.*, II, 46, refertur primos christianos, præterquam cultui judaico in templo assidui erant, præterea per domos fregisse panem : quem textum multo libentius de cultu specifice christiano, et signanter de Eucharistia audiremus ; — tandem *Mt*, XIV, 19; XV, 36; *Mc.*, VIII, 6 ; *Lc.*, IX, 16, refertur Jesum multiplicaturum panem cum fregisse ; quo loco non immerito forte cogitares Evangelistas ideo hanc retulisse Jesu actionem, quia hanc multiplicationem panum habebant qua symbolum Eucharistiæ.

Lucas, in iisdem *Act. Ap.*, II, 42, refert priscos christianos fuisse assiduos *fractioni panis*, i. e. Eucharistiæ ; — et Paulus, magister s. Lucæ, qui fuerat fundator ecclesiarum, tum Corinthiacæ tum Troadensis, tamquam formula ab omnibus intelligenda, Corinthios sic alloquitur : *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est* (*I Cor.*, X, 16)? Nonne obvium est hunc s. Lucam etiam h. l. fractionem panis quam a Paulo factam enarrat pro priscis illis christianis, eodem sensu intellexisse de celebratione Eucharistiæ ? — Et ipsi lectores, si ut historice certum est, tempore quo Actus Apostolorum conscribebantur, in usu erat Eucharistia, et si, ut ex *I Cor.* et ex ipsis *Act. Ap.*, II, 42 constat, eam fractionem panis vocabant, nonne obvie hanc narrationem de Eucharistia intelligere debebant ?

c/ Nihil, in tota narratione, vulgarem quamdam cœnam (1), aut solas agapas (2), ut quidam voluerunt, certo indicat. Contra plura omnino suadent de cœna eucharistica agi. Ita : Tota hæc scena locum habet *die dominica;* quæ dies pro Christianis locum sumpserat sabbati judaici; conventus ergo, de quo hîc agitur, sacer erat et liturgicus ; adeoque etiam fractio panis, quæ erat finis primarius et essentialis ad quem conventus fiebat (3), et ipsa

---

(1) Ita STEINMANN, *o. c.*, item BELSER tenent christianos Troadenses Paulo crastina die profecturo parvo quodam convivio voluisse valedicere.

(2) *Agapæ* intelliguntur illa convivia communia quæ primi christiani sumere solebant, sive conjunctim cum celebratione Eucharistiæ, sive etiam sejunctim. Hoc nomine, ἀγάπη, vocabantur quia erant convivia fraterna et quia christiani ditiores in iis pauperioribus providebant. — Hujusmodi convivia exstitisse, contra sententiam communem, multis impugnavit Ill. BATIFFOL, in *Dictionnaire de Théologie catholique* (VACANT), v° *Agapes*, et in *Etudes d'Histoire et de Théologie positive*, 1er série.

(3) Voluerunt quidam non fractionem panis de qua hîc dicitur, sed prædicationem Pauli partem essentialem cœtus christiani constituisse. Ita SCHERMANN, *Biblische Zeitschrift*, 1910, p. 170 ; STEINMANN, *Die Apostelgeschichte*, Bonn, 1916. Ast plane immerito. Cœtus, ut explicite dicitur, fit ad frangundum panem (v. 7); et bene notatur prædicationem

sacrum erat et liturgicum convivium. — Cui accedit quod ex antiquissimis documentis novimus priscos christianos die dominica ad Eucharistiam sumendam convenire solitos fuisse (1) — Præterea nota cœtum ad fragendum panem locum habere *vespere*.: jamvero novimus cœnam eucharisticam, sicut primum a Christo, ita et per priora Ecclesiæ tempora, vespere celebratam fuisse. — Addunt quidam in hypothesi agi de Eucharistia, non vero de convivio quodam alio, multo melius intelligi aliquem fenestræ insidere, et tam copiosis lampadibus cœnaculum illuminari. — Tandem, si vere, ut statim dicetur, fractio panis et gustatio de qua v. 11, eadem est ac illa de qua hoc v. 7, — an obvium est cogitare Paulum Troadenses — vel vicissim — invitasse ad convivium aliquod, illudque convivium non sumi nisi media nocte? Contrà tale quid facile intelligitur de cœna eucharistica.

Ex hisce omnibus indubium videtur v. 7 esse de Eucharistia intelligendum; quod autem spectat v. 11,

---

Pauli esse accidentalem: si loquitur Paulus, et quidem usque ad mediam noctem, ratio est quia cras profecturus est (v. 7); et eodem motivo, ut manifestum est, adducitur ad diu eos alloquendum, usque in lucem, nimirum usque dum profisciscatur (v. 11). « La prédication prolongée de Paul à Troas est tout aussi accidentelle que la chute d'Eutyque » (Rongy, *Rev. eccl. de Liége*, 1920-21, p. 363).

(1) Testis audiatur s. Justinus qui circa a. 140 post Christum hæc scripsit, in *Apologia prima*, n. 67: « Ac solis, ut dicitur die, omnium sive urbes, sive agros incolentium, in eumdem locum fit conventus, et commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde ubi lector desiit, is qui præest admonitionem verbis et adhortationem ad res tam præclaras imitandas suscipit. Postea omnes simul consurgimus, et preces emittimus. Et... ubi desiimus precari, panis affertur et vinum et aqua; et qui præest preces et gratiarum actiones totis viribus emittit, et populus acclamat *Amen*. Et eorum in quibus gratiæ actæ sunt (*τῶν εὐχαριστηθέντων*, i. e. *panis et vini consecratorum*) distributio fit et communicatio unicuique præsentium, et absentibus per diaconos mittitur ». (Beelen, *Com. in Act. Ap.*, ad h. l.). — Et *Didache* (a. 80-90), c. 14: « Die dominica autem convenientes frangite et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum ».

ubi iterum de fractione panis quæstio fit et insuper de gustatione, iterum indubium videtur fractionem panis hoc v. 11 eodem sensu esse intelligendam ac v. 7 : etenim convenerant ad frangendum panem ; Paulus cœtum incœpit prædicando longiusque suum sermonem protraxit, et resuscitavit Eutychum, occasione illius longioris sermonis casu occisi ; et nunc, cum jam media nox est, antequam Paulus iterum pergat loqui, panem frangit : quid aliud facit quam eam fractionem de qua v. 7 dictum fuerat ? — Quod vero *gustationem* spectat (1), illa certe intelligenda videtur in relatione ad fractionem panis statim memoratam, ita ut sensus sit : sacram communionem percipere eamque aliis communicare.

A. Vander Heeren.

II.

De numero et distinctione angelorum.

Q. *Quid docet revelatio, quid tenendum proponit Ecclesia de numero et distinctione angelorum ?*

R. — 1/ Quod *numerum* spectat angelorum, quos nunc intelligimus angelos bonos (2), novimus ex testimonio Scripturæ sacræ hunc esse *ingentem* (3) atque hanc doctrinam communi consensu proponunt etiam ss. Patres, qui in diversas tamen abeunt sententias, ubi hunc numerum pressius definire conantur, relate præsertim ad numerum hominum.

Ita quidam tenent angelos esse numero multo majores hominibus (4) ; alii vero, vel etiam iidem aliis in locis,

---

(1) *Gustare*, γεύω, potest quidem significare *saporem explorare*, — sed etiam *cibum capere* ut *Act. Ap.*, x, 10 ; xxiii, 14.

(2) De angelis malis seu lapsis hinc inde quædam in notis subjungimus.

(3) Cfr *Dan.*, vii, 10; *Lc.*, ii, 13 s.; *Mt.*, xxvi, 53; *Hebr.*, xii, 22; *Apoc.*, v, 11 etc. — Quoad angelos malos vide *Mc.*, v, 9.

(4) Sic s. Hilarius, *In Mt. comm.*, xviii, 6 (MPL, IX, 1020) ; s. Ambrosius, *Expos. evang. s. Luc.*, vii, 15 (MPL, XV, 1756);

propugnant tot fore homines quot sunt angeli (1); alii tandem, propter textum Apocalypsis (2), opinantur tertiam partem angelorum cecidisse et electos locum eorum esse obtenturos (3).

Unde satis constat fide certum esse, utpote revelatum, quamplurimos esse angelos; nihil aliud certi revelatione noscitur, neque Ecclesia quidpiam in hac materia definivit (4).

2/ Quod *distinctionem* angelorum attinet: *a*/ certo scimus angelos esse inæquales seu constituere *diversos ordines*, quandoquidem hæc veritas aperte docetur in sacris litteris, quæ loquuntur de principibus primis angelorum (5), de archangelis (6) et imo diversos angelorum ordines enumerant (7).

Consonat traditio oralis universa; unde hoc etiam fide certum est, sed nunquam aut nullo modo definitum (8).

b/ Quoad distinctionem ulteriorem in *novem ordines* seu novem choros, hæc certo fundamentum habet in sacra pagina, in qua hæc novem nomina recurrunt: seraphim,

---

s. Cyrillus hieros., *Catech.* xv, 24 (MPG, XXXIII, 904); s. Augustinus, *Coll. cum Max.*, 9 (MPL, XLII, 727) etc et cfr s. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 50, a. 3, c., ubi ostendit hoc esse rationabile.

(1) Ita s. Hilarius, *Tract. super Psalm.* ii, 31; lxi, 2 (MPL, IX, 280, 396).

(2) *Apoc.*, xii, 4.

(3) Ita rursus s. Hilarius, *In Mt. comm.*, xviii, 6 (MPL, IX, 1020) et s. Augustinus, *Enchir.*, 29 (MPL, XL, 246); *De civ. Dei*, xxii, 1 (MPL, XLI, 751).

(4) Revelatione novimus tria nomina angelorum: Gabriel seu « fortitudo Dei » (*Dan.*, viii, 16; ix, 21 et *Lc.*, i, 19, 26); Michael, id est « Quis ut Deus » (*Dan.*, x, 13; xii, 1; *Judae*, 9; *Apoc.*, xii, 7); Raphael seu « medicina Dei » (*Tob.*, iii, 25). Alia quædam nomina, ut Uriel, Raguel etc., reperiuntur in libris non canonicis aut apocryphis, ut in lib. IV Esd. et præsertim in libro Henoch.

(5) *Dan.*, x, 13.

(6) *1 Thess.*, iv, 16; *Judæ*, 9.

(7) *Ephes.*, i, 20; *Coloss.*, i, 16 et cfr *I Pet.*, iii, 22.

(8) Ita et in angelis malis datur principatus, uti multis locis s. Scripturæ liquet, ut puta *Mt.*, xii, 24; *Lc.*, xi, 15 et cfr *Mt.*, xxv, 41 necnon *Lc.*, ix, 18.

cherubim, throni, dominationes, virtutes, potestates, principatus, archangeli, angeli (1).

Attamen tale argumentum non est peremptorium, nam impossibile non est, quum ista nomina nullibi simul omnia reperiantur, ut idem ordo diversis in locis diversis nominibus designetur, uti jam observat s. Augustinus (2); insuper Scriptura sacra alios ordines expresse non excludit et censet s. Hieronymus esse reapse alios ordines, quos s. Paulus non enumerat et quos nescimus (3).

Unde obvium jam est non unam esse ss. Patrum sententiam de numero horum ordinum (4): quidam, uti s. Basilius, enumerant tantum quinque ordines (5); alii, ut s. Irenæus tenent esse septem (6); quodam loco s. Augustinus ponit octo (7); in quibusdam documentis antiquioribus reperiuntur etiam decem vel undecim (8). S. Ambrosius novem angelorum choros novit; ita pariter s. Cyrillus hierosolymitanus et quidem secundum liturgiam ecclesiæ suæ; sic etiam s. Joannes chrysostomus et s. Gregorius magnus duobus in locis; ita adhuc Ps.-Dionysius, qui maximum influxum in hac materia exercuit et quem scholastici communiter secuti sunt (9).

---

(1) Lege *Is.*, VI, 12; *Gen.*, III, 24 et *Ezech.*, X, 1 s.; *Ephes.*, I, 21; *Coloss.*, I, 16; *I Thess.*, IV, 16; *I Pet.*, III, 22.

(2) S. AUGUSTINUS, *Enchir.*, 58 (MPL, XL, 259).

(3) S. HIERONYMUS, *Comm. in Ephes.*, I, 21 (MPL, XXVI, 461).

(4) Cfr PRAT, *La théologie de s. Paul*, II. Note P. Anges et démons, p. 500 s., Paris, 1923[8] et G. BAREILLE, *Angélologie d'après les Pères*, apud *Dict. Théol. cath.*, I, 1208 s.

(5) S. BASILIUS, *De Spir. sancto*, 38 (MPG, XXXII, 136).

(6) S. IRENÆUS, *Adv. hær.*, II, 30, 6 (MPG, VII, 818).

(7) S. AUGUSTINUS, *Coll. cum Max.*, 9 (MPL, XLII, 727).

(8) *Constit. apost.*, VIII, 12 (MPG, I, 1093 et 1101); cfr etiam s. GREGORIUS NAZ., *Oratio* XXVIII, 31 (MPG, XXXVI, 72).

(9) S. AMBROSIUS, *Apol. proph. David*, 5 (MPL, XIV, 900); s. CYRILLUS HIEROS., *Catech.* XXIII [V], 6 (MPG, XXXIII, 1113); s. JOANNES CHRYS., *In gen. hom.* XV, 5 (MPG, LIII, 41); s. GREGORIUS MAGNUS, *Moralia*, XXXII, 23, 48 et *In evang. hom.* XXXIV, 7 (MPL, LXXVI, 665 et 1249 s.); DIONYSIUS AREOP., *Cœlest. hierarch.*, VI-IX (MPG, III, 200 s.).

Eamdem enumerationem recepit Ecclesia in liturgiam suam (1), adeoque hæc sententia de numero novenario, licet nullatenus fide certa, apparet tamen, utpote in sacris litteris rationabiliter fundata, atque vetusta jam traditione, necnon publica Ecclesiæ agnitione commendata, satis venerabilis, ut temere nunc non deseratur (2).

c/ Tandem, juxta Ps.-Dionysium, novem ordines angelorum subdividuntur in *tres hierarchias*, ut sequitur : 1. seraphim, cherubim, throni; 2. dominationes, virtutes, potestates; 3. principatus, archangeli, angeli.

Hæc est sententia probabilis, nixa tamen solummodo speculationibus theologicis, quas apud s. Thomam breviter expositas reperire est (3).

H. Lamiroy.

III-IV.

De impedimento criminis.

Q. III. — *Quænam conditiones requiruntur ut impedimentum criminis oriatur ex conjugicidio solo?*

R. — Can. 1075, 3° statuitur : « valide contrahere nequeunt matrimonium .... qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio mortem conjugi intulerunt ». Itaque postulatur:

1/ *Veri* conjugis occisio.

---

(1) Ita in antiph. ad vesp. in festo omnium sanctorum et observa ordinem inter choros non eumdem esse, quem apud ss. Patres reperimus; hi ceteroquin nec inter se consentiunt de hoc ordine; quinimmo s. Gregorius, qui bis omnes choros recitat, non retinet in utroque loco eamdem enumerationem; nihil certi constat etiam Scriptura, quæ diversimode diversis in locis choros angelorum ordinat.

(2) Cfr Janssens, *Sum. theol.*, VI. *Tract. de Deo creatore et de angelis*, p. 905 s., Frib. Br., 1905.

(3) S. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. 108, a. 1 et 2. — Omittimus disputationem scholasticam *quomodo* distinguantur angeli ab invicem, de qua lege *Sum. theol.*, I, q. 50, a. 4, c. et *Sum. contra Gentiles*, II, 93; item *quomodo* veniant intelligendi ordines diversi, utrum ex perfectionibus, an ex ministeriis diversis, atque de hisce vide *Sum. theol.*, I, q. 108, a. 5, c.; in quæstione seq. 109, a. 1 et a. 2, quædam addit s. Thomas de ordinibus et prælatione malorum angelorum.

Ob defectum hujus conditionis, impedimentum non contrahitur si matrimonium *putativum* occisione solvitur vel si, per errorem, loco conjugis alia persona trucidatur.

2/ *Mutua* opera.

a/ Oportet ut *utraque* pars in necem noti conjugis influat: si una occisionem perpetret et altera scelus *peractum* læta approbet, non incurritur impedimentum quia hæc pars nullum influxum sive physicum sive moralem in cædem exercuit. Quodsi non tantum interne sed etiam externe *peragendum* conjugicidium approbaret et hac agendi ratione ad scelus patrandum compartem efficaciter moveret, impedimentum contraheret. Attamen, hujusmodi approbationis efficacia non est facile admittenda (1). Aliquando impedimentum erit facto dubium, ob dubiam cooperationem moralem.

Non obstat plures fuisse complices, dummodo illa persona quacum conjugicida matrimonium inire intendit in machinatione partem habuerit.

b/ Oportet ut mors *communi consilio* machinetur, ita ut sint veri complices. Non sufficit itaque ut independenter et separatim agant (2). Hinc, si alteruter inscio altero in mortem influat, quamvis uterque forsan mortem provocet, non contrahitur impedimentum.

c/ Requiritur ut conjugicidium *perfectum* sit ex parte causæ et effectus.

Nimirum, oportet ut actus ponatur qui sit de se sufficiens ad mortem causandam et qui de facto eam provocet (3), utque ambo conspirando partem in crimine habeant, sive præstita opera *physica:* communi consilio partem habendo in trucidatione, adjuvando vel medium præstando, quamvis lethale vulnus a tertio forsan complice inferatur; sive præstita opera *morali* efficaci: puta quando una pars alteram efficaciter movet ad lethalem

---

(1) Cfr Cappello, *o. c.*, n. 495.
(2) Cfr Desmet, *o. c.*, II, n. 663.
(3) Vide *supra*, p. 236.

ictum feriendum vel utraque pars tertium adducit ad facinus perpetrandum.

Si mandatum vel consilium ab una parte revocatur idque tempestive complici exequenti innotescit, cessat cooperatio requisita et impedimentum non oritur.

3/ *Intentio* ineundi matrimonium cum complice, vel, si plures sint, cum uno ex eis.

Hujus conditionis necessitas deducitur ex fine legis impedimentum statuentis ne spe matrimonii conjux conjugem interficiat. Adverte tamen, si intentio fuit ineundi nuptias, non cum complice occisionis, sed cum alia persona, impedimentum non existere. Quare, si Titius communi consilio cum Caïa occidit uxorem suam ut Caiæ filiam ducat, hujusmodi crimen non obstat valori matrimonii intenti.

Plures, fine legis inspecto, merito requirunt ut intentio hæc comparti complici ante cædem manifestetur; quare, in defectu hujus manifestationis, impedimentum ob dubium juris non urget.

Practice, prædicta intentio fere semper exprimitur vel saltem sufficienter intelligunt complices sese scelus perpetrare ut, rupto morte vinculo existente, nuptias inter se inire queant. Quamobrem, in foro externo præsumitur hujus conditionis verificatio si constat de mutua machinatione mortis, præsertim si paulo post matrimonium præparatur inter complices. In foro autem interno, satis eruitur dicta intentio ejusve manifestatio ex litteris amatoriis vel similibus indiciis conjugicidio præviis.

Communis fere sententia negat intentionem contrahendi matrimonium in utroque complice requiri, dummodo intentio unius alterum non lateat (1).

Q. IV. — *Quomodo multiplicatur criminis impedimentum?*

Uti vidimus quattuor dantur criminis species : 1ª constat

---

(1) Varii auctores citantur apud CAPPELLO, *o. c.*, n. 497-498; DESMET, *o. c.*, n. 663.

ex adulterio et promissione matrimonii, 2ª ex adulterio et attentatione matrimonii, 3ª ex adulterio et conjugicidio, alterutro machinante, 4ª ex conjugicidio, utroque machinante.

Tres priores species inadæquate distinguuntur, similiter et duæ posteriores. Id tamen non impedit quominus impedimentum multiplicetur. Imo, sufficit ut adulterium, quod in tribus prioribus speciebus est elementum commune, semel tantum committatur, dummodo reliqua elementa, promissio, attentatio aut conjugicidium, criminosa existant respectu vinculi quod prædicto adulterio violatur.

Sunt qui negant aut videntur negare duplex dari impedimentum in concursu 3ᵃᵉ et 4ᵃᵉ speciei, in casu scilicet adulterii utrique parti noti et conjuncti cum conjugicidio mutua opera patrato (1). Dantur etiam controversiæ circa multiplicationem impedimenti in aliis quibusdam circumstantiarum concursibus Quare in dispensatione petenda non tam solliciti simus oportet de indicando numero impedimentorum, quam de clara et distincta expositione omnium circumstantiarum. Hisce præmissis :

R. 1/ Multiplicatur impedimentum secundum varias criminis *species* quæ verificantur respectu *alterutrius* partis *matrimonii*.

Dicimus secundum varias *species* criminis, non autem juxta *numerum* ejusdem speciei criminum. Non enim multiplicatur impedimentum eodem crimine circa idem matrimonium pluries commisso, puta, adulterio et promissione matrimonii sæpius repetitis.

Ex hoc capite, si adulterio successive conjungitur promissio matrimonii, ejusdem attentatio et conjugicidium, triplex illico constituitur impedimentum, imo quadruplex, ut censemus, casu quo conjugicidium utroque machinante esset patratum (2).

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XII (1907), p. 402.
(2) Cfr Desmet, *o. c.*, n. 666.

2/ Multiplicatur impedimentum prout variæ species criminis verificantur circa alterutrius partis *matrimonia*, forsan successive contracta.

Ita, si Caius conjugatus adulterium committit cum Caïa eique matrimonium pollicetur, postea autem, defuncta uxore, Titiam ducit et durante hoc secundo matrimonio iterum cognoscit Caïam eique nuptias promittit, duplicatur impedimentum.

Hinc, concurrentibus 4 speciebus, posset theoretice loquendo, impedimentum multiplicari quater, octies et amplius, prout alteruter nupturientium olim semel, bis vel multoties matrimonium contraxerit.

3/ Multiplicatur impedimentum juxta varias species criminis quæ verificantur circa *utriusque* partis matrimonium vel matrimonia, successive contracta. Et sic duplicari adhuc posset numerus impedimentorum sub 2 traditus, dummodo alter alterius statum matrimonialem noverit.

V. Coucke.

V.

De indulgentiis acquirendis.

Q. *Breviter explica can. 935 circa commutationem piorum operum ad indulgentias lucrandas præscriptorum.*

R. Pauca prænotamus circa historiam commutationis in conditionibus ad lucrandas indulgentias præscriptis (1).

Decretum s. Congregationis Indulgentiarum 18 septembris 1862 statuit ut christifideles *habitualiter infirmi*, chronici, ob *physicum* permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes, *exceptis* tamen *illis qui in communitate morantur*, acquirere possint omnes et sin-

(1) Cfr A. Blat, O. P. *Commentarium textus codicis juris canonici*, L. III, de rebus. Pars I, de sacramentis. Romæ 1924, p. 337; Génicot-Salsmans, *Institutiones theologiæ moralis*, 1920, t. II, p. 369, n. 404; M. Lecler, apud *Collat. Namurc.*, 1924, p. 158; A. Schaepman, apud *Nederlandsche katholieke stemmen*, 1920, p. 370 sq.; Vermeersch-Creusen, *Epitome juris canonici*, t. II, p. 127, n. 221.

gulas indulgentias *plenarias* jam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione præscripta sit s. communio et visitatio alicujus ecclesiæ vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo vere pœnitentes confessi ac ceteris omnibus absolutis conditionibus, si quæ injunctæ fuerint, *loco s. communionis et visitationis* alia pia opera a respectivo confessario injungenda fideliter adimpleant (1).

Decretum ejusdem congregationis 16 januarii 1886 sancit ut *infirmi* aut *senio confecti in communitate* et sub regula viventes, qui ecclesias aut oratoria visitare *aliave* pro indulgentiis *præscripta* exsequi non possunt, indulgentias nihilominus lucrari valeant, adimplendo alia pia opera confessarii arbitrio præscribenda (2). Idem autem decretum denegat .confessario facultatem commutandi visitationem ecclesiæ in aliud opus, in casu ubi non physicum sed *morale* impedimentum adsit visitandi aliquam ecclesiam, v. g. regularium aut parœcialem, quæ de jure visitanda foret (3).

Decretum tandem ejusdem congregationis 16 julii 1887 (4), extendens decretum Clementis XIII, 2 augusti 1760, benigne concedit 1° ut *confratres* et *sorores* uniuscujusque *confraternitatis*, seu sodalitii aut congregationis ubique locorum existentis canonice erectæ, aliqua corporis *infirmitate laborantes*, aut *carceribus detenti*, iisdem omnibus et singulis indulgentiis quibus ceteri gaudent confratres et consorores, gaudere valeant, dummodo, omissa *visitatione ecclesiæ* fere semper præscripta, alia pia injuncta opera quæ pro viribus peragere possunt, fideliter ac devote exsequantur (5), quin jam requiratur specialis recursus cujusque confraternitatis aut sodalitii ad s. Sedem ad hanc gratiam obtinendam. 2° Præterea

---

(1) Cfr *Decr. authent.*, n. 393.

(2) Decretum citatum, ad II. Cfr *Nouvelle revue théologique*, t. XVIII, p. 339 sq.

(3) Idem decretum, ad III. Cfr *ibidem*. Hæc pars decreti jam non spectat solos eos qui in communitate et sub regula vivunt, sed omnes generatim fideles.

(4) Nimirum ad II et ad III. Cfr *Acta Sanctæ Sedis*, t. XX, 1887, p. 108 ss.

(5) Cfr decretum s. Cong. Indulg. 20 augusti 1887. Cfr *Acta Sanctæ Sedis*, t. XX, p. 207 sq.

concedit ut cum confratribus et sororibus detentis *alio legitimo impedimento*, judicio discreti confessarii dignoscendo, commutari possit ab eodem confessario visitatio ecclesiæ in aliud pium opus (1). Concessio autem supradicta valet tantum pro impeditis quoad visitationem ecclesiæ, non vero pro impeditis quoad aliquam aliam conditionem præscriptam (2).

Ex dictis apparet facultatem commutandi pedetentim fuisse extensam : hujus autem evolutionis terminus et coronis est canon 935 quem nunc breviter explicamus. Sic sonat : « *Pia opera ad lucrandas indulgentias injuncta, confessarii possunt in alia commutare pro iis qui legitimo detenti impedimento, eadem præstare nequeant* ».

Pia opera quælibet *injuncta* quæ quis præstare nequit, sive visitatio, sive communio, sive preces (3), sive talis vel talis habitus corporis præscriptus, sive plura simul, commutari possunt, attenta tamen restrictione infra facienda.

Injuncta ad lucrandas indulgentias sive plenarias sive partiales. Unde nulla ratio existit excludendi ab hac facultate commutandi indulgentiam plenariam totiesquoties portiunculæ.

Confessarii seu sacerdotes approbati ad audiendas confessiones hac commutandi facultate gaudent relate ad omnes personas quarum confessionem hic et nunc audire possent. Adverte tamen in textu non requiri ut in actu confessionis hæc facultas exerceatur : unde commutatio a confessario fieri potest etiam extra actum confessionis sacramentalis.

---

(1) Adverte discrimen inter utramque concessionem : infirmi et captivi non indigent commutatione confessarii, sed ab ipsa s. Sede dispensantur in visitatione; aliis vero impedimentis detenti debent a confessario commutationem visitationis obtinere.

(2) Cfr decretum citatum ad III, 2°.

(3) Quod preces attinet, canon 934, § 3, qui pro omnibus valet, in pluribus casibus difficultatem tollit, ubi statuit : « *Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis cum socio recitare, aut mente eam prosequi, dum ab alio recitatur* ».

Possunt in alia commutare : non ergo possunt dispensare, sed debent confessarii opera injuncta commutare in alia opera moraliter æquivalentia, attentis scilicet viribus personæ quæ commutatione indiget (1).

Pro iis qui legitimo impedimento detenti, eadem præstare nequeant: unde quodvis impedimentum sive physicum sive morale, transitorium aut permanens, ex quo fit ut, judicio discreti confessarii, aliquod opus præscriptum præstari nequeat, impossibilitate physica vel morali (2), ratio sufficiens est confessario ad utendum sua commutandi facultate, sive ad actum aliquem particularem, sive etiam pro tempore quo impedimentum perseverat

Limitatio hujus facultatis commutandi. — Si unice textus canonis citati inspiciatur, nulli limites huic facultati assignantur. Atvero hanc facultatem commutandi duplici titulo restringendam esse haud dubium est, 1° scilicet, *ex expressa restrictione* ab auctoritate ecclesiastica imposita : ita quoad conditiones ad jubilæum Romæ lucrandum s. Sedes accurate delineavit facultatem commutandi confessariorum (3) ; 2° *ex ipsa natura rei :* oportet nimirum ut objectum seu causa indulgentiæ, seu ratio propter quam indulgentia conceditur, substantialiter servetur: ideo usus crucifixi specialiter ad hoc benedicti ut reali visitationi viæ crucis suppleri

---

(1) Hæc substitutio aliorum operum moraliter æquivalentium relinquitur prudenti judicio confessarii, qui, utpote in re favorabili, non erit scrupulosus circa hanc æquipollentiam, sed moraliter et benigne æstimabit quid personæ impeditæ possibile sit.

(2) In æstimanda gravitate impedimenti non debet confessarius nimia uti severitate cum favores sint ampliandi. Unde immerito exigit Blat, *o. c.*, p. 337 tantum impedimentum « quod a norma præceptiva excusaret ».

(3) Hanc determinationem quam etiam pro privilegiatis qui hoc jam anno extra Urbem jubilæum lucrari possunt applicandam censuimus, invenies apud *Collat. Brugen.*, hoc tomo, p. 80 sq. Quod autem visitationes spectat ab episcopo illis privilegiatis præscriptas, confessarii possunt eas cum impeditis commutare in alia opera pietatis aut misericordiæ, juxta statum et vires uniuscujusque pœnitentis pro circumstantiis loci ac temporis.

possit, non posset commutari in aliud pium opus; similiter quotidiana s. Communio sacramentalis propter quam singulis hebdomadis indulgentia plenaria communicari potest, non posset commutari in alia pia opera (1); ideo etiam, ut videtur, restringenda est facultas commutandi ad indulgentias quæ in ipso loco obtineri possunt (2).

Nota. Iterum in fine attentionem lectoris provocamus ad peculiarem concessionem supra relatam, in favorem membrorum confraternitatum etc infirmitate aut captivitate detentorum, qua nimirum sine commutatione confessarii possunt omnes indulgentias obtinere quas cetera membra lucrari possunt, quin debeant visitationem ad hoc præscriptam instituere.

A. LEGRAND.

VI.

De portione parœciali.

Q. *Quid est portio parœcialis? Quandonam debetur?*

R. I. — Notio portionis parœcialis.

Portio parœcialis apte definitur certa pars proprio defuncti parocho solvenda ex emolumentis quæ, occasione funerum legitime celebratorum, obvenerunt ecclesiæ funeranti, a propria defuncti ecclesia distinctæ (3).

---

(1) Cfr VERMEERSCH-CREUSEN, *l. c.*

(2) Cfr GÉNICOT-SALSMANS, *l. c.*, et BLAT, *l. c.* Itaque non posset quis in propria manens regione lucrari indulgentias adnexas v. g. peregrinationi Hierosolymitanæ aut Compostellanæ, obtenta commutatione itineris in alia opera. Hæc ceterum restrictio enuntiatur in decret s. Cong. Indulg. 18 septembris 1862 supra relato.

(3) Cfr MOULART, *De Sepultura et cœmeteriis*, Lovanii, 1862, p. 244; MANY, *De locis sacris*, Parisiis, 1904, p. 320; DE BRABANDERE-DE MEESTER, *Compendium juris canonici*, ed. 8ª, t. II, Brugis, 1915; *Collat. Brugen.*, t. V, p. 463; *Collat. Namurc.*, t. XI, p. 279. — Quoad auctores qui de hac re post codicem scripserunt, cfr MATTHÆUS A CORONATA, *De locis et temporibus sacris*, Taurini, 1922, p. 253; COCCHI et BLAT, in commentariis suis ad can. 1236 sqq., et præsertim confer ea quæ optime exposuit F. CLAEYS-BOÜUAERT in *Collat. Gandav.*, t. X, p. 85.

Hæc portio, quæ in novo codice vocatur *portio parœcialis*, antiquissimæ est institutionis in Ecclesia, diversisque appellata est nominibus, in ecclesiasticis documentis: modo *portio canonica*, quia per sacros canones instituta; modo *quarta parochialis*, quia parocho defuncti debita (1); modo *quarta funeralis*, vel *quarta portio*, vel *quarta pars*, quia sæpius olim in documentis statutum est et consuetudinibus particularibus confirmatum est, ut quarta emolumentorum pars solveretur (2); modo *justitia*, quia ex æquitate, in justam sollicitudinis pastoralis compensationem instituta est (3).

Ut *ratio et fundamentum* hujus portionis pateat, oportet præ oculis habeatur cura quam Ecclesia semper habuit ut tum parochorum jura in sepulturam parœcianorum, tum fidelium libertas in sepultura eligenda rite salvarentur.

Antiquitus enim jam admissum erat parochum proprium, qui parœcianum suum cœlesti sacramentorum et doctrinæ pabulo refecit, jus habere ad peragendas parœcianorum suorum exsequias, et consequenter ad emolumenta, quæ hac occasione solvuntur. Ideoque de *jure ordinario* corpora fidelium sepelienda sunt in propriæ parœciæ cœmeterio, postquam cœremoniæ liturgicæ in eorum animæ refrigerium in ecclesia parœciali peractæ fuerint (4).

At, favens fidelium libertati Ecclesia semper benigne annuit, ut rationabili de causa et in casibus particularibus huic regulæ generali derogaretur. Ne tamen parochus juribus suis frustraretur simul statuit Ecclesia, ut tunc generatim compensatio fieret parocho proprio, nam, ut aiunt Decretales: « cum dignus sit operarius mercede

---

(1) Cfr Reiffenstuel, *Jus canonicum universum*, t. III, ad tit. *de sepulturis*, x, III, 28.

(2) C. 8 et 10, x, *de sepulturis*, III, 28; c. 2, *de sepulturis*, III, 7, in Clem.; *Conc. Trid.*, sess. 25, de ref., c. 13, et varii decretalistæ ad hæc loca.

(3) Cfr *Collat. Gandav.*, *l. c.*, p. 85.

(4) Can. 1216, § 1; *Conc. Mechl.*, n. 216, 10.

sua, æquum est, si parœcianus extra parœcialem ecclesiam legitime funeretur, ut aliqua bonorum pars quæ hac occasione alienæ ecclesiæ obveniunt, ecclesiæ propriæ defuncti in compensationem tribuantur » (1).

II. — Quandonam debetur portio parœcialis ?

1/ *Conditio generalis* est, ut ecclesia funerans exsequias vel tumulationem alieno parœciano *legitime* procuraverit. Si enim hoc factum sit *illegitime*, sive bona sive mala fide, parochus proprius non modo portionem parœcialem sed integram emolumentorum summam occasione hujusmodi funerum perceptam sibi vindicare potest (2).

2/ *Legitime* vero agit ecclesia aliena :

a/ Quando defunctus ipsam ut ecclesiam funeris, ejusve cœmeterium ut locum sepulturæ *elegit*. Haec tamen electio ad normam can. 1226 debite est probanda, ita ut constet eam a defuncto vel ab ejus legitimo mandatario, non vero ab hæredibus ejusve familia fuisse factam ;

b/ Quando « defunctus in ecclesia aliena ejusve cœmeterio *sepulcrum majorum* possidet, non electa alibi sepultura, et simul illuc commode asportari potest » (3) ; et etiamsi translatio non est commoda adhuc « integrum est familiæ vel hæredibus cadaver illuc transferre et ibidem sepulturam postulare » (4).

c/ Quando canonicus vel alius clericus ecclesiæ cathedrali vel collegiatæ addictus, in ecclesia sui beneficii (quæ, ut patet, non est simul sua parœcia) funus recipit vel in sepulcro canonicis aut prædictis clericis reservato sepelitur. Ratio est quia tale sepulcrum consideratur ut sepulcrum majorum in ordine spirituali ac collegiali.

Tunc ex praxi constanti S. C. Concilii regulariter est

---

(1) C. 2, *de sepulturis*, III, 7, in Clem.

(2) Auctores tamen, nitentes variis decisionibus S. C. Concilii, passim notant quod si parochus bona fide egerit, expensæ ipsi sint resarciendæ ex æquitate. Cfr CLAEYS-BOÜUAERT, *l. c.*, p. 86; LECLER, *l. c.* p. 281 ; MANY, *o. c.*, p. 323.

(3) Can. 1229, § 1.

(4) Can. 1218, § 3. Infra explicabitur extensio hujus juris.

solvenda portio parocho domicilii (1), at sæpesæpius jus particulare statuit in hoc casu nullam portionem deberi, uti ex conventione apud nos evenit.

d/ Quando quis parœcianus sibi funera vel supulturam elegit in oratorio intra limites parœciæ sito et a jurisdictione parochi non exempto, v. g. in oratorio confraternitatis aut in ecclesia filiali quæ a parœcia dependet (2).

e) *Probabiliter* etiam quando agitur de *vago*, qui sibi sepulturam elegit vel sepulcrum majorum habet in parœcia diversa ab ea in qua vitam obiit, in qua ergo de jure ordinario esset sepeliendus (3).

III. — Quandonam non debetur portio parœcialis?

1/ Contra opinionem olim generatim propugnatam, can. 1236, § 1 nunc expresse statuit portionem non deberi si parœcianus, qui extra suam parœciam mortuus est, in ecclesiam propriæ parœciæ commode asportari nequeat. Tunc enim hæredes *possunt* petere ut funus et sepultura in hac decessus parœcia peragantur ; et si fecerint, nulla debebitur portio parocho proprio.

Criterium quo dignosci valeat cadaver commode posse asportari partim subministratur in can. 1218, § 1 ubi commoda translatio ex relatione cum *pedestri itinere* desumitur. Quum autem hujus incommoditatis æstimatio

---

(1) Cfr Benedictus XIII, in const. *Romanus Pontifex*, 4 kal. maii, 1725, § 4; Many, *o. c.*, p. 322; Matthæus a Coronata, *o. c.*, p. 253; *Collat. Gandav. l. c.*, p. 86.

(2) Ita varii auctores supra citati.

(3) Dico « *probabiliter* ». Etenim circa hoc punctum controversia inter auctores exstabat in antiquo jure, atque hæc a novo codice directe non dirimitur. Sententiæ affirmanti tamen nova subsidia præbet codex, ita ut cum aliis, ut Claeys-Boüuaert, *l. c.*, p. 87, censeamus nunc dari certa argumenta ad vindicandum portionem esse debitam parocho in cujus parœcia vagus decessit, casu quo in parœcia ab ea diversa funeratur. Ex can. enim 1236, § 1, constat portionem canonicam deberi parocho *proprio;* cum ex can. 94 patet parochum vagi *proprium*, illum esse in cujus parœcia vagus moritur. Cui argumento merito additur arctiorem nunc quam antea statui relationem vagi ad locum in quo actu commoratur, ex eo quod can. 14, § 2 edicat vagum ligari legibus *particularibus* loci in quo versatur.

a multis circumstantiis pendet merito determinat § 2 ejusdem canonis « ordinariorum esse pro suo territorio, inspectis peculiaribus circumstantiis, distantiam aliaque adjuncta designare, quæ translationem cadaveris ad ecclesiam funeris aut locum sepulturæ incommodam reddant ».

Apud nos pro toto Belgio haec determinatio facta est in decr. 216 Conc. Mechlin. in quo statuitur translationem censeri commode posse fieri, si distantia *quinque kilometra* non superat. Ideoque quando quis moritur in loco ultra quinque kilometra a sua parœcia distanti, et familia elegit ecclesiam hujus loci pro funere et sepultura, nullam portionem parocho proprio solvere debebit ecclesia funerans.

Si vero familia, casu quo cadaver commode asportari possit ad ecclesiam propriam (i. e. casu quo quis diem obiit in loco distantiam quinque kilometrorum non superanti), exigat ut exsequiæ in loco decessus fiant, tunc parochus hujus loci nullum titulum ad exsequias peragendas habens ministerium suum recusare deberet. Et si nihilominus ad majora mala vitanda de consensu Ordinarii desiderio familiæ cedit, *omnia* emolumenta, detractis tantummodo expensis necessariis, ecclesiæ parœciali cedi debent (1).

2/ Non debetur, si præter exsequias in aliena ecclesia legitime celebrata, alia funebria, ita petente familia, vel statuente ultima defuncti voluntate, in ecclesia parœciali persolvantur. Tunc enim deficit ratio compensationis parocho proprio debitæ. Ast requiritur ut servetur quædam proportio inter funebria in aliena ecclesia peracta et officia in parœciali ecclesia petita. Ideoque merito statuit conc. Mechlin.: « In casu funeris in ecclesia aliena legitime electi, propriæ ecclesiæ parœciali, etiamsi officia minora ibi jam celebrata sint vel postea celebrentur,

---

(1) *Conc. Mechlin.* n. 216. 7°.

debetur portio canonica, nisi alia funebria solemnia infra mensem post inhumationem in ea fiant » (1).

3/ Non debetur si defunctus legatum ecclesiæ parœciali reliquit ea quantitate ut debitam æquet portionem, et expressa conditione ut nihil ultra a parocho exigatur (2).

J. Brys.

---

(1) *Conc. Mechlin.* n. 216, coll. can. 1237, § 2. Difficultas esse potest in determinandis *officiis minoribus*, quorum celebratio non sufficit ad exstinguendum portionis debitum. Omnia pendent a qualitate exsequiarum quæ in aliena ecclesia fuerunt celebrata. Inspectis documentis antiqui juris in notis codicis ad hunc can. relatis dicendum est portionem esse solvendam casu quo in aliena ecclesia celebratur *missa exsequialis*, dum in ecclesia parœciali non celebratur nisi officium funebre absque missa. Ex analogia idem videtur dicendum si nimia est disproportio inter solemnitates seu, uti dicitur, « classem » exsequiarum utrobique petitæ.

(2) Hoc statuitur in decr. S. C. Conc. in *Sancti Marci*, 9 febr. 1726, et ab auctoribus adhuc resumitur quamquam in codice de illo non fit mentio.

Consultatio.

Legi in aliquo periodico solutionem quamdam in negotio abstinentiæ a carnibus, quæ primo aspectu satis mira, mihi saltem, visa est. Nimirum in mandato quadragesimali hujus anni 1925 dicitur, art. V, operarios qui a domo (*van huis, de chez eux*) secum ferunt cibos suos manducandos in loco ubi laborant (*op hun werk, sur place*), dispensari a lege abstinentiæ a carnibus, sola excepta Feria VI in Parasceve (1). — Jamvero, in dicto periodico quæstio proponebatur num haec dispensatio extendi possit « ad agricolas (*de boeren*) qui mane exeunt in agrum, secum afferentes cibos quos circa horam 9am manducent, ad meridiem redituri domum ad manducandum »? — Deinde num illa dispensatio saltem ad illos agricolas extendi possit « qui per totam diem a domo sua absunt » ? — Et responsum erat affirmativum, fundatum in ipso textu concessionis, siquidem, ut dicebatur, agricolæ de quibus agitur, in utroque casu computandi sunt inter « operarios qui cibos suos a domo secum afferunt manducandos in loco ubi laborant ». — Quid *Collationes Brugenses* hac de re censent ?

Respondetur. Salvo meliori, solutioni propositæ non videmur posse assentiri. Et revera : *a*/ Ipse textus videtur obstare, jam ex illo quod *agricolæ* (*de boeren* ; de *operariis* in agricultura, *de boeren-werklieden*, dicetur infra) non possunt comprehendi sub vocabulo mandati quadragesi-

(1) En textum completum art. V : « *Zij die, op reis zijnde, of door hun werk of hunne bezigheden buiten hun huishouden opgehouden, hun eetmaal nemen in 't hotel, in eene afspanning of eene herberg, worden insgelijks ontslagen van de wet op het vleesch-derven, behalve op Goeden Vrijdag ; ook nog de werklieden die van huis hunne spijzen mededragen om ze op hun werk te nemen* ».

malis : *de werklieden*, *les ouvriers*. Et sane, quantumvis et agricolæ labori vacent, numquam tamen, communi usu loquendi, cui Mandatum sane se conformare debet, sic dictis « *werklieden*, *ouvriers* » adnumerantur. — *b*/ In agricolas descriptos — utroque casu — non videntur, saltem regula generali (1), quadrare verba quæ sequuntur : « qui a domo secum ferunt suos cibos manducandos in loco ubi laborant », flandr. : « *die van huis* (*de chez eux*) *hunne spijzen mededragen om ze op hun werk te nemen* ». Equidem hæc verba, in se et abstracte sumpta descriptis casibus forte aptari possent : *van huis* posset intelligi ex domo, i. e. ex *ædificio* (*het gebouw*) in quo habitat agricola ; — ast æque bene, imo magis obvie, ni fallimur, possunt intelligi : *van huis*, i. e. ab illo *prædio* (*de hofstede*) quod occupat colonus : nonne dum agricola versatur in stabulis, aut in horto, aut in agris suis, dicitur esse *domi*, *te huis*? Et ubi ædificium egrediens in hortum vel in agrum transit, num dicitur obvie abire « *van huis* », aut, ut textus gallicus dicit : « *de chez eux* » ? — Et quidem contextus hunc alterum sensum omnino suadet : in prima enim parte articuli V, cui hæc altera pars omnio aequiparatur, certe agitur de talibus qui hoc trito sensu absunt « *van huis* » ; agitur enim de talibus qui sunt in itinere, vel labore aut occupationibus suis extra domum suam versantur et manducant *in 't hotel*, *in eene afspanning of eene herberg* ». — *c*/ Intentio legislatoris manifeste videtur esse de stricte dictis operariis qui non domi laborant, sed alio tendunt ad laborandum ; minime vero de descriptis agricolis. Secus incongruum

(1) Dicitur : *regula saltem generali*. Posset enim quaeri quid censendum sit de iis agricolis qui, ut apud nos interdum fit, habent agros, a domo agrisque connexis separatos, ad quos agricola laborare tenderet. Equidem etiam in hoc casu non posset agricola dispositionem legis sibi vindicare, ob rationem datam sub *a*/ : quia non est « operarius » ; — sed ratio sub *b*/ exposita ei non videretur applicari : dum enim ibi versaretur, merito, in multis saltem casibus, jam non diceretur esse « *domi* ».

illud esset dicendum agricolam, ubi juxta domum suam, in horto domui adnexo, laborat, eo ipso a lege abstinentiæ esse dispensatum : sufficeret ei extra domum afferre cibos suos eosque in horto, ubi laborat, manducare.

Alia quæstio poni posset de sic dictis *boeren werklieden*. *ouvriers-agricoles*. Et quidem, nostra opinione, sic distingui potest : operarii qui cibos suos ipsi sibi procurare debent eosque a domo sua (*van huis*, *de chez eux*) secum afferunt, licite carnes manducant : alii vero – ut passim fit qui cibos manducant apud ipsum agricolam (*die eten bij den boer*) regula saltem generali (1), illicite – ut nobis saltem videtur manducarent carnes dum laborant in-agro : iis non convenit, quod dicit textus : « *des ouvriers qui emportent de chez eux de quoi prendre leurs repas sur place* ».

A Vander Heeren.

(1) Juxta dicta supra, in nota (1), pag. 328, videtur dicendum *operarium* qui in agros dissitos abiret ita ut morali sensu jam non dici posset esse « *domi* » (apud agricolam nempe), posse carnes manducare.

Notæ Bibliographicæ

Lercher, L. (S. J.). *Institutiones dogmaticæ.* Vol. II. Œniponte, Rauch, 1924. – In 8, XXVI-519 p. – Pr. 8 mk.

In harum institutionum vol. secundo, cl. A., s. theologiæ professor in œnipontana universitate, post prælegomena tractat de Deo uno et trino, dein de Deo creante et elevante, atque breviter valde, ita tamen ut nullam quæstionem alicujus momenti prætermittat. Quædam problemata nihilominus difficiliora et a sæculis in controversiam vocata, nimis concinne exponit, aut etiam secundum placita Molinæ sine sufficienti disputatione solvit; quandoque etiam recentiorem controversiam, ut puta de justitia originali, penitus omittit. Dispositione typographica cl. A. claritati multum oonsuluit; contrà, notis quas cum textu permiscet, adversus eamdem rursus offendit. In hoc opere catholicam doctrinam cum methodo propositam et validis argumentis probatam reperies.

Janssens, Al. (Miss. van Scheut). *Het menschgeworden Woord.* Brussel, Standaard-boekhandel, 1925. — In 8, XI-265 bl. — Pr. 16 fr.

Dit is het derde traktaat in de reeks leerboeken der dogmatica, waarvan wij het eerste boek reeds vroeger beoordeelden (1). De manier waarop S. zijn onderwerp behandelt is dezelfde als in dit eerste boek: vooraf eenige inleidende gegevens; dan in een eerste deel 't bewijs van het mysterie der menschwording uit de veropenbaring (bl. 7-132); in een tweede deel wordt de scholastieke theologie der hypostatische vereeniging uiteengezet: namelijk de vereenigingswijze op zich zelf, dan de gevolgen dezer vereeniging, eindelijk de volmaaktheden en zwakheden der menschheid van Christus (bl. 133-259). Zooals voorgaande ontleding aantoont, behandelt S. enkel de christologie of leer van het menschgeworden Woord, volgens den titel van zijn boek; de soteriologie of verlossingsleer, die gewoonlijk bij het tractatus de Verbo incarnato gevoegd wordt, laat hij eenvoudig weg, en dit mag ook, want alhoewel innig verbonden, kunnen beide deelen, christologie en soteriologie, toch op hun eigen behandeld worden. Zoo heeft ook s. Thomas in zijn tertia pars eerst over den verlosser en dan over 't verlossingswerk geschreven (2).

Schrijver heeft in onderhavig boek goed en degelijk werk geleverd; zijn bewijzen staan vast; zijn uitleg, op s. Thomas gesteund, is kort en bondig en tevens klaar en grondig, alhoewel hier en daar nochtans een juister uitdrukking zou gewenscht (bijv. bl. 5 waar spraak is

(1) *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 435.

(2) Zie beoordeeling van het werk van P. Pègues, *ibidem*, p. 436.

over 't mysterie en de rede), of ook nog wat dieper uitleg zou gevergd (bijv. bl. 241 waar de vrijheid van Christus wordt uiteengezet). Er is ook tusschen de vereering, die wij aan de heilige Moeder Gods moeten geven en deze die wij aan de heiligen toekennen (bl. 184) niet enkel een verschil in graad maar ook in natuur. De latijnsche teksten, die in het eerste traktaat de uiteenzetting te veel kwamen onderbreken, worden nu in voetnotas, waar 't noodig schijnt, bijgebracht; de verdeeling van 't gansche werk komt goed uit en den gedachtengang kan men gemakkelijk volgen. Kortom, S. heeft een zeer nuttig werk verricht; wij hopen en wij wenschen dat zijn boek over het menschgeworden Woord bij onze ontwikkelde leeken en onze priesters den bijval moge vinden dien het ruimschoots verdient.

Buysse, **P**. *Vers la foi catholique*, I. *L'Eglise de Jésus*. Bruges, Desclée, 1925. — In 12, VII-474 p.

L'auteur, avantageusement connu par son premier ouvrage : *Vers la croyance*, dans lequel il établit l'existence de Dieu et la nécessité d'une religion, prouve dans le présent volume la mission divine de l'Eglise catholique. Deux démonstrations établissent la thèse. Tout d'abord la diffusion merveilleuse de l'Eglise, son invincible stabilité, le courage de ses martyrs, sa vertu sanctifiante constatée tous les jours et les guérisons incontestables de Lourdes manifestent une action surnaturelle de Dieu en sa faveur; la plupart de ces faits ayant une connexion très étroite avec la doctrine catholique, celle-ci reçoit sous le sceau du miracle, une autorité contraignante et divine. A cette première démonstration, dite populaire, l'auteur en ajoute une seconde, qu'il appelle technique : Jésus a fondé une société visible, le royaume de Dieu, qui doit avoir une phase terrestre selon les intentions de son fondateur ; pour cela il lui a donné une armature hiérarchique. L'Eglise des apôtres réalise l'Eglise de l'évangile, fondée par Jésus ; l'Eglise subapostolique continue et développe logiquement l'Eglise des apôtres et de l'évangile; celle-ci ne se retrouve pas dans le protestantisme, ni dans les Eglises schismatiques, mais bien dans l'Eglise catholique.

Cette brève analyse, qui ne fait que reprendre les grandes lignes de la double démonstration, prouve suffisamment combien celle-ci est complète; l'exposé est toujours clair et le style partout alerte; les faits les plus frappants sont vivement racontés; les citations judicieusement choisies et bien placées soutiennent à tout moment l'attention. Il est difficile de porter un jugement d'ensemble sur le fond même de de l'ouvrage, puisque nous ne possédons pas le second volume, dans lequel l'auteur se propose de traiter le problème christologique. Cependant il paraît assez étrange qu'il n'établisse pas tout d'abord dans sa partie technique la mission divine du Christ ; on se demande également à quel point de vue il entend exposer le problème de la divinité de Jésus. Ensuite, dans ce premier volume, la dernière partie de la démonstration technique ne rejoint-elle pas plutot la démonstration populaire ? L'unité et la catholicité de l'Eglise nous amènent suffisamment, et cela indépendamment de l'existence de l'Eglise de

l'évangile etc., à la conclusion de la première partie ; ce que l'auteur semble bien remarquer lui même puisqu'il place l'unité de l'Eglise catholique parmi les faits, exposés dans la première partie, qui manifestent l'action surnaturelle de Dieu en faveur de son Eglise. Enfin l'auteur nous paraît trop reservé quand il conclut avec un héros de roman: « si le catholicisme n'est pas la vérité, toutes les églises chrétiennes sont fausses à plus forte raison » ; sa démonstration dépasse certainement cette conclusion.

Ces quelques remarques n'entendent rien enlever à la réelle valeur de ce manuel, qui comme le dit S. E. le Card. Mercier dans sa lettre-préface, fera du bien à tous ceux qui le liront ; « ils se trouveront mieux informés, et ce qui est plus précieux encore, ils se sentiront plus attachés à leurs croyances, plus fiers de les affirmer, plus désireux d'en vivre ». Ajoutons encore que l'auteur a eu la bonne idée d'utiliser tous les moyens et procédés de la typographie pour donner de l'allure et de la clarté à son exposé ; de plus les tables synoptiques, qu'il a placées à la fin de chaque chapitre, encore les tables alphabétiques, qu'il donne à la fin de son volume, permettent au lecteur de garder constamment le fil de la démonstration et de revenir à tout instant aux questions les plus importantes.

Metz, A. N. (O. Cist.). *De Kerk van Christus naar de h. Schrift.* Tweede uitgave. Zout Leeuw, Ch. Peeters. 1925. — In 12, XII-463 bl. - Pr. 25 fr.

Zooals de bij-titel van het boek, die luidt als volgt : « Wat leeren toch de Katholieken », genoegzaam denken doet, is dit werk op de eerste plaats bestemd voor de protestanten en wel voor deze van Holland, vaderland van den schrijver, bernardijn te Bornhem in België. Zijn doel is te bewijzen dat de leer van het katholicisme volkomen overeenstemt met de h. Schrift, het geschreven woord Gods, en daarin is S. ook volkomen geslaagd. Uit dit inzicht is uit te leggen waarom voor de aanhalingen uit de h. Schrift bijna uitsluitend gebruik werd gemaakt van den Statenbijbel. Het boek verscheen reeds in 1917, als uitgave van de Apologetische Vereeniging Petrus Canisius, onder opschrift : *Het nieuwe? Huis* ; het verschijnt thans weer door de zorgen der zelfde Vereeniging in 't jaar van P. Canisius'heiligverklaring. De nieuwe titel van het werk is zeker beter gekozen, hij is meer sprekend en tevens min afschrikkend voor niet-katholieken ; wat den inhoud betreft, die degelijk reeds was en objectief, alhoewel weinig veranderd, is hij toch hier en daar meer volledig. Schrijver wil later in een tweede werkje bewijzen dat de leer van de katholieke Kerk heel en al dezelfde is als die welke de oude Kerk, de Kerk uit het tijdvak der tien groote kerkvervolgingen, beleed en met haar bloed bezegelde. Wij hopen dat S. weldra zijn inzicht zal verwezenlijken, want zooals prof. dr Slypen in zijn inleidend woord zegt, zal dit boek ongetwijfeld krachtig medehelpen aan de groote en grootsche beweging naar het katholicisme, die wij in de laatste tijden in Holland mochten bestatigen en toejuichen.

H. Lamiroy.

Faber Mathias, (S. J.) *Conciones in evangelia et festa totius anni cui accedunt ejusdem auctoris conciones funebres et nuptiales.* Editio quinta taurinensis. Taurini-Romæ, Marietti, 1923-1924. — 10 vol. Pr. 175 fr.

Pauca prænotemus circa auctorem, doctissimum scilicet ac celeberrimum concionatorem Mathiam Fabrum. Natus in Altmünster anno 1587, prius fuit parochus in Ingolstadt, professor Universitatis in eadem civitate atque famosus prædicator verbi divini; anno vero 1637 Viennæ societatem Jesu ingressus est. Defunctus est anno 1653 in Ternau.

Primam collectionem suarum concionum edidit a. 1631 et 1634: *Concionum opus tripartitum*; alteram vero a. 1646: *Auctarium operis concionum tripartiti*. Utriusque operis plures factæ sunt successive editiones quarum una Brugis anno 1723 (1). Præsens editio, quinta taurinensis (prima a. 1879 prelum reliquit), complectitur decem volumina, quorum unumquodque circiter 780 paginis constat. Ex iis quæ hucusque diximus de numero editionum jam præsumere licet valorem intrinsecum hujus operis, et advertere debemus linguam latinam, in qua opus conscriptum est, et quæ tunc temporis erat communis sermo omnium virorum excultorum, non obstitisse sed contulisse latissimæ ejus diffusioni. In hoc opere inveniet quisque sacerdos fodinam inexhauribilem fere textuum s. Scripturæ, considerationum dogmaticarum et moralium, narrationum piarum, quibus in dominicis et festis anni ecclesiastici, et quidem pro pluribus cyclis consecutivis (2), juvabitur ad homilias et conciones suas præparandas. Ibidem et aliæ multæ conciones reperiuntur, funebres scilicet et nuptiales, quæ minus usuveniunt in nostro ministerio, et ubi nonnulla minus nostris temporibus et moribus adaptata videri possunt. Omnibus igitur inspectis est opus laude ac pretio suo dignum.

Dahmen, P. (S. J.) *Un jésuite brahme*, Robert de Nobili, S. J. 1577-1656, missionnaire au Maduré. Bruges, Beyaert, 1924. — In 8, x-104 p. — Pr. 5 fr.

Cette étude nous expose la conquête lente et systématique du monde indien, d'après un plan nouveau. Avant le P. de Nobili les apôtres des Indes avaient trop identifié la religion chrétienne et la civilisation portugaise: se faire chrétien, c'était aux yeux des indous se faire portugais. C'est le suprême mérite du P. Robert de Nobili d'avoir orienté ses collaborateurs et successeurs vers une méthode plus féconde, non cependant sans de longues et pénibles luttes. La première méthode écartait fatalement de la religion

---

(1) Cfr Sommervogel, *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*. — Tres etiam versiones germanicæ ejusdem operis prodierunt.

(2) V. g. pro dominica 1 adventus quindecim habet conciones diversas.

les hautes castes, les brahmes, et l'opposition de ces castes paralysait impitoyalement le mouvement d'expansion chrétienne. Comme son confrère le P. Matteo Ricci avait fait en Chine, ainsi le P. de Nobili s'étudia à introduire la religion chrétienne dans l'Inde en commençant par le haut. Pour gagner les brahmes, il se fit brahme comme eux.

Au lieu de s'évertuer inutilement à transformer la société indoue en une mauvaise copie de la civilisation européenne, il chercha uniquement à présenter à l'âme foncièrement religieuse de l'Inde les vérités chrétiennes sous une forme et dans une langue adaptée à ses besoins spirituels, à sa tournure d'esprit et à ses habitudes intellectuelles. Quant au P. de Nobili lui-même, il réalise à nos yeux l'idéal du missionnaire : renoncement total à lui-même et à tout ce qui lui est cher, adaptation aussi complète que possible à son milieu, austérité et sainteté de vie étonnantes, qui font de lui un de ces géants de foi et d'immolation. L'apôtre et son apostolat nous offrent un modèle et un exemple des plus utiles en un temps où le nationalisme crée un réel danger pour l'apostolat catholique.

Mahieu, J. (Kan.). *De liefde Gods* bij voorkeur naar de leering van den H. Franciscus van Sales. Eerste deel : Hertelijke liefde. Leuven, Vlaamsche Boekenhalle, [1925]. Reeks : Het geestelijk leven, nr 9.

Hier hebben wij eene vlaamsche omwerking van 't deel der *Probatio charitatis* dat handelt over de charitas affectiva. We vinden er dus al de « geleerdheid » in, die 't hoofdwerk van den schrijver kenmerkt ; maar bovendien verheugt het den lezer de schoonste teksten uit s. Franciscus van Sales' *Traité de l'amour de Dieu* te lezen te krijgen in een smakelijke vertaling, alsmede eenige van de schoonste verzen van Meester Guido Gezelle, en eenige brokken uit 't *Manuale* van den h. Augustinus kundig vertaald door wijlen Kan. De Jaegher. Wanneer krijgen wij 't tweede deel over de werkelijke liefde en 't derde over de ijverende liefde ? Alle lof is overbodig.

Lekeux Martial. *Maggy*. 25e éd. Paris, Plon, 1925. — In 8, 254 p. — Pr. 7,50 fr.

La vie de Maggy est un admirable commentaire en actes de ce magnifique chapitre V du 3e livre de l'Imitation de J. C. : *De mirabili effectu divini amoris*. Si en lisant cette biographie un doute vous saisit : « mais c'est mathématiquement impossible de mettre tant de choses en une journée », relisez le chapitre cité et vous y trouverez la clef du mystère. Puisse ce livre susciter parmi nous beaucoup de Maggys et puisse chacune d'elles trouver un biographe de la valeur du P. Lekeux !

A. Legrand.

Opera ad redactionem missa (1).

Bergmann, P. *Neugestaltung des biblischen Geschichtsunterrichts.* Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 8, IV-40 p. — Pr. 1,20 mk.

Buysse, P. *Les merveilles de Lourdes.* Extrait de l'*Eglise de Jésus.* Bruges, Desclée, 1925. — In 12, 82 p.

Claude du Mesnil. *Le livre de l'amour.* Paris, Téqui, 1924. — In 8, XIX-306 p.

D'Aguilhon, E. (Mme). *A Vingt ans. Mariage et bonheur.* 4e éd. Paris, Téqui, 1924. — In 8, IX-387 p. — Pr. 6 fr.

De Meulemeester, M. (C. SS. R.). *De abdij van Roosenberg te Waesmunster.* St-Niklaas-Waas, 1925. — In 4, IX-345 bl. — Pr. 18 fr.

Gougaud, L. (O. S. B.). *Dévotions et pratiques ascètiques du M. A.* Coll. « Pax », Abbaye de Maredsous, 1925. — In 12, VII-237 p. — Pr. 7 fr.

Keller, Fr. *Caritaswissenschaft.* Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 12, VIII-252 p. — Pr. 3,60 mk.

Plus, R. (S. J.). *In Christus Jesus.* Vert. door P. Eleutheer, O. M. C. Brugge, Beyaert, 1925. — In 12, XVI-332 bl. — Pr. 10 fr.

Preslefont, R. *Pièces à dire.* Bruxelles, De Lannoy, 1924. — In 8, 80 p.

Ricciotti, G. *Le lamentazioni di Geremia.* Torino, Marietti, 1924. — In 8, VIII-97 p. — **Id.** *Il libro di Giobe.* — In 8, XII-258 p.

Schmitt, J. *Manna quotidianum sacerdotum* sive preces ante et post Missam cum brev. meditationis punctis pro singulis anni diebus. Ed. 5. Freib. i. Br., Herder, 1925. — 3 t. in 12, XLII-1612 et CLXXVI p. — Pr. 17.50 fr. suisses.

Schulster-Holzammer. *Handbuch zur biblischen Geschichte.* Achte neubearbeitete Auflage von Selbst, J. und Kalt, E. Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 8, XX-874 s. mit Bildern, Karten und Tafeln. — Pr. 22 mk.

Sickenberger, J. *Kurzgefasste Einleitung in das N. T.* 3 Ausg. Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 12, XIV-148 p. — Pr. 2,30 mk.

Van Volckxsom, J. (S. J.) *Entretiens apologétiques.* Cinq tracts. Le club : ni Dieu ni Maître. Au bord d'une tombe. La villa : La Providence. Le meeting dû défroqué. Un voyage de noces. — Braine-le-Comte, Librairie « Patria », 1924. — Pr. 0,25 fr. le tract.

Rééditon de propagande de cinq tracts qui eurent avant la guerre un grand et bienfaisant succès. On peut dire que toutes les objections populaires contre la religion s'y trouvent réfutées d'une manière intéressante, piquante, anecdotique, parfois émue, plus souvent plaisante, toujours victorieuse.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc tantum indicantur, in sequentibus fasc. parebunt.

Collationes Brugenses

Introductio in theologiam mysticam.

Tabula VII.

Ipse Deus, Unus et Trinus, et Verbum incarnatum, Objectum princeps contemplationis.

Heic non agitur de contemplatione Dei, ut in seipso est, facie ad faciem, de qua dictum est in præcedente tabula, et quæ non pertinet ad hanc vitam mortalem, sed ad æternam cœlitum vitam. Certum enim est hanc a Deo reservari ut mercedem Beatorum in cœlis ; quamquam nolumus Dei voluntati ac libertati limites ponere, ejusque omnipotentiæ, sapientiæ ac bonitati derogare, atque negare eum, aliquando et obiter saltem, sui visionem forte concessisse aliquibus electis animabus, puta S. Paulo (1), et, quod nobis probabile videtur, sanctissimæ Virgini, Matri Dei, præcipuis quibusdam in adjunctis ejus mortalis vitæ.

Igitur loquimur nunc de divina contemplatione, qualis præsenti vitæ convenit et competit animabus ad mysticam perfectionem contendentibus.

Et primo quidem oportet ad memoriam revocemus rectum hujusmodi contemplationis, tum acquisitæ, tum

(1) 2 *Cor.*, XII, 2 sqq.

infusæ notionem, hisce in Collationibus (1) expositam, et heic non repetendam.

Nunc jam de objecto illius divinæ contemplationis agendum est, quod principaliter, ut patet, ipse Deus est, qualem se nobis revelare dignatus est. Et hoc quidem fecit Deus primo revelatione naturali per creata : et sic in mirabilibus hoc divino opere contentis, possumus jam divinas perfectiones in eis relucentes contemplari. Sed et revelatione supernaturali majora pandidit suæ omnipotentiæ, sapientiæ ac bonitatis arcana miranda in exaltatione creaturæ rationalis ad ordinem supra naturam et divinum, et in opere gloriosissimo redemptionis hominis lapsi per Verbum incarnatum : et, in his rursum contemplationis objectum copiosum reperitur.

Contemplatio Dei in suis operibus materia fuit anteriorum tabularum. In hac ultima tabula remanet contemplatio tum ipsius Verbi incarnati, mundi Redemptoris, qui summum exemplar est, atque ratio et finis omnis operis divini ad extra, tum ipsius Dei Unius et Trini.

Jamvero et hanc utramque contemplationem, seu manuductionem ad illam quoque præoccupavimus apud nostras Collationes, quarum textum ut heic insertum habeat lector (2).

Unum addimus, quod ad mysticam hujusmodi contemplationem contendentibus summæ utilitatis erit ; videlicet, quomodo ea quæ de intima cum Deo vita Beatorum in tabula VI dicta sunt, reipsa exemplaris instar sunt contemplationis et divinæ unionis in vita præsente.

Et facto, hujusmodi exemplar ante oculos habuisse sanctos scriptores mysticos non paucos facile deprehen-

---

(1) Lege tom. XXII, p. 177-182, et cf. p. 361 sqq., et 449 sqq. — Vid etiam *Eening der minnende ziel met God*, hoofst. IV, § 2 en 3 ; en *Geestelijke duif*, IIIe Deel.

(2) Manuductio ad contemplationem augustissimæ Trinitatis, tom. XX, pag. 81 sqq., et ad utramque tum Trinitatis, tum Verbi incarnati, tom. XXII, pag. 1-16. Et vid. quoque B. Rusbrochium, apud *Eening der minnende ziel met God*, hoofst. I, § 1.

des, quod quidem, ut unum citemus, evidens apparet apud B. Rusbrochium. Hic enim pluribus in locis, præclare ac profunde exposita doctrina de Deo Uno ac Trino, vitam divinam, et qualis a Beatis cœlitibus convivitur, et qua ratione in præsenti sæculo eam imitari valeat homo internus, uno contextu fere conjungit. Sic in libello *De septem gradibus amoris*, expositurus septimum ac postremum gradum, hunc definit. « quo nihil potest neque in tempore neque æternitate obtineri præclarius vel sublimius ». Paulo infra, cum monuisset contemplandum esse Deum Unum et Trinum, ita pergit : « Divinitas quidem illius non operatur, cum sit simplex et otiosa essentia : quod otium si nos cum Deo possideremus, jam cum ipso etiam nos otium essemus, in ejusque celsitudinem consurrexissemus, atque ultra gradus omnes et scalas cœlestes cum ipso ex gratia in ejus divinitate otiosa essentia et æterna essemus beatitudo. Divinæ autem personæ in naturæ suæ fœcunditate unus Deus sunt semper operantes ; et in essentiæ suæ simplicitate divinitas sunt et sempiterna beatitudo : atque ita Deus in personis quidem æterna est operatio, in essentia autem perpetuum otium et vacatio. Porro inter actionem et otium amor et fruitio vivunt. Amor semper vult operari, quandoquidem perennis est actio cum Deo. Fruitio semper otio vacat, cum sit supra velle ac desiderare, dilecti in dilecto, in formænescio ac nudo amore complexus, ubi Pater una cum Filio dilectos suos in fruitiva Spiritus sui unitate supra naturæ fœcunditatem circumplexus est... Ubi mutuum gaudium et complacentia inter Deum et ei charos spiritus tam ingens est, ut a seipsis spiritus deficiant, colliquescant, diffluant, et unus cum Deo spiritus fiant, æternò cum ipso perfruentes, et propendentes in infinitam essentiæ ejus beatitatem. Et hic unus est vividorum contemplativorum hominum perfruendi modus ».

« Præter quem tamen etiam alter quidam modus est, homines internos ac Deo devotos, et pro gratissima Dei voluntate in charitate perfectos, ad Dei fruitionem per-

ducens ». Quos deinde seu modum eorum describit : « Tales autem sunt, qui seipsos abnegant et sibiipsis valefaciunt ac renuntiant, itemque creaturis omnibus, quas cum delectatione et amore possidere queant, et omnibus a Deo conditis, quatenus eis aliquam occupationem ac impedimentum præstare possint in vita interna, in qua ipsi Deo serviunt, et sursum ad Deum erecti ac sublevati sunt, idque cum intimo cordis amore, cum vivida anima, cum erecto ultra cœlos omnes animo, cum cunctis viribus ardenti amore flagrantibus, et cum spiritu in mentem formis ac imaginibus vacuam sublevato : ubi charitatis lex completur, et virtutes omnes perficiuntur : nosque otiosi sumus ».

Deinde iterum singulas Trinitatis personas, quæ in nobis sunt et operantur commemorat, atque repetit : « Amare et frui, agere est et perpeti. Deus quidem per gratiam suam vivit in nobis, docetque et consulit et præcipit nobis ut amemus. Nos vero in ipso vivimus supra gratiam et supra actiones nostras, ubi ipsum patimur, ipsoque fruimur... Nostrum agere, Deum diligere est ; et nostrum frui, Deum pati est et ejus amore esse complexos. Ingredi igitur in otiosam fruitionem, et egredi ad actus bonos, et Spiritui Dei semper unitum manere, id est de quo ago, sive quod ipse dicere volo... Et hoc experimento nihil præclarius in nostro spiritu vel sentire vel intelligere possumus ; at nihilominus per cœlestis scalæ nostræ gradus semper nobis et ascendendum et descendendum est, idque tum internis tum externis actionibus bonis (1) ».

---

(1) Hæc citavimus ex versione Surii, qui bene quidem reddidit textum authenticum flandricum, non vero totam vim et saporem dictorum Rusbrochii exprimere valuit, quod vix fieri potest. Maluissemus quoque textum flandricum integrum exhibere, quem reperies in editione critica optima quæ prostat Lovanii, *De vlaamsche drukkerij*, Minderbroederstr., 44. Totam doctrinam Rusbrochii interpretati sumus in opusculo nostro *Eening der minnende ziel met God*, et de ea quoque fusius egimus apud *Collat. Bruzen.*; t. XVII, variis articulis ; ibique eamdem doctrinam convenire ostendimns cum doctrina cæterorum Mysticorum, nominatim S. Joannis a Cruce, eod. tomo XVII, p. 160 sqq. 233 et 234, 505 sqq.

Ex his dilucide apparet, quod supra jam diximus: Mysticis, nominatim Rusbrochio, cœlestem Beatorum vitam fuisse cujusdam exemplaris instar suæ contemplationis altissimæ unionisque intimæ cum Deo hac in vita terrestri. Apparet quoque, ipsorum sententia, ad unionem hujusmodi contemplativam nequamquam perveniri posse absque diligenti præparatione, tum quasi negativa, removendo prohibentia, quod fit per exercitium perfectum virtutum moralium, tum positiva per simile exercitium virtutum theologalium, præsertim charitatis Quod quidem et expresse docet idem B. Rusbrochius, in eadem oppella, in gradu sexto: « Hunc in modum ad vitam contemplativam, divina gratia, sese præparare debebit, si eam velit adipisei. Vita ejus externa et sensitiva foris coram hominibus quibuscumque bene morata erit, beneque ordinata in actibus bonis; et interna vita illius plena sit gratia oportet et charitate » etc.

* * *

Has omnes septem tabulas, quæ manuducunt ad theologiam ac vitam mysticam, nos concludere non posse visum est congruentius atque jucundius, quam fervida ad exercitium mysticæ contemplationis exhortatione, quam legimus apud S. Anselmum (1) :

Excitatio mentis ad contemplandum Deum.

Eia nunc, homuncio, fuge paululum occupationes tuas, absconde te modicum a tumultuosis cogitationibus tuis. Abjice nunc onerosas curas, et postpone laboriosas distensiones tuas. Vaca aliquantulum Deo, et requiesce aliquantulum in eo. Intra in cubiculum mentis tuae, exclude omnia praeter Deum et quae te juvent ad quaerendum eum, et clauso ostio quaere eum.

---

(1) *Proslogion*, cap. 1.

Dic nunc, totum cor meum, dic nunc Deo : Quaero vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiro. Eia nunc ergo, tu Domine Deus meus, doce cor meum, ubi et quomodo te quaerat, ubi et quomodo te inveniat. Domine, si hic non es, ubi te quaeram absentem ? Si autem ubique es, cur non video te praesentem ? Sed certe habitas lucem inaccessibilem. Et ubi est lux inaccessibilis, aut quomodo accedam ad lucem inaccessibilem ? Aut quis me ducet et inducet in illam, ut videam te in illa ? Deinde, quibus signis, qua facie te quaeram ? Nunquam te vidi, Domine Deus meus, non novi faciem tuam. Quid faciet, altissime Domine, quid faciet iste tuus longinquus exul ? Quid faciet servus tuus anxius amore tui, et longe projectus a facie tua ? Anhelat videre te, et nimis abest illi facies tua. Accedere ad te desiderat, et inaccesibilis est habitatio tua. Invenire te cupit, et nescit locum tuum. Quaerere te affectat, et ignorat vultum tuum. Domine, Deus meus es et Dominus meus es, et nunquam te vidi. Tu me fecisti et refecisti et omnia mea bona tu mihi contulisti, et nondum novi te. Denique, ad te videndum factus sum, et nondum feci propter quod factus sum. O misera sors hominis, cum hoc perdidit ad quod factus est. O durus et dirus casus ille ! Heu ! Quid perdidit, et quid invenit ? Quid abscessit, et quid remansit ? Perdidit beatitudinem, ad quam factus est, et invenit miseriam, propter quam factus non est. Abscessit sine quo infelix est, et remansit quod per se non nisi miserum est. Manducabat tunc homo panem Angelorum, quem nunc esurit : manducat nunc panem dolorum, quem tunc nesciebat. Heu, publicus luctus hominum, universalis planctus filiorum Adae ! Ille ructabat saturitate, nos suspiramus esurie. Ille abundabat, nos mendicamus. Ille feliciter tenebat et misere deseruit. nos infeliciter egemus et miserabiliter desideramus, et heu, vacui remanemus. Cur non nobis custodivit, cum facile posset, quo tam graviter careremus ? Quare sic nobis obseravit lucem et obduxit nos tenebris ? Ut quid nobis abstulit vitam et inflixit mortem ? Ærumnosi, unde sumus

expulsi ? quo sumus impulsi ? unde præcipitati ? quo obruti ? A patria in exilium, a visione Dei in cæcitatem nostram, a jucunditate immortalitatis in amaritudinem et horrorem mortis. Misera mutatio de quanto bono in quantum malum ! Grave damnum, gravis dolor, grave totum. Sed eheu me miserum, unum de aliis miseris, filiis Evæ, elongatis a Deo, quid incepi ? quid effeci ? quo tendebam ? quo deveni ? ad quid aspirabam, in quo suspiro ? Quæsivi bona, et ecce turbatio. Tendebam in Deum, et offendi in meipsum. Requiem quærebam in secreto meo, et tribulationem et dolorem inveni in intimis meis. Volebam ridere a gaudio mentis meæ, et cogor rugire a gemitu cordis mei. Sperabatur lætitia, et ecce unde densentur suspiria.

Et o tu, Domine, usquequo ? Usquequo, Domine, oblivisceris nos ? Usquequo avertis faciem tuam a nobis ? Quando respicies et exaudies nos ? Quando illuminabis oculos nostros, et ostendes nobis faciem tuam ? Quando restitues te nobis ? Respice, Domine, exaudi, illumina nos, ostende nobis te ipsum. Restitue te nobis, ut bene sit nobis, sine quo tam male est nobis. Miserare labores et conatus nostros ad te, qui nihil valemus sine te. Invitas nos, adjuva nos. Obsecro, Domine, ne desperem suspirando, sed respirem sperando. Obsecro, Domine, amaricatum est cor meum sua desolatione, indulcora illud tua consolatione. Obsecro, Domine, esuriens cepi quærere te, ne desinam jejunus de te ; famelicus accessi, ne recedam impastus. Pauper veni ad divitem, miser ad misericordem, ne redeam vacuus et contemptus. Et si antequam comedam suspiro, da vel post suspiria quod comedam.

Domine, incurvatus non possum nisi deorsum aspicere: erige me, ut possim sursum intendere. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, obvolvunt me et sicut onus grave gravant me Evolve me, exonera me, ne urgeat puteus earum os suum super me : liceat mihi suspicere lucem tuam vel de longe vel de profundo. Doce me

quærere te, et ostende te quærenti, quia nec quærere te possum, nisi tu doceas, nec invenire, nisi te ostendas. Quæram te desiderando, desiderem quærendo, inveniam amando, amem inveniendo.

Fateor, Domine, et gratias ago quia creasti in me hanc imaginem tuam, ut tui memor, te cogitem, te amem; sed sic est abolita attritione vitiorum, sic est obfuscata fumo peccatorum, ut non possit facere ad quod facta est, nisi tu renoves et reformes eam.

Non tento, Domine, penetrare altitudinen tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum: sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit et amat cor meum Neque enim quæro intelligere, ut credam; sed credo, ut intelligam. Nam et hoc credo, quia nisi credidero, non intelligam.

† G.-J., Episc. Brugen.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis junii propositas.

I.

In Act. Ap., XX, 25.

Q. *Quomodo cum infallibilitate apostolica s. Pauli et cum inspiratione et inerrantia libri Actuum componenda sunt ea quæ, in oratione ad presbyteros ephesinos, dicit Paulus et refert, sane approbando, Lucas Act. Ap., XX, 25? Dum enim Paulus, l. c., dixerat auditores ipsum jam non esse visuros, videtur contrà omnino admittendum eos Paulum postea adhuc vidisse.*

R. Difficultas quæ ex hoc loco *Actuum* desumi potest quæque in quæstione proponitur solvenda, duplex est eaque facilis intellectu. Etenim :

1. Ex una parte videtur *Paulus* affirmare auditores suos jam nunquam ipsum esse visuros. Jamvero certum videtur assertum istud a veritate dissonasse : adhuc postea Paulus per easdem regiones redierit (1). — En ergo Paulus, Apostolus, in sermone quodam non privato, sed apostolico, errorem affirmat; potestne hoc cum *infallibilitate*, quam *Apostolorum* fuisse credimus, componi

(1) Paulum postea in easdem regiones pervenisse evidenter patet ex *I Tim.*, I, 3; III, 14; IV, 13; *II Tim.*, I, 18; IV, 13, 20. Hæ enim epistolæ ad *Tim.*, sicut et alia epistola ad *Tit.*, sicut absque dubio ut authenticæ Pauli sunt habendæ, ita et certo scriptæ fuerunt post primam captivitatem quam Paulus in hac concione ad presbyteros ephesinos præsagiebat.

2. Præterea hæc Pauli concio refertur a s. Luca, in *Actibus Apostolorum* quos, non humana tantum industria, sed ex divina inspiratione conscribebat. Et sane mens s. Lucæ non erat unice affirmare seu referre Paulum hanc concionem pronuntiasse, sed insuper, implicite saltem, hæc dicta Pauli approbare. — Unde, si Paulus erravit, etiam ipse Lucas, dicta erronea Pauli approbando, erravit; potestne hoc cum *inerrantia s. Scripturæ* componi?

Solutio utriusque difficultatis hæc, ni fallimur, accurata dari potest (1):

1. Quod *s. Paulum* spectat ejusque *infallibilitatem apostolicam*:

a/ Etiam si hîc vere *errasset* Paulus, nihil inde contra doctrinam catholicam circa Apostolorum infallibilitatem desumi posset. Etenim Apostoli, qua tales, erant quidem *infallibiles* in rebus fidei et morum, non vero in rebus humanis ad fidem et mores non pertinentibus, etiam tum cum de illis loquerentur *in* sermonibus apostolicis (2); porro quod Paulus tali vel tali anno moreretur, quod auditores ejus eum adhuc postea viderent vel non, et alia hujusmodi: hæc omnia res erant mere humanæ et profanæ, rebus fidei et morum nullatenus accensendæ; unde nihil obstare debebat infallibilitas apostolica Pauli quominus in hisce rebus erraret.

---

(1) Immerito quidam, his ipsis verbis Pauli ad presbyteros ephesinos directis innixi, voluerunt utramque difficultatem solvere dicendo Paulum revera nunquam postea ad has easdem regiones rediise. — Ceteroquin, nec infallibilitas Pauli nec inerrantia Lucæ id exigunt.

(2) Accurate notabis discrimen inter Apostolos, ubi viva voce, cum *assistentia negativa* Dei, loquebantur et eosdem Apostolas ubi, cum *inspiratione* divina, epistolas suas scribebant: dum enim primi erant infallibiles in iis tantum quæ ad fidem vel mores pertinebant, alii contrà infallibiles erant in affirmandis rebus ad quamlibet materiam spectantibus. — Neque objicias Apostolos etiam in prædicatione sua orali divinæ inspirationi subfuisse; etenim, ex una parte, assertum nullo solido argumento fulcire valeres; ex altera parte, etiam si valeres, maneret, quod sub *b*/ exponimus, Paulum vero sensu non errasse.

b/ Sed imo quæri potest *num* vere *erraverit* Paulus. Etenim in stricta logica non affirmat Paulus se jam non esse rediturum, sed 1° affirmat se ilud *scire*, i. e., in contexta oratione, se illud *opinari* (1); et hoc sane meritò et in omni veritate affirmat: verum erat factum illud psychologicum a Paulo affirmatum: vere ita opinabatur Paulus; — ast insuper 2° aliquid quoque affirmat circa ipsum illud factum futurum, circa instantem suam mortem: equidem non affirmat illam instantiam ut certam, sed tamen illam affirmat ut quam ipse jure opinetur, seu eam affirmat ut probabilem (2); unde de hac ipsa instantia mortis suæ affirmat: dari rationes objectivas ob quas prudenter opinari poterat suam mortem esse instantem; — porrò etiam hoc verum erat: ipsæ revelationes iteratæ quibus Spiritus sanctus notum faciebat ipsum manere vincula in Jerusalem, jam satis erant ut Paulus, rationem habens animositatis Judæorum, prudenter opinari posset se incolumem ex illis non evasurum adeoque jam nunquam

---

(1) Revera verbum *scio* hîc non indicat firmam plenamque persuasionem. Paulus enim humanam tantum fallibilemque de hac instantia mortis suæ notitiam — probabilem conjecturam, ut accurate notat Beelen — habere poterat, non scientiam certam, quum Spiritus sanctus hoc solum ei revelasset, vincula et tribulationes eum Jerosolymis manere; præter hæc, quæ in Jerusalem sibi ventura sint ignorat (v. 23; cfr XXI, 11). Hæ tamen revelationes solidum præstabant Paulo motivum opinandi etiam mortem esse instantem: num enim Judæi, tam infensi Paulo, eum semel apprehensum facile relinquerent vivum abire (cfr XXI, 13)? — Opinio autem ista de morte propinqua, aliquamdiu posthæc, quando Romæ in vinculis erit, locum cedet opinioni de opposito, ut patet ex epistolis quas tunc scribet ad *Philem.*, v. 22 et ad *Philip.*, I, 25; II, 24.

Quoad sensum illum verbi *scio*, cfr adhuc epist. ad *Philip.*, I, 19, 25, coll. II, 17, 24. — Idem verbum *scio* in sensu certæ scientiæ, ex revelatione divina haustæ, vide *Act. Ap.*, XX, 29, coll. *I Tim*, IV, 1-3.

(2) Non accurate plures loqui videntur dum aiunt Paulum loqui secundum præsens suum *judicium*, vel eum *firmiter persuasum* esse de mortis suæ instantia, vel *nullam spem* habere unquam redeundi, etc. — Etenim ex omnibus notitiis per revelationem divinam habitis, ultra « probabilem conjecturam » — ut accurate dicit Beelen, in h. l. — prudenter concludere non poterat Paulus.

Ecclesias et christianos, per quos hucusque transierat, esse visurum.

2. Quod s *Lucam* spectat ejusque *inerrantiam* in iis omnibus quæ in libro suo *Actuum* affirmabat vel aliunde citata approbabat :

a/ Etiam si *Paulus* errasset, non ideo erravit *Lucas* : quod enim *refert* et affirmat Paulum hoc dixisse, verum erat : Paulus vere illud dixerat ; quod autem insuper, implicite saltem, approbat orationem Pauli, non ideo errat Lucas : etenim, approbando orationem illam globalem, non ideo necessario qua vera approbat *omnia* dicta Pauli ; quæ enim ex ore Pauli refert pertinentia ad res fidei et morum, illa sane non tantum refert, sed insuper ut vera approbat ; sed non ideo ut undequaque vera approbat *omnia* reliqua, puta illa ubi Paulus unice de rebus humanis, etiam in sermonibus apostolicis, locutus fuerat. — Ast ulterius :

b/ Ut vidimus supra, ipse *Paulus* stricto sensu *non erravit*, adeoque neque erravit *Lucas*, referendo et etiam approbando, sensu Pauli, ipsius sermonem.

A. Vander Heeren.

II.

De intellectu et voluntate angelica.

Q. *Breviter describe facultatem tum intellectivam, tum volitivam in angelis.*

R. Ex iis quæ de natura angelica revelatione novimus, constat angelos esse entia quæ intelligunt et volunt ; sunt enim naturæ spiritualis, unde et operationem spiritualem habent (1) ; alioquin in fontibus revelationis aperte dicuntur intellectu et voluntate præditi : Deum laudant, ipsique benedicunt ; eum adorant, ejusque mandata exsequun-

(1) Vide supra, p. 282 s. et cfr *Sum. theol.*, I, q. 50, a. 1 ; q. 51, a. 1 ; q. 54, a. 1 ; q. 59, a. 1 ; *Summa contra gentiles*, II, 47 s. ; *Quæst. disp. de potentia*, q. 6, a. 6 ; *De malo*, q. 16, a. 1.

tur ; quidam peccaverunt et æternis pœnis puniuntur (1).

Nunc autem Deus etiam intelligit et vult, sed uti fuit demonstratum in tractatu de Deo, per suam substantiam seu per esse suum ; non habet Deus potentiam operativam seu facultatem distinctam ab essentia sua ; non ponit actus intelligendi et volendi, qui distinguuntur a natura sua. Homo pariter intelligit et vult, sed ipse habet facultatem intellectivam et volitivam realiter distinctam ab anima, principio suo spirituali ; insuper, compositus anima et corpore, homo intelligit et vult in intima connexione cum operatione sensus et appetitus sensibilis.

Quid de angelis dicendum ? Duce s. Thoma, speculando circa ea quæ revelatione certo constant, hæc pauca de intellectu et voluntate angelica disputare juvat:

1/ In angelis *existunt potentiæ operativæ* seu facultates, intellectus scilicet et voluntas, quæ *ab angelica substantia realiter distinguuntur.*

Novimus revelatione angelos esse a Deo creatos (2) ; unde *non sunt suum esse* sed componuntur substantia seu essentia et esse ; novimus eos intelligere et velle, et sat facile probatur *intelligere* et *velle* in angelis *non* esse eorum *substantiam* aut *esse.*

Non est eorum *substantia*, nam si actio intelligendi seu intelligere in angelis esset idem ac substantia, esset intelligere subsistens : ergo « unius angeli substantia non distingueretur, neque a substantia Dei, quæ est ipsum intelligere subsistens, neque a substantia alterius angeli » (3).

Non est eorum *esse ;* etenim quum intelligere de sui ratione habeat infinitatem simpliciter, siquidem intelligere tamquam objectum habet verum, quod cum ente convertitur, sequitur actionem intelligendi seu intelligere in angelis non esse idem ac eorum esse, quod est determinatum ad unum secundum genus et speciem, quatenus

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, II, p. 126 s.
(2) Vide supra, p. 230 s.
(3) *Sum. theol.*, I, q. 54, a. 1, c.

creatum (1). « Solius Dei esse est simpliciter infinitum in se omnia comprehendens.... Unde solum esse divinum est divinum intelligere » (2).

Quod de actione intelligendi, ét de actione volendi probari potést (3). Igitur angeli componuntur essentia et esse, atque eorum intelligere et velle distinguuntur ab essentia et esse ; sed ulterius quæri potest utrum intelligant et velint per potentias operativas an per suam essentiam.

Dicendum : non per suam essentiam sed per potentias operativas in essentia receptas seu per facultates intellectus et voluntatis (4).

Apposite s. Thomas : « Cum potentia dicatur ad actum oportet quod secundum diversitatem actuum sit diversitas potentiarum » (5). In angelis autem non est idem intelligere et esse ; esse vero, quod in angelis sicut in omni ente creato differt ab essentia, ad hanc comparatur sicut actus ad potentiam ; intelligere igitur non est actus essentiæ, sed actus alius potentiæ, operativæ dumtaxat (6).

Idem rursus de *potentia volitiva* disputari potest (7), atque hæc *a facultate intellectiva distinguitur*, nam denuo secundum diversitatem actuum, oportet diversitatem potentiarum admittamus (8).

2/ In angelis *non existunt nisi intellectus et voluntas*.

---

(1) Lege *Contra gentiles*, II, 95, ubi explicatur quomodo genus et species accipiantur in substantiis spiritualibus.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 54, a. 2, c.

(3) *Ibidem*, q. 59, a. 2, c.

(4) Infra, in quæstione quadam sequenti, explicabitur quomodo angeli cognoscant *seipsos* per suam substantiam.

(5) *Sum. theol.*, I, q. 54, a. 3, c. ; quod, uti notatur in ed. taurin. ad h. l., intelligendum venit de actibus potentiæ adæquatis, id est, de iis ad quos virtus potentiæ ita se extendit ut non possit totam istorum actuum latitudinem excedere, cujusmodi sunt intelligere respectu intellectus ; velle respectu voluntatis etc. ; alioquin unius ejusdemque potentiæ possunt esse plures actus inadæquati, et sic unius voluntatis dantur intentio, electio, consensus, usus, fruitio.

(6) *Sum. theol.*, I, q. 54, a. 3, c.

(7) *Ibidem*, a. 2 et q. 59, a. 2, c.

(8) *Ibidem*, q. 59, a. 2, c.

Revelatione novimus angelos non habere corpora, sicut nos habemus, sed esse incorporeos (1).

Jamvero, « in anima nostra sunt quædam vires, quarum operationes per organa corporea exercentur ; et hujusmodi vires sunt actus quarumdam partium corporis, sicut est visus in oculo, et auditus in aure. Quædam vero vires animæ nostræ sunt, quarum operationes per organa corporea non exercentur, ut intellectus et voluntas ; et hujusmodi non sunt actus aliquarum partium corporis. Angeli autem non habent corpora sibi naturaliter unita..... Unde de viribus animæ non possunt eis competere nisi intellectus et voluntas » (2).

3/ In specie *quoad intellectum*, in angelis *proprie non datur intellectus agens et possibilis*

Revera « necessitas ponendi intellectum possibilem in nobis fuit propter hoc-quod nos invenimur quandoque intelligentes in potentia et non in actu. Unde oportet esse quandam virtutem quæ sit in potentia ad intelligibilia, ante ipsum intelligere ; sed educatur in actum eorum..... et hæc virtus vocatur intellectus possibilis. Necessitas autem ponendi intellectum agentem fuit quia naturæ rerum materialium, quas nos intelligimus, non subsistunt extra animam immateriales et intelligibiles in actu ; sed sunt solum intelligibiles in potentia, extra animam existentes. Et ideo oportuit esse aliquam virtutem quæ faceret illas naturas intelligibiles actu : et hæc virtus dicitur intellectus agens in nobis ».

« Utraque autem necessitas deest in angelis ; quia *neque* sunt quandoque *intelligentes in potentia tantum*, respectu eorum quæ *naturaliter* intelligunt ; *neque intelligibilia* eorum sunt intelligibilia *in potentia*, *sed in actu* (3). Intelligunt enim primo et principaliter res immateriales,

---

(1) Vide supra, p. 282 s.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 54, a. 5, c.

(3) De hisce latius in quæstione quadam sequenti *de medio* cognitionis angelicæ.

ut infra patebit (1). Et ideo non potest in eis esse intellectus agens et possibilis, nisi æquivoce » (2).

Quomodo vero *æquivoce adeoque improprie* admitti possit intellectus possibilis et agens in angelis, explicat s. Doctor communis, respondens ad difficultatem sic propositam : « Recipere est proprium intellectus possibilis ; illuminare autem est proprium intellectus agentis. Sed angelus recipit illuminationem a superiori, et illuminat inferiorem ».

« Dicendum quod intellectus agentis est illuminare, *non* quidem *alium intelligentem*, sed intelligibilia in potentia, in quantum per abstractionem facit ea intelligibilia actu. Ad intellectum autem possibilem pertinet esse in potentia respectu *naturalium* cognoscibilium, et quandoque fieri in actu. Unde quod angelus illuminat *angelum*, non pertinet ad rationem intellectus agentis ; neque ad rationem intellectus possibilis pertinet quod illuminatur de *supernaturalibus* mysteriis, ad quæ cognoscenda quandoque est in potentia. Si quis autem velit hæc vocare intellectum agentem et possibilem, æquivoce dicet » (3).

4/ *Quoad voluntatem* in specie, *non oportet* in angelis *distinguere appetitum irascibilem et concupiscibilem.*

Hæc distinctio usu venit pro appetitu sensitivo, qui respicit bonum particulare, non autem pro voluntate proprie dicta seu appetitu intellectivo, qui solus in angelis existit.

Cum enim « potentiæ non distinguantur secundum distinctionem materialem objectorum, sed solum secundum rationem formalem objecti ; si alicui potentiæ respondeat aliquod objectum, secundum rationem communem, non erit distinctio potentiarum secundum

---

(1) Hæc exponentur in quæstione sequenti *de objecto* cognitionis angelicæ.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 54, a. 4, c.

(3) *Ibidem*, ad 2.

diversitatem propriorum objectorum, quæ sub illo communi continentur. Sicut si proprium objectum potentiæ visivæ est color, secundum rationem coloris, non distinguuntur plures potentiæ visivæ secundum differentiam albi et nigri.... Manifestum est autem ex dictis (1) quod objectum appetitus intellectivi, qui voluntas dicitur, est bonum secundum communem boni rationem.... Unde in parte intellectiva, appetitus non dividitur secundum distinctionem aliquorum particularium bonorum... Unde cum in angelis non sit nisi appetitus intellectivus, eorum appetitus non distinguitur per irascibilem et concupiscibilem; sed remanet indivisus, et vocatur voluntas » (2).

Ast rursum, quamvis proprie non sit in angelis appetitus irascibilis et concupiscibilis, eo modo quo unus ab altero secundum rem distinguitur, nihil tamen prohibet quominus unus idemque appetitus intellectivus dicatur irascibilis quatenus pro objecto habet bonum arduum, ac concupiscibilis quatenus sese refert ad bonum, quod est tantummodo delectabile (3).

Hisce intellectis facile percipitur quomodo dæmones, quorum naturam non mutavit peccatum, dicantur moti furore vel concupiscentia ; nimirum, uti advertit Aquinas, hæc metaphorice pronuntiantur, « sicut et ira quandoque Deo attribuitur, propter similitudinem effectus » (4).

5/ In fine tandem observa angelos, siquidem sunt entia intelligentia, *frui libertate*, et quidem *modo excellentiori* quam homines, quos etiam intellectu superant (5).

---

(1) *Ibidem*, q. 59, a. 1, c.

(2) *Ibidem*, a. 4, c.

(3) Cfr notam ad h. l. in ed. taurin.

(4) *Ibidem*, ad 1. — Eadem ratione explicanda veniunt amor et gaudium, quæ sunt in concupiscibili, ac ira, spes et timor quæ sunt in irascibili, atque in sacris litteris attribuuntur bonis et malis angelis. Nihil horum, uti notat s. Thomas, ad 2, dicitur secundum passiones appetitus sensitivi, concupiscibilis aut irascibilis. quippe quum in angelis deficiant.

(5) *Sum. theol.*, I, q. 59, a. 3, c.

Oportet igitur in angelis altiorem admittere modum electionis, quæ est actus proprius liberi arbitrii (1). In homine, electio supponit quamdam deliberationem, secundum sensum nativum vocis; non autem in angelis, qui non cognoscunt inquirendo, quod pertinet ad discursum rationis seu intellectus humani. « Sicut [enim] æstimatio hominis in speculativis differt ab æstimatione angeli, in hoc quod una est absque inquisitione, alia vero per inquisitionem ; ita et in operativis. Unde in angelis est electio, non tamen cum inquisitiva deliberatione consilii, sed per subitam acceptationem veritatis » (2).

Breviter itaque, omissis considerationibus aut disputationibus philosophicis, speculando circa ea quæ revelatione certo noscuntur, concludere possumus : in angelis dantur facultates intellectus et voluntatis, distinctæ ab essentia angelica, distinctæ ab invicem ; duæ tantummodo dantur potentiæ operativæ, neque hæ connectuntur cum facultatibus sensitivis, quæ in angelis non existunt : non cognoscunt angeli abstrahendo aut convertendo se ad phantasmata ; non habent intellectum agentem aut possibilem proprie dictum ; etiam in voluntate ipsorum distinguere non oportet appetitum concupiscibilem et irascibilem proprie dictum. Tandem, utpote entia intelligentia, fruuntur libertate, sed electio in ipsis inquisitivam deliberationem consilii non supponit.

H. Lamiroy.

III.

De orationis necessitate medii.

Q. *Demonstra orationis precatoriæ necessitatem* medii *ad salutem.*

R. « Ut aliquid sit necessarium necessitate medii ad finem aliquem obtinendum, oportet : 1° ut sit medium

(1) *Ibidem*, q. 83. a. 3, c.
(2) *Ibidem*, q. 59, a. 3, ad 1.

ad illum finem, id est, positive conferat ad eum attingendum, et non tantum negative, id est, non ponendo obstaculum; 2° ut tanquam medium ita conducat positive ad finem, ut sine illo finis non obtineatur, sive culpabiliter, sive inculpabiliter omittatur » (1)

Porro, doctrina catholica est orationem sensu stricto seu precatoriam, supernaturalem utique et ab orante pro seipso ad Deum directam, adultis viatoribus hac necessitate medii revera necessariam esse ad salutem, saltem juxta ordinariam Providentiæ legem (2).

Non intendimus profecto nulla auxilia etiam efficacia absque præmissa oratione a Deo concedi posse et imo concedi; nec magis hæc est intentio theseos Deum nullo prorsus adulto gratiam v. g. conversionis, aut nullo converso sive justificato salutem æternam absque oratione tribuere posse. Sed hanc contendimus legem ordinariam a divina Providentia fuisse constitutam, ut ad obtinenda bona saluti necessaria debeamus orando cooperari, ita quidem ut qui orationes aliquando non fuderit, perseverantiam certe finalem et inde beatitudinem consequi nequeat. Et est illa sententia quasi communis theologorum, præeunte s. Thoma: « ad orationem quilibet homo tenetur ad bona spiritualia sibi procuranda, quæ non nisi divinitus dantur; unde alio modo procurari non possunt, nisi ut ab eo petantur » (3).

Ad quod perspiciendum meminisse oportet tum ab intrinseco seu ex ipsa natura rei, tum ab extrinseco seu

---

(1) Ill ac rev. Waffelaert, *Annotationes in tract. de virtutibus theologicis*, ad n. 158 et cfr *Collat. Brugen.*, XXIII, p. 139 s.

(2) « Pelagiani contra, ob suum dogma de sufficientia naturæ, orationem negabant esse necessariam, utilem vero concedebant, eodem modo quo ipsius gratiæ profitebantur utilitatem. Wiccleffus satis esse contendit orationem *vitalem*, quæ in bonis operibus consistit. Et quamvis Lutherus nihil ex professo contra orationis necessitatem protulerit, quotquot tamen essentiam indefectibilis justificationis in fide reponunt de propria prædestinatione, qua fide justitiam Christi apprehendimus, orationis necessitatem consequenter negare coguntur ». Vermeersch, *Quæstiones de virtutibus religionis et pietatis*, n. 11.

(3) In 4, dist. 15, q. 4, a. 1, ad 3.

ex speciali decreto divino contingere posse ut aliquid ad salutem existat medium necessarium. In præsenti vero dicendum est necessitatem medii quæ orationi precatoriæ propria est, partim quidem in natura rei fundari, consummari autem ex positivo decreto divinæ Providentiæ, ita lege ordinaria disponentis.

Etenim « ipsa ratio, et maxime illuminata per fidem, docet consentaneum esse, ut ipse homo, qui indiget, concurrat prout potest, saltem petendo, et quærendo ad subveniendum suæ necessitati. Item eadem ratio ostendit debitum esse Deo hunc cultum, ideoque merito postulari ut medium. Denique, ut homo fructibus et perfectionibus orationis ad Deum magis in virtute proficiat, merito hæc necessitas illi imposita est; his ergo modis in natura talis operis necessitas hæc fundata est. Absolute vero sine decreto et dispositione divina non potuisset introduci tanta necessitas, ut ratio facta probat » (1).

Jamvero, existere hujusmodi decretum Dei demonstratur ex Scriptura primum: « ubi formulis affirmantibus et negantibus ea necessitas inculcatur, puta *Mt.*, VII, 7, XXVI, 41; *Lc.*, XI, 9; *Jac.*, IV, 2-3 etc. » (2). Non enim hæc et similia loca utilitatem tantummodo indicant aut consilium præ se ferunt, sed verum continent præceptum et certum notant requisitum, et quidem urgens valde. Ex quibus « necessitas medii facile probatur, attendimus, quo fine illæ orandi exhortationes fiant. Nam clarum est, illas eo dirigi, ut orando Christifideles necessariis mediis instruantur, quo salutem suam cum effectu operari *possint*, tentationum victoria atque supernaturali operatione: ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare; *Eph.*, VI, 14. Quod nihil aliud est, nisi

(1) SUAREZ, *De virtute et statu religionis*, tract. 4, l. I, c. 28, n. 6. Notat autem PRÜMMER, *Man. theol. mor.*, II, n. 346 : « Nulla gens exstitit, quæ non fuderit orationes ad Deitatem. Hoc autem est signum actum orationis ex ipsa conditione naturæ humanæ oriri, ac proinde illum esse absolute necessarium ».

(2) DIGNANT, *De virt. rel.*, n. 45.

dicere orationem esse medium necessarium ad æternam salutem » (1).

Accedit quod, secundum Suarezium, ex ipso præcepto Christi: Petite et accipietis, indirecte colligatur necessitas medii: « quia Christus Dominus non tradidit præcepta positiva, præterquam Fidei et Sacramentorum, sed explicuit clarius ea qua in jure divino naturali, ut sic dicam, et in visceribus ipsius gratiæ continebantur; ergo ostendit ideo orationem esse præceptam, quia necessaria est » (2).

Secundo, modus loquendi Patrum (3), ad orationem quod attinet, necessitatem medii aperte indicat, dum sive Scripturas hoc sensu interpretantur, sive propriam sententiam verbis absolutis aperiunt. Quibus adde doctrinam Conciliorum et catechismi Romani (4).

Ratio tandem theologica idem ostendit, declarando nempe cur Deus hanc medii necessitatem, quæ ex natura rei et ex parte nostra rationi consentanea apparet, ex parte etiam sua voluerit constituere. « Possumus rationem sumere ex ordine et consuetudine divinæ Providentiæ. Operatur enim Deus per causas secundas, quoad commode fieri potest; et servata proportione, in operatione virtutis vult cooperationem nostram: cum ergo possimus, saltem orando, cooperari ad nostram salutem, postquam per gratiam præventi sumus, hanc cooperationem merito a nobis exigit, et eam voluit esse quasi

---

(1) LEHMKUHL, *Theol. mor.*, I, n. 477.

(2) *Ib.*. n. 4. Significat autem eximius auctor, prout infra dicit, præceptum istud Christi non esse *mere* positivum.

(3) Cfr textus citatos apud VERMEERSCH, *op. cit.*, n. 17.

(4) Ita *Tridentinum*, sess. VI, c. 11, doctrinam s. Augustini referens: « Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis ». — Catechismus autem romanus sic habet, p. 4, c. 1, q. 3 seq.: « cum nihil cuique debeat Deus, reliquum profecto est, ut, quæ nobis opus sunt, ab eo precibus expetamus; quas preces tanquam *instrumentum necessarinm* nobis dedit ad id, quod optaremus, consequendum: præsertim cum quædam esse constat, quæ nisi ejus adjumento non liceat impetrare ».

necessariam causalitatem secundæ causæ ad talem effectum » (1).

Quibusnam autem orationibus illi necessitati medii homo satisfaciat, opportunius in sequenti responso declarabitur, ubi de necessitate præcepti.

Objectio tamen contra doctrinam expositam moveri posset ex impossibilitate consequendæ salutis, de lege Dei ordinaria, pro illo qui *inculpabiliter* orationem omiserit, ex errore nempe vel ignorantia: etenim hæc impossibilitas ex ratione necessitatis medii logice eruitur, sed simul bonitati justitiæque divinæ videretur parum congruere. Data autem hypothesi, respondetur cum Suarezio: « si in tali sit statu ut non possit orare, tunc non erit illi simpliciter necessaria oratio, quia Deus non exigit impossibile, et quia tunc necesse est ut Deus incipiat: donec autem ipse incipiat, necessitas orationis locum habere non potest » (2). Quod sic interpretari licet: si nunc ille vir secundum conscientiam suam faciat quod potest, incipiet sane Deus, seu illum ad notitiam orationis et omnium necessariorum mediorum adducet, prout etiam infideles negativos ad fidem trahit; si vero secus, utique damnari poterit homo nonobstante bona fide sua circa orationem, verum propter illa peccata quæ gratiam ulterioris illuminationis et doctrinæ impediverunt.

IV.

De orationis necessitate præcepti.

Q. *Ejusdem orationis determina necessitatem* præcepti *divini.*

R. De existentia quidem divini præcepti quo ad petendum a Deo auxilium adulti adstringuntur, nemo sane catholicorum ambigit; cum supra citati Scripturæ textus rem aperte evincant, reflectentique insuper suppeditet certa ratio theologica: esse nimirum orationem peccatoriam

(1) Suarez, *op. cit.*, n. 5.
(2) *Ibidem*, n. 7.

de necessitate medii ad salutem, prout in præcedenti responso demonstravimus. Nam, quando « de salute agitur, vel de alio fine ad quem consequendum obligamur, omnia necessaria necessitate medii, etiam necessaria sunt necessitate præcepti » (1).

Quæstio proinde procedit de determinando hujusmodi præcepto: quale sit nempe, et cujusnam virtutis; maxime vero quandonam urgeat, ut simul necessitati medii satisfaciat orans.

1/ Jamvero præceptum istud non est mere positivum, ut jam supra ex Suarezio audivimus; sed est potius naturale-divinum, exprimens nempe decretum illud divinæ Providentiæ quo oratio constituta est medium ad salutem necessarium. Quod ipsum decretum naturale vocatur simul ac divinum, quia fundatur in natura rei, sicut antea ostendimus, utpote cum dictamine naturalis rationis, fide præsertim illuminatæ, plane concordans. Unde etiam Christus, in Evangelio de orandi obligatione nos edocens, novum hic præceptum novæ legis non ita tradidit quam potius iterum et instanter inculcavit necessitatem medii quæ sub omni lege viguit: semper enim ad perseverantiam et salutem fuerunt tum auxilium gratiæ, tum, ad hanc, ex ordinaria Dei providentia, ipsa oratio medium necessarium.

2/ Porro, præceptum orandi per se ad virtutem religionis spectat, prout docet s. Thomas (2); ita proinde ut qui illud omissione violat, peccet contra religionem. « Ideo enim Deus ordinavit orationem tanquam medium ad salutem, ut homines quasi cogerentur in suis necessitatibus ad cultum divinum per orationem confugere » (3). Inde sequitur omissionem in hac materia peccaminosam, quamvis necessitati medii contradicat et periculum proinde creet salutis æternæ, non tamen constituere

---

(1) Ill. Waffelaert, *Annotationes in tract. de virt. theol.*, ad n. 158.

(2) « Desiderare quidem cadit sub præcepto caritatis, petere autem sub præcepto religionis ». *Sum. theol.*, II-II, q. 83, a. 3, ad 2.

(3) Dignant, *De virt. rel.*, n. 47.

speciale peccatum contra caritatem sui. Quia « generaliter, quando aliquis actus ex natura sua vel institutione divina habet honestatem necessariam ad salutem, tunc non tantum caritas vel aliæ generales virtutes, sed propria virtus ad quam pertinet illa honestas, ad talem actum obligat: ita de actu fidei, spei, pœnitentiæ, etc. » (1).

Et hæc quidem de præcepto naturali-divino valent, quod ex orandi necessitate medii procedit. Verum ex aliis adhuc capitibus et ex præcepto aliarum etiam virtutum potest obligatio orationis oriri per accidens: sic qui gravem tentationem, v. g. contra castitatem, absque oratione vincere nequit, ex præcepto sane castitatis ad orandum tenetur; aliis verbis tentationi cedet si non orat, seu peccatum admittet contra castitatem, non vero contra religionem (2). Sic etiam in necessitate proximi potest quis ad orandum pro ipso ex caritato fraterna teneri; et ex præcepto ecclesiastico plures ad speciales orationes fundendas obligantur.

3/ Sed omissis hisce præceptis per accidens, quæritur nunc quoties per se et ex proprio præcepto religionis obliget oratio ad Deum precatoria: aliis verbis, quibusnam orationibus necessitati medii fiat satis.

Qua in causa, illud primo ex s. Scriptura certum est, hanc obligationem sæpius urgere in decursu vitæ. Quamvis enim in aliquibus forsan textibus sacris, quæ ad rem

---

(1) *Ibidem.*

(2) Ad rem Suarez, *De virt. et statu rel.*, tract. 4, l. 1, c. 30, n. 17: « primo ergo ac præcipue obligatur homo ad orandum pro se, maxime in spiritualibus, qua oratione prævenitur ne incidat in tentationem, id est, non solum ut per tentationem non vincatur, sed etiam ut in illam incidere, aut ea graviter vexari non sinatur. Quodsi, nonobstante priori oratione, vel ordinaria, vel etiam extraordinaria, Deus permiserit hominem actu vexari gravissima tentatione, et ea ratione in periculo animæ suæ versari, non est dubium quin tunc teneatur homo peculiari obligatione ad orationem recurrere, ut omnes auctores docent, quia tunc maxime obligat caritas propria, atque etiam Dei. Et confidere tunc de sua libertate, esset magna superbia et præsumptio; confidere autem de solo auxilio ordinario sufficiente, esset stulta negligentia ».

pertinent, consilium misceatur præcepto, aut de necessitate per accidens subinde sermo moveatur, nemini tamen dubium esse potest sacras paginas frequentiam orationis non tantum commendare sed et præcipere, et quidem ad hoc ut homo salutem æternam consequi valeat

Ulterius autem fatendum est præceptum orandi, quatenus per se et ex virtute religionis oritur, claram temporis determinationem secum non afferre, prout notat s. Thomas: « indeterminate ad orationem quilibet tenetur, ex hoc ipso quod tenetur ad bona spiritualia procuranda »(1). Et revera, si ad obligationem presse determinandam recurras ad speciales sive proprias sive proximi necessitates quæ quandoque occurrunt, argumentum non est ad rem, quippe quod in præceptum per accidens cadit. Si tempus primi usus rationis determines ut per se obligans, quia tunc primum tenetur homo ad Deum se convertere, respondetur alio modo quam oratione precatoria id fieri posse, cum insuper ad debite petendum jam debeat orans ad Deum existere conversus. Si ultimum vitæ momentum alleges, non demonstratur assertum nisi rursus per accidens: ut « si quis, in mortali constitutus, veniam sibi petere debeat » (2). Si denique singulæ hebdomadæ aut singuli mensis regulam per se ad orandum constituas, certa rataque probatio desiderabitur; quod ceteroquin ipsa discrepantia Auctorum in hac re satis manifestat.

Restat ergo ut dicamus præceptum istud orandi, adeoque et necessitatem medii correspondentem, urgere quidem indeterminate, attamen frequenter in vita, sicut Scriptura ostendit ipsaque oratio demonstrat. Ut enim verbis utamur Suarezii: « Hoc mihi probant argumenta facta, illud præcipue, quod vita humana tota est unum continuum bellum, et consequenter unum continuum periculum, quod scimus sine continuo etiam Dei auxilio

---

(1) In 4, dist. 15, q. 1, a. 1, quæstiunc. 3.
(2) VERMEERSCH, *Quæstiones de virt. rel. et piet.*, n. 39.

et protectione superari non posse. Scimus etiam ordinarium medium a Deo constitutum ad dandum hoc continuum auxilium, esse orationem. Ergo ipsa ratio dictat non esse exspectandum extremum periculum ad orandum, essetque contra propriam salutem ad illas angustias orationem restringere; obligat ergo oratio sæpius ac per se ratione præsentis status ;.... quod usus ipse fidelium satis confirmat; vix enim invenietur aliquis tam negligens in divino cultu, et circa suam salutem procurandam, qui non aliqua privata oratione frequenter utatur. Quapropter in praxi non existimo esse necessarium nos esse nimium sollicitos de præciso tempore hujus obligationis ; quia regulariter omnes præveniunt, ut ita dicam, tempus illud ipso usu orationis » (1).

Nota. 1° Ex dictis sequitur omnes adultos, etiam peccatores, ad orandum teneri. « Etsi enim eorum oratio nequeat esse actus meritorius de condigno, erit tamen, si recte fiat, meritorius de congruo et impetratorius justificationis, quæ maxime necessaria est » (2).

2° Porro manifestum est præcepto atque necessitati de quibus agitur fieri satis, per orationem sive vocalem sive mentalem : utraque enim vero oratio est seu petitio, nec specialis forma hic per se præcipitur.

3° Oratio autem ad Sanctos non cadit sub præcepto generali. « Attamen, non omnem culpam venialem ex

---

(1) Eamdem doctrinam alio modo proponit VERMEERSCH, *l. c.* : « Deus omnia, in nobis et circa nos, ita disposuit, ut nisi affectum gesserimus religioni contrarium, ac spontaneum motum positive cohibuerimus, ultra fundamus preces eo numero qui abunde sufficiens sit. Itaque, quod de positivo officio colendi parentes valere demonstratur, in positivam obligationem colendi vel amandi Deum transferri potest. Satis erit de negativo præcepto sollicitudinem habere, ut positivi actus erumpant qui prorsus satis sint. Quare, omissa regula magis directa vel propria, rei prospicitur divina lege qua Deum despicere vel negligere prohibemur. Donec præceptum ecclesiasticum non accesserit, obligatio orandi *materialiter* eadem dici potest ac negativum religionis præceptum, quod his verbis efferas : orare ne contemnas neve positive negligas ».

(2) BALLERINI-PALMIERI, *Op. mor.*, II, n. 321.

generali vitio acediæ effugeret qui nunquam invocaret Sanctos ac præsertim Beatissimam Dei Matrem.... Imo, si quis hanc B. V. invocationem jam adeo usu privato et ecclesiastico orationibus ad Deum immixtam atque conjunctam studiose ab omni sua oratione excluderet, judicaretur agere ex gravi contemptu aut hereticali errore » (1).

4° Omissio vero precum vespere ac mane, necnon ad mensam, præceptum orandi per se non violat; sed per accidens et ex alio capite peccaminosa frequenter invenietur. Ut enim ait Lehmkuhl: « nisi aliqua justa causa, cur omittatur, adsit, per pravos affectus desidiæ, proprii commodi, respectus humani venialiter plerumque peccatur (omittendo interdum preces matutinas et vespertinas); quod suo modo etiam de precibus ante et post prandium ubique receptis dici potest.... Sed qui usum mane vespereve orandi *plane negligat*, justam suspicionem mali status animæ confessario ingerit : quare examinandus serio est, ne indigno absolutio præbeatur ». (2).

5° Tandem, quod attinet ad præceptum caritatis, non religionis, orandi pro aliis: illud quidem in necessitate proximi fundatur; sed jam sufficit ad hoc ut pro omnibus in communi identidem orare teneamur, hæc ordinaria necessitas quæ ex præsenti statu militiæ super terram omnibus oritur, et quasi naturalis conditio viatoris dicenda est. Verum, huic obligationi jam fit satis, fundendo interdum illas communes preces quæ pro omnibus fiunt, ut est : Pater noster.

Insuper caritas quandoque obligabit ad orandum in particulari, sive pro determinato homine, sive pro communitate aliqua, ratione peculiaris urgentisque necessitatis (mittimus nunc specialem obligationem conjunctionis sive status qua adstringitur v. g. Superior aliquis): cum proximum hoc modo juvare facile sit, magnamque probabilitatem effectus conjunctam habeat. E. Hosten.

---

(1) Dignant, *op. cit.*, n. 51.
(2) *Theol. mor.*, I, n. 484.

V.

De Kerk van Belgie onder het hollandsch bewind.

VI. Mgr de Méan.

V. *Geeft een beknopt overzicht der moeilijkheden betreffende Mgr de Méan, voormaligen prinsbisschop van Luik, in wien koning Willem een gewillig werktuig meende te vinden ten gunste zijner godsdienstpolitiek, en dien hij daarom tot aartsbisschop van Mechelen wenschte benoemd te zien. (sept. 1815-mei 1817).*

A. Niet alleen met allerlei vrijheidroovende wetten en besluiten (1), ook door list zou koning Willem den tegenstand der belgische katholieken trachten te breken. Zoo vatte hij, reeds aanstonds na het verschijnen van het *Jugement doctrinal* der bisschoppen, het plan op onder de geestelijkheid van Belgie verdeeldheid te zaaien; enkelen toch waren met den vrijmoedigen bisschop van Gent niet medegegaan; hun getal kon men door allerlei gunsten en voordeelen wel doen aangroeien! Doch dit kon niet veel baten, zoo de kerkelijke overheid zelf tegen de regeering gekant bleef; daarom zal dan ook Willem alles in 't werk stellen om op den toen openstaanden zetel van Mechelen eenen regeeringsgezinden bisschop te doen plaatsen. Den geschikten persoon voor dit belangrijk ambt meende hij te vinden in Mgr de Méan, voormaligen prinsbisschop van Luik; hier zal hij echter op zijnen weg het hoogste kerkelijk gezag vinden, dat, ingezien den ingewikkelden toestand der Kerk in Belgie, wel eenigzins aan de hooge eischen van koning Willem zal toegeven, maar anderzijds hardnekkig weerstand zal bieden waar het gezagsprinciep, de eer der Katholieke Kerk of de zuiver-

(1) Zie hooger bl. 297 vlg.

heid harer leer op het spel zullen staan. Mgr de Méan, die in 't begin toegaf aan de politiek van den koning, zal Goddank later zijn vroegeren misstap herstellen, door zijn onverwacht kranig optreden tegen de schoolpolitiek van Willem.

Mgr de Méan bestuurde, sedert de invoering van het Concordaat in Belgie, het gedeelte van zijn vroeger prinsbisdom, dat buiten ons land lag, te weten het district van Ravensteyn en Megen; hij had echter meer gewild, doch zijne pogingen waren tot dan toe vruchteloos gebleven (1). Koning Willem kende deze gesteltenis van den luikschen prelaat, en hoopte hem langs deze zijde voor zijn politiek te winnen. Hij begon met hem lid te noemen van de 1ste Kamer, en liet zijn inzichten kennen nopens den zetel van Mechelen; Mgr de Méan aanvaardde gretig en, mits enkele voorzorgen om te Rome niet in ongenade te vallen, legde hij den eed af van getrouwheid aan de grondwet, niettegenstaande het uitdrukkelijk verbod der belgische bisschoppen (sept. 1815); onmiddellijk daarop werd hij door den koning voor den bisschoppelijken stoel van Mechelen aangewezen. Dit bracht natuurlijk groote opschudding teweeg in het land en was voor de katholieken een ware ergernis (2).

Doch met dit alles was Mgr de Méan nog geen aartsbisschop van Mechelen! Vooreerst had de koning volstrekt

---

(1) Deze twee districten van Ravensteyn en Megen lagen midden in de Hollandsche missie, en daar ze geen deel uitmaakten van het geannexeerd Belgie onder Napoleon, waren ze niet onder de regeling van het Concordaat gevallen; zoo had Mgr de Mean gemeend zijn jurisdictie, die in Luik vervallen was verklaard door de uitvoering van het Concordaat, in Megen en Ravensteyn te mogen behouden. Na den val van Napoleon, drong hij bij het Congres van Weenen aan, opdat zijn prinsbisdom zou hersteld worden, en bekwam van het Luiksch Kapittel dat het voetstappen ten zijnen gunste aanwendde. Bij koning Willem was zijn voorspreker graaf César de Méan, zijn broer, die lid was (liberaal getint) van de Grondwetcommissie. Zie TERLINDEN, *o. c.*, p. 37, 137 vlg.

(2) Zie hooger bl. 215; TERLINDEN, *o. c.*, p. 140; DELPLACE, *o. c.*, p. 79.

geen recht van benoeming; dergelijk recht was wel door het Concordaat aan Napoleon toegestaan geweest, doch met uitdrukkelijk voorbehoud dat het alleen op katholieke vorsten kon overgaan; daarbij de *institutio canonica* bleef natuurlijk den Paus voorbehouden, en, was Mgr de Méan zwak en al te toegevend geweest, hij was er volstrekt niet op gesteld om, zooals enkele fransche prelaten onder Napoleon hadden gedaan, eene scheuring in de hand te werken. De nederlandsche regeering zag zich dus verplicht onderhandelingen met den H. Stoel aan te knoopen, om de benoeming en de kerkelijke aanstelling te verkrijgen. Reeds in october 1815 kreeg de nederlandsche minister te Rome, Reinhold, opdracht bij den H. Stoel de aanvraag in te dienen en ijverig te bewerken; de zaak zou echter zoo gemakkelijk van stapel niet loopen. Wel was de nederlandsche regeering warm ondersteund door het hof van Weenen, doch de nederlandsche minister was geen *persona grata* aan het hof van Rome; zijn optreden in de zaak "de Méan" was ten anderen al te aanmatigend en oneerbiedig; daarbij was de H. Stoel juist in dezen tijd door de belgische bisschoppen op de hoogte gebracht der moeilijkheden ontstaan in ons land rond de nieuwe grondwet, de verplichting tot den eed en andere tergende maatregelen der regeering. De H. Stoel nochtans wees de aanvraag van den nederlandschen gezant niet aanstonds van de hand; hij zocht tijd te winnen en de mogelijke toegevingen afhankelijk te maken van de oplossing der andere hangende moeilijkheden. Niettegenstaande herhaald aandringen en zelfs dreigen van Reinhold, wilde de Paus eerst een onderzoek laten instellen nopens de grieven der nederlandsche katholieken: de congregatie daarmede gelast sprak zich heel ongunstig uit over de grondwet en kwam tot het besluit dat de gevraagde eed van getrouwheid in geweten niet mocht gedaan worden; ze stelde voor met de nederlandsche regeering een vergelijk te maken betreffende eene mogelijke eedsformule. Dit werd aan Reinhold medegedeeld

op 19 maart 1816, terwijl naar den bisschop van Gent een breve van goedkeuring gezonden werd. Hierop maande het hof van Weenen koning Willem aan tot toegevendheid, doch te vergeefs; uit den Haag werd aan den minister te Rome gemeld dat over andere geschilpunten slechts mocht gehandeld worden, wanneer de aanstelling van Mgr de Méan bekomen was. Alle overeenkomst scheen aldus onmogelijk ! Doch door de verzoenende bemiddeling van het hof van Weenen en ook om reden van den benarden toestand der Kerk in Belgie, werd na de zomermaanden de zaak " De Méan " weerom aangevat en meer op haar eigen behandeld, ten einde koning Willem en zijn regeering min in 't gedrang te brengen. Een onderzoek werd ingesteld omtrent den gewezen prinsbisschop van Luik, dat ten zijnen voordeele uitviel, en eindelijk werd beslist dat Mgr de Méan kon aangesteld worden als bisschop van Mechelen, mits hij, ten einde de gegeven ergernis te herstellen, openlijk verklaarde " alles af te keuren wat de H Stoel in den door hem afgelegden eed tegenstrijdig had gevonden met de grondwaarheden van den Katholieken Godsdienst ". De oostenrijksche regeering, die zich fel had bemoeid om deze netelachtige zaak tot een goed einde te brengen, was zeer tevreden om deze oplossing ; doch koning Willem vond in de voorgestelde formuul eene afkeuring van zijn geliefkoosde grondwet en van de door hem gevolgde politiek, en wilde zich niet gewonnen geven ; hij deed zijn minister aandringen, opdat de herroeping niet openbaar zou moeten geschieden. De H. Stoel zou zich ook moeten tevreden stellen met eene verklaring van Mgr de Méan " *que par le serment prêté à la Constitution, il n'entend s'engager a rien qui puisse attaquer les dogmes de la Religion catholique, apostolique, romaine ; que jamais il ne fera rien qui y soit opposé ; qu'au contraire, il la soutiendra dans toutes les occasions possibles, et qu'en jurant de protéger toutes les communions religieuses de l'Etat, il n'entend leur accorder cette protection que sous le rapport civil, sans vouloir par là approuver*

directement ni indirectement les maximes qu'elles professent et que la religion catholique proscrit ".

Deze formuul had het voordeel een beter uitzicht te geven aan het geval van Mgr de Méan ; ze kon daarbij, aangezien ze van de nederlandsche regeering zelf uitging, als officieele verklaring doorgaan van den zin in denwelken de eed geëischt werd, wat voor de vereffening der andere hangende moeilijkheden van groot belang was. De congregatie met het onderzoek gelast, gaf zich nochtans nog niet gewonnen; doch de staatssecretaris, kard. Consalvi, inziende dat verders niets kon gewonnen worden, gaf aan Z. H. den Paus den raad toe te geven en de voorgestelde formuul aan te nemen. Alleen werd nog geëischt dat ze zou openbaar gemaakt worden ; dit geschiedde dan ook op 19 juli in het *Diario di Roma*, en in het daaropvolgend consistorie van 28 juli 1817 werd Mgr de Méan gepromoveerd naar Mechelen (1).

Ongelukkiglijk werd de goede trouw van den nieuwen aartsbisschop, of althans zijne volledige onderwerping, weldra in twijfel getrokken. Een regeeringsgezinde geestelijke uit Brussel, deken Klerens, die met de Méan bevriend was, had in een dagblad een brief laten verschij-

---

(1) Over deze belangrijke besprekingen heeft TERLINDEN tot nog toe onbekende documenten gevonden in het vaticaansch archief en benuttigd in zijn reeds meermaals aangehaald en zeer verdienstelijk werk, bl. 137 tot bl. 194. Het blijkt duidelijk dat Rome heel aan de zijde stond van den bisschop van Gent, maar de fijne diplomaat kard. Consalvi (dezelfde die met Napoleon het Concordaat tot stand bracht), wilde de zaak op de spits niet drijven, ten einde de zoo noodige regeling van den kerkelijken toestand in de Nederlanden niet onmogelijk te maken. De weinig taktvolle nederlandsche gezant te Rome, Reinhold, beging de eene onhandigheid na de andere; hij kwam gedurig aandragen met het zoogezegd recht van benoeming, gesteund op het Concordaat of zelfs op de voorrechten die de vorsten vroeger in de Nederlanden van den H. Stoel gekregen hadden ; zelf kwam hij met bedreigingen af en spelde de les aan de kardinalen in het zuiver leerstellige vraagstuk van den eed; waardig werd hij door Consalvi op zijn plaats gezet. Ten langen laatste werd Mgr de Méan *motu proprio* benoemd, zoodat niet kon gezegd worden dat op de eischen en de redenen der nederlandsche regeering was ingegaan.

nen, welke hij van den luikschen kerkvoogd ontvangen had tijdens de besprekingen te Rome. Maar daaruit scheen nog al duidelijk te blijken dat de aartsbisschop de hem opgelegde verklaring niet ernstig had opgenomen en de meening toegedaan was dat Rome den eed niet verbood. Deken Klerens wilde hiermede anderen tot den beruchten eed overhalen (1). Doch de uitval was heel anders! In Vlaanderen vooral, was men erg verbitterd over 't geen men noemde de huichelende handelwijze van Mgr de Méan en van zijne partijgangers; terwijl de regeering triomfeerde en, steunend op het gezag van den aartsbisschop, overal liet verkondigen dat de eed door Rome toegelaten was, schaarde zich de groote meerderheid der katholieke bevolking rond den bisschop van Gent en bleef houden aan het « Jugement doctrinal » totdat Rome zelf zou gesproken hebben. De Paus kwam inderdaad tusschen: bij breve van 3 dec. 1817, laakte hij ten zeerste het gedrag van Mgr de Méan en gaf duidelijk te verstaan dat zoowel na als vóór de verklaring van den aartsbisschop, de uitspraak van de belgische bisschoppen zijn volle goedkeuring had (2). Hierop haastte zich de nieuwe aartsbisschop den Paus zijn ootmoedige verontschuldigingen aan te bieden: uit zijn brief van 3 juli 1817, door deken Klerens tegen zijn wil en dank openbaar gemaakt, waren enkele deelen weggelaten geweest, zoodat zijn opvatting van den toestand en zijn inzichten verkeerd waren voorgesteld; hij had niet willen zeggen dat Rome den eed niet

---

(1) Mgr de Méan had zich tijdens de besprekingen, terug getrokken naar Regensburg; van daar schreef hij op 3 juli 1817 naar deken Klerens, onder ander, dat hij volledig gerust was nopens de geoorloofdheid van den eed, en dat de H. Vader, na rijp overleg, den eed niet veroordeeld had. TERLINDEN, *o. c.*, p. 246 vlg.

(2) *Ibid.*, p. 249 vlg. « Quoique nous eussions préféré un aveu sincère de votre part », zoo schreef de Paus, « Nous avons néanmoins admis l'acte que vous avez signé... afin que Nous ne puissions jamais Nous reprocher que notre sévérité a empêché le Gouvernement de remplir les promesses si formellement faites en faveur de la religion catholique ».

verbood ; maar wel dat de H. Stoel, zooals 't bleek uit zijn eigen geval, bezorgd was om het noodige voorbehoud en dus niet tegen elken eed gekant was ; zijn bedoeling was daarbij geweest vrede te stichten onder de geestelijken van zijn bisdom (1). Dit was aannemelijk en stilde dan ook eenigzins de gemoederen ; zelfs, zooals wij hooger zagen, kwam van dan af eene kentering in de moeilijkheden : behalve in het bisdom Gent, werden de beëedigden, mits de zoogenaamde verklaring «de Méan», met de Kerk verzoend. In Vlaanderen echter bleef de geestelijkheid op haar standpunt staan, trouw aan Mgr de Broglie, die juist in dezen tijd de kleingeestige vervolging der verbitterde regeering te verduren had.

R. Deschepper.

VI.

De alba liturgica.

Q. *Exposita breviter* origine *albæ*, *indica quid sit statutum de albæ* materia *et* ornatu.

R **Origo et historia** (2). Omnibus fere antiquis, tam Græcis quam Romanis, communis erat vestis, quam vel solam vel sub aliis vestimentis induebant, quæque totum corpus, præter brachia, tegebat ab humeris usque ad genua vel imo ad pedes. Latine communiter *tunica* dicebatur. Eam induebant universim omnes tam imperator quam plebs, quæ inde ab Horatio « tunicatus populus » dicebatur. Nunnulli interdum plures tunicas induere solebant, ut imperator Augustus qui triplici tunica vestiebatur.

Tempore reipublicæ brevior erat, ad laborem cingulo

---

(1) *Ibid.*, p. 252.

(2) Cfr J. Braun, S. J., *Die liturgische Gewandung*, Freiburg, 1907, p. 57-101 ; Rohault de Fleury, *La messe*, t. VII, p. 11-24, planches, passim ; Daremberg et Saglio, *Dict. des antiquités grecq. et rom.*, t. V, v° *Tunica* (G. Blum) ; Van der Stappen, *De celebratione missæ*, nn. 101 ; 111-112.

succingebatur et manicas non habebat. Tempore autem imperii, maxime sæc. IV et V, solebant honestiores habere tunicas ad pedes defluentes (talares) et manicis longioribus ac angustis præditas (1).

Apud veteres generatim ex lana conficiebatur; recentiori autem tempore sæpius ex lino contexta erat, notatim tunica inferior, quæ inde nomine proprio *linea* vocabatur, ut ex historia s. Cypriani elucet (2).

Ornatum tunicæ, si quis esset, efficiebant duo *clavi*, seu fasciæ purpurei aut fusci coloris, qui ab utroque humero in tergum et in pectus descendebant usque ad renos, genua vel pedes (3). Qui autem duabus utebatur tunicis, hunc ornatum reservabat soli tunicæ superiori, adeo ut inferior seu linea nullo esset insignita ornatu speciali, nisi forte in ima parte apparente circumdaretur aliquo parvo limbo.

Hanc tunicam inferiorem, *lineam*, *talarem*, *longis angustisque manicis præditam*, *sed nullis clavis insignitam*, induebant etiam sacerdotes et clerici in ministerio sacro; et eam servarunt posteaquam, habitu barbaro admisso, in vita civili, tunica antiqua fuisset derelicta. Et ita linea facta est vestis liturgica seu propria servitio divino. Quæ quum ex lino candido conficeretur, nomine *albæ* communiter vocata est.

Ampla et sinuosa erat tunica antiqua. Alba vero, quantum ex documentis graphicis usque ad sæc. XI conspicere licet, multo angustior erat et ab humeris ad

---

(1) S. Augustinus, *De doctr. christ.*, III, 20. « Talares et manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat; nunc autem honesto loco natis cum tunicati sunt, non eas habere flagitium est ».

(2) *Cypriani acta proconsularia*, 5 (ed. Hartel, Vindobonæ, p. cxiii): Ad martyrium « in agrum Sexti productus se *lacerna byrro* exspoliavit... et cum se *dalmatica* exspoliasset... in *linea* stetit ».

(3) Interdum etiam ornatus gratia addebantur, in tunica sicut in aliis vestibus, quidam panni quadrati, rotundi aut circulares, variis coloris, qui dicebantur *segmenta*, *sigilla*, *galliculæ*. Hujus usus meminit epistola s. Jacobi, II, 2: « si introierit in conventum vestrum vir *aureum annulum* habens *in veste candida* ».

pedes æqualis latitudinis; ornatum habebat vel nullum, vel interdum limbum varii coloris, qui oram inferiorem et manicarum exitus undequaque circumcingeret. A sæc. XI, pulchritudinis et commoditatis gratia, inserti sunt ab utroque latere panni cuneiformes (geeren), qui deorsum ampliarent albam ita ut ad pedes facilius et ampliori sinu circumvolveret.

Brevi autem cœpit limbus præfatus seu aurifrisium dilatari in fasciam latiorem, ut videmus v. g. in pulcherrima alba s. Bernulfi (s. XI) Ultrajecti servata. Sed præ rigiditate ornatus difficilius poterat jam alba in gratos motus et sinus defluere. Ut huic incommodo obviarent, jam non admissus est præfatus ornatus in cuneis recentius a latere insertis, et remansit aurifrisium in latitudine antiquioris albæ, h. e. in parte anteriori et posteriori. Exemplum maxime notandum præbet casula a s. Thoma Cantuariensi nuncupata, quæ in museo archiepiscopali Senensi asservatur (1). Pedetentim duplex illa fascia superaddita, quæ vocari solet *parura*, *grammata*, *plagula*, *aurifrisium*, *frisia*, etc., restricta est ad formam quadratam aut oblongam. Simili processu fascia circularis ad extremitatem manicarum restricta est ad solam partem superiorem (2). Et talis permansit albæ ornatus usque ad finem medii ævi, constans nempe quatuor « paruris » seu pannis variis coloribus acu pictis, auro aut etiam gemmis intextis aut ex pretiosa textura confectis.

Sæculo tandem XVI cœpit alba, rejectis paruris, ornari opere reticulato (netwerk) vel denticulato (kantwerk), quod vel insertum est inter duas partes lini (tusschenschot, entre-deux) vel appositum est ad extremitatem inferiorem. Hic ultimus modus ornandi albam infeliciter

---

(1) Hanc esse revera paruræ originem, quam frustra quærebat J. Braun, *o. c.* p. 83, fusius exposuimus ap. *Liturgisch Parochieblad*, 1925, p. 253 ss., *Waar komen de « parurae » of versierbelegsels der middeleeuwsche albe vandaan?*

(2) Similis parura apponi solebat etiam amictui, cf. supra, p. 304.

decursu temporis adeo exaggeratus est, ut ornatus interdum superet mediam partem indumenti, ita ut alba linea seu alba stricte dicta – vix infra pectus descendat, virilem dignitatem vestimenti sacerdotalis amittat et vix nomen albæ mereatur.

II. **Materia** albæ, ut apparet ex historia, ex usu communi et decretis S. Rit. Congregationis, debet esse *linum aut cannabe* (1) album. Ita notatim statuit decretum generale n. 2600 quod exinde pluribus aliis decretis (nn. 3387; 3455, 1, 2; 3868, 1, 2) fuit sancitum. Decretum n. 3995 pro aliqua provincia Sinensi permittit usum telæ alicujus *Hiapou* nuncupatæ, sed tantum « attentis peculiaribus adjunctis » « de speciali gratia » « et dispensando a lege et usu telæ lineæ » (2). Similis quædam eoncessio a quibusdam congregationibus et pauperioribus ecclesiis obtenta fuit in favorem sic dictæ *telæ mixtæ* ex lino nempe et gossypio confectæ. Etsi forte aliquando ratione paupertatis specialis, hujusmodi tela mixta tolerari possit ad tempus, nullo modo est admittenda tanquam de jure licita (3).

Ratione albedinis habetur hoc indumentum ut symbolum *puritatis animæ*. Unde intelligitur oratio quæ præscribitur in induenda alba : « *Dealba* me, Domine, ut in sanguine Agni *dealbatus*, gaudiis perfrui merear æternis ». Idem significat formula qua Episcopus imponit clerico superpelliceum, quod est albæ diminutivum : « Induat te Dominus *novum hominem*, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis ».

III. De **ornatu** albæ hodie non exstat speciale præceptum, adeo ut ad traditionem et usum receptum sit

---

(1) Idem non valet de superpelliceo et rochetto.

(2) Idem conceditur pro amictu et mappis altarium, nullo tamen modo pro corporali, palla et purificatorio, quæ propius tangunt SS. Sacramentum et pro quibus semper majorem severitatem ostendit S. Cong., v. g. DD. 2600; 3455, 2; 3868, 2.

(3) Decr. 1287, 15 maii 1664, olim diserte rejecerat telam ex lino et gossypio.

recurrendum. Ornatus non requiritur ullus, præter albedinem et munditiem. Addi tamen solet et imitari potest vel usum mediævalem cum quatuor paruris, vel praxim recentiorem operis denticulati aut reticulati, sive inter linum inserti, sive extremitati adjecti, aut etiam operis phrygii in ipso lino acu picti (borduurwerk of ketensteek).

In hoc ornatu permittit quidem decretum n. 3191, 5 repræsentare « cruces, ostensoria, calices cum hostia, figuras angelorum et alia similia sacra ». Sed non omnia quæ licent, expediunt, et in extremitate albarum non videtur esse locus conveniens ostensoriis, calicibus et hujusmodi.

Item « *tolerari* potest » ut canonici solemnioribus diebus utantur alba ornata fimbriis seu reticulo *a cingulo deorsum* ». (D. 3804, 12). Sed hoc minus decere, tam canonicis quam ceteris, ex supradictis satis elucet. Convenientius nobis videtur ut fimbria non excedat 20 vel ad summum 25 centimetra. « Nimius enim labor in his ornandis vanitatem sapit et levitatem », ait Gavantus (1).

Tandem « *toleranda* est consuetudo utendi fundis rubri vel violacei coloris in fimbriis et manicis albarum » sed « regulariter color fundi colorati respondere debet colori vestis, et respectivæ extremitatis manicarum, quo uti potest unusquisque celebrans vel minister ». D. n. 4186, 25 maii 1906.

C. Callewaert.

(1) Ceterum alba debet esse talaris seu descendere ad pedes. Quando autem ad extremitatem inferiorem lini appenditur fimbria præsertim levior (v. g. tulle), in tantum videtur decurtari alba, quanta est longitudo fimbriæ. Idem vero non est, si ornatus acu pingitur super linum, vel inseritur inter duas partes lini (entre-deux) : tunc enim protrahitur alba linea usque ad extremam oram lini inferioris. Unde hic modus præferendus videtur.

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis julii propositas.

—

I.

Psalmus LXVII Exsurgat Deus.

Q. *Indigitata occasione cui respondet psalmus LXVII* Exsurgat Deus, *ejusdem psalmi indica argumentum generale illudque juxta varias strophas in eodem repertas distinctim describe.*

R. Psalmum LXVII (hebr. LXVIII), tum in se, tum potissimum in eo textu quo in Vulgata nostra prostat et a nobis, sacerdotibus, singulis feriis quintis (II Noct.) et in officio Pentecostali (Matut.), recitandus est, ex difficilioribus esse nemo sane infitiabitur; et quidem nonnulli versiculi, uti, inter alios, vv. 12-15 in proximo fasciculo *Collationum* explicandi, vere in loca classica ænigmatum Officii evaserunt. Putamus intellectui et memoriæ juvandis non modicum posse conferre tum ideam generalem quamdam de occasione et argumento psalmi integri, tum nitidam distinctionem variarum stropharum quibus dissecari potest (1).

---

(1) Hic LXVII unus est certe ex illis psalmis de quibus in Introductione ad nostrum *Psalmi et Cantica Breviarii*. ed. 1ª (1913), p. LXXI dicebamus : « Hæc psalmorum in strophas distributio, ni fallimur, sacerdoti suos psalmos in Breviario suo recitanti, maximam utilitatem afferre nata est.... Et hic iterum, optimum esset si, in adjutorium memoriæ, saltem in ipso *Psalterio* Breviarii nostri, has — vel alias forte cuilibet meliores visas — strophas indicaremus, parva lineola strophas ab invicem separantes : revera multo facilius ideam centralem perspicies, ad quam reliqua reduces, in parva quadam stropha 3, 4, 5 versiculorum, quam in longo quodam ac integro psalmo ; præterea non raro poëta

Quod autem *occasionem* et *argumentum generale* spectat, equidem dici potest psalmum « carmen esse triumphale et eucharisticum quo Israëlitae, e bello quodam redeuntes et in triumpho Hierosolymam, urbem regni principem ingredientes, laudes Jahve, ducis sui summi, læti canunt, clamores edente exercitu et plaudente multitudine » (1); — si vero determinatius quæritur de quonam bello et de quanam victoria agatur, res plane in incerto relinquenda esset, tum quia quamplurimæ (2) fuerunt excogitatæ sententiæ quin ulla unquam communia suffragia sibi conciliaverit, tum quia revera vix ullæ eæque subobscuræ tantum allusiones in ipso psalmo detegi posse videntur (3). Ceteroquin pro psalmi intelligentia, saltem in plerisque ejus partibus, illa notitia determinata non ita momentosa videtur. Psalmus enim videtur hujusmodi esse ut, quoad pleraque saltem occasione cujuslibet victoriæ divino auxilio relatæ decantari potuerit : videtur

---

hebræus, pro vivaci imaginatione sua, strophis diversis et absque transitione, ab una idea ad omnino aliam ideam prosilit; jamvero si versus et membra versuum non semper nitide et exacte indicantur in psalterio nostro, multo minus adhuc strophæ; imo... non raro contingit eodem quodam versiculo in unum componi duas sententias omnino ab invicem alienas, quarum prior ad stropham quamdam anteriorem, altera ad stropham subsequentem pertinet [vide v. g. v. 15 psalmi LXVII] : parva illa lincola, strophas dividens, miro modo memoriam tuam juvare poterit eique indicabit, novam hic, forte omnino aliam, ideam incipere ».

(1) VANSTEENKISTE, *Liber Psalmorum*, Brugis, 1886 p. 577.

(2) W. VAN KOEVERDEN, in *De Katholiek*, 1914, t. 145, p. 440 non minus quam triginta sententias a variis auctoribus propositas collegit.

(3) Ita, aiunt, v. 6 Deum describi ut *patrem orphanorum* et *judicem* seu vindicem *viduarum;* quod alluderet ad captivitatem babylonicam; sed nonne Deus decursu historiæ sæpe sese exhibuit ut protectorem populi sui afflicti ? et nonne hæc idea facile utraque illa metaphora describi poterat ? et nonne psalmista scribens v. g. tempore David vel alio quovis tempore hac utraque metaphora poterat exaltare Dominum qui et quia populum Israël de Ægypto eduxerat ? — Item quod Israëlitæ, v. 7, dicuntur *vincti*, multis periodis historiæ israëliticæ convenire poterat. — Item quod v. 31 citatur, inter gentes hostiles, Ægyptus et v. 32 Æthiopia, ad quamnam præcise periodum historiæ alluderet hoc ?

enim, ut poterimus in notis diversis strophis subjiciendis per pauca ostendere, in honorem Domini et Arcæ fœderis, magnis lineis totam historiam populi Israël depingere, ab ipso exordio quo, de Ægypto egrediens, vere ut populum independentem se gerere cœpit usque ad momentum quo definitivo modo montem Sion sibi Dominus in habitationem elegit; mirabilia Dei intuitu populi sui perfecta recolit et celebrat (vv. 2-28), divinum auxilium pro futuro expostulat (vv. 29-32) populique integram fiduciam in Dominum suum proclamat (vv. 33-36) (1).

Strophæ sequentes sat facile distingui posse videntur :

I. Iisdem verbis quæ, teste *Num.*, x, 35, clamabat Moyses quotiescumque elevabatur arca ut coram populo Israël per desertum veheretur, celebrat Psalmista potentiam Dei qui hostes suos devincit et populo suo victoriam largitur (vv. 2-4) (2). — Hæc stropha magnificum sonat ad integrum psalmum *exordium*.

Sequuntur plures strophæ quas merito ut *Corpus carminis* habebis :

II. Deus, Infirmorum fortitudo et oppressorum liberator, olim populum suum eduxit de Aegypto fecitque, rebellibus in deserto relictis, eum in terra Chanaan tamquam in domo habitare (vv. 5-7) (3).

---

(1) Pauci auctores æstimant psalmum non esse historiæ illius præteritæ delineationem, sed potius celebrationem alicujus determinatæ victoriæ decursu illius historiæ reportatæ. Cfr VAN KOEVERDEN, *l. c.*, pp. 440 ss. Omnibus tamen perpensis non videtur huic sententiæ adstipulandum.

(2) Factum ipsum quod hæc stropha eadem plane verba repetit quæ in libro *Num.* in ore Moysis ponebantur, facilius intelligitur si hæc stropha ad idem illud factum alludit.

(3) V. 5 optime intelligitur de itinere populi per desertum : ibi enim revera Deus progrediebatur « *per deserta* » (ita, missis aliis multis interpretationibus, multi vertunt vocabulum quod Vulg. reddidit : *super occasum*; ibi quoque Deus revelavit nomen suum : *Jahve* seu, ut hîc legitur, *Jah*. — Similiter vv. 6-7 optime de deserto audiuntur : in loco sancto suo, in tabernaculo ubi habitabat in deserto, erat Dominus

III. Populum suum, per desertum migrantem, omnigenis benedictionibus replebat : coram illo, arca sua, incedebat, manifestavit ei potentiam suam in monte Sinai, providit ipsis cibum et potum (vv. 8-11) (1).

IV. Dedit ipsi splendidas referre victorias, spolia et terram populorum Chanaan inter se dividenda (vv. 12-15a) (2).

V. Habitatione sic præstita populo, ipse quoque Dominus sibi elegit domum, montem nempe Sion, relictis omnibus aliis montibus, quantumvis pulchrioribus et altioribus, ad eumque montem solemni pompa, victor et triumphator, arca sua ascendit (vv. 15b-19) (3).

VI. Et triumphabundus eructat Psalmista suam integram fiduciam in Dominum qui potens est salvare de omni angustia et promisit se omnes hostes suos et populi devicturum (vv. 20-24).

VII. Describitur processio triumphalis qua, omnibus tribubus Israël circumdatus, Dominus arca sua ad sanctuarium ascendit (vv. 25-28) (4).

---

tamquam pater orphanorum et vindex viduarum, educebatque eos versus Chanaan ubi, quod hucusque non fuerat, habitarent Hebræi tamquam in domo, in patria propria sibi; rebelles vero manserunt in terra arida (Vulg. : in sepulcris), ab introitu terræ sanctæ exclusi.

(1) Vv. 8-11 facile de mirabilibus deserti audiuntur, ut patet legenti : ita v. 8; — v. 9 ubi de terribili theophania sinaïtica (quamvis utique voc. Sinai (hebr. : iste Sinai) non sit indubie authenticum; cæterum v. 8-9 reproducunt *Jud.* v, 4-5 qui omnino de exitu de Ægypto audiendi videntur); — v. 10 obvie alludit ad pluviam mannæ et ad aquam de rupe; v. 11 ad prodigium coturnicum.

(2) De his vv. 12-15 vide responsum ad qu. primam in fasc. seq.; unde patebit hos vv. facile audiri de occupatione terræ promissæ.

(3) Psalmista non videtur voluisse mentionem facere de variis sanctuariis ubi Dominus habitaverat antequam montem Sion eligeret; sed, scribens tempore quo sanctuarium, forte jam diu, est in Jerusalem (cfr v. 30), obvie solum montem Sion memorat.

(4) Memorantur tribus israëliticæ tum ex illis quæ, post Salomonem, regnum Juda, tum ex illis quæ regnum Israël constituebant; quod iterum obvie intelligitur si poëtice voluit describere ipsum primum Domini ingressum in sanctuarium sibi in Terra sancta electum.

VIII. Memoratis sic victoriis præteritis et proclamata divina omnipotentia ejusque promissione, jam sequitur oratio ut Deus perficiat opus quod incepit : omnes hostes tuos ac nostros devince, subjice eos tibi et coge ut tributa solvant tibi (vv. 29-32).

IX. In fine, per modum *epiphonematis*, integram suam fiduciam proclamat in Dominum, qui de sanctuario suo virtutem et fortitudinem largitur populo suo (vv. 33-36).

A. Vander Heeren.

II.

De ambitu cognitionis angelicæ.

Q. *Determina ambitum cognitionis naturalis in angelis.*

R. — Juxta quæstionem dicendum est de ambitu cognitionis angelicæ objective spectatæ, seu de iis quæ angeli cognoscunt aut ignorant *naturali lumine* intellectus sui ; non inquirimus itaque de iis quæ noverint angeli per revelationem supernaturalem, neque de iis quæ beati spiritus Deum intuendo vident. Methodo utimur eadem qua in præcedenti responsione, s. Thoma præeunte videlicet, speculantes plerumque circa ea, quæ revelatione nobis certo innotescunt

I. — Jamvero 1/ angeli, utpote entia spiritualia, intellectu prædita, manifeste cognoscunt *seipsos*, nec est cur in hac veritate probanda diutius immoremur (1).

Sola difficultas hæret in explicando modo, quo seipsos cognoscunt, quam difficultatem in sequenti responso dissolvere intendimus.

2/ Angeli cognoscunt *Deum*, ut aperte testatur multoties s. Scriptura et facile eruitur ex iis quæ de natura et de facultate intellectiva in angelis jam disputavimus (2).

---

(1) Cfr *Sum. theol.*, I, q. 56, a. 1 et *Quæst. disp. de veritate*, q. 8, a. 6.
(2) Vide supra, p. 282 s. et p. 348.

Etenim seipsos cognoscentes, intelligunt se non esse per se ipsos, seu non esse entia necessaria, sed contingentia ; aliis verbis, in sua perfectione participata et limitata, intelligunt esse perfectionem increatam et infinitam, cujus similitudinem referunt, et sic. ut ait Aquinas, « angelus cognoscit Deum in quantum est similitudo Dei » (1). Revera, omnia « quæ sunt a Deo, assimilantur ei, in quantum sunt entia, ut primo et universali principio totius esse » (2).

Ulteriorem vero explicationem, quod modum hujus cognitionis attinet, ad sequens responsum rursus remittimus.

3/ Angeli cognoscunt *alia a se,* nimirum entia *spiritualia* et adhuc *materialia,* et quidem *in singulari.*

a/ Angelos *mutuo se* cognoscere, quod factum spectat, satis liquet ex Scriptura sacra, quæ spiritus tum beatos tum lapsos describit ut ad invicem loquentes et in unum opus conspirantes (3).

Idem alioquin ex natura eorum spirituali facile intelligitur. Sicut homini, composito corpore materiali et anima spirituali, « per intellectum connaturale est cognoscere naturas, quæ quidem non habent esse nisi in materia individuali ; non tamen secundum quod sunt in materia individuali, sed secundum quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus,.... [ita] intellectui angelico [nullatenus connexo cum sensu] connaturale est cognoscere naturas non in materia existentes » (4) ; adeoque intellectus angelicus per se primo intelligit naturas immateriales creatas, quæ Deum inter et res materiales mediæ consistunt (5).

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 56, a. 3 et *De veritate*, q. 8, a. 5.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 4, a. 3, c.

(3) Cfr *Is.*, VI, 3; *Zach.*, II, 4; *Apoc.*, VII, 2; *Lc.*, VIII, 3, XI, 26 etc.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 4, c. et cfr q. 56, a. 2 necnon *De veritate*, q. 8, a. 7.

(5) Adverte, quod s. Thomas probat eadem q. 12, a. 4, c., nullum intellectum creatum etiam angelicum videre Dei essentiam; unde

b/ Testimoniis sacris omnibus notis pariter aperte videtur angelos cognoscere *res materiales*, siquidem in homines et in mundum materialem agunt (1).

Ex perfectione ceterum angelorum et ordine in rerum universitate vigente, sic idem adstruit s. Doctor communis : « Talis est ordo in rebus, quod superiora in entibus sunt perfectiora inferioribus ; et quod in inferioribus continetur deficienter, et partialiter, et multipliciter, in superioribus continetur eminenter, et per quamdam totalitatem et simplicitatem. Et ideo in Deo, sicut in summo rerum vertice, omnia supersubstantialiter præexistunt secundum ipsum suum simplex esse » (2). Unde, ait, quum angeli sint, inter ceteras creaturas, Deo propinquiores et similiores, plura participant et quidem perfectiori modo, adeoque omnia etiam materialia in ipsis existunt, non secundum modum materialem, imperfectum, sed secundum modum perfectiorem, immaterialem videlicet, « quia omne quod est in aliquo, est in eo per modum ejus in quo est ». Sic igitur materialia sunt in angelis secundum modum immaterialem et intelligibilem, « multiplicius [tamen] et imperfectius quam in Deo » (3).

c/ Angeli cognoscunt adhuc *singularia*, quod ex iisdem testimoniis sacris affatim apparet; idem rursus ex convenientia arguendo probat Angelicus simul ac explicat :

« Sicut homo cognoscit diversis viribus cognitivis omnium rerum genera, intellectu quidem universalia et immaterialia, sensu autem singularia et corporalia, ita angelus per unam intellectivam virtutem utraque cog-

---

concludit : « Cognoscere ipsum esse subsistens est connaturale soli intellectui divino, et est supra facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati, quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum ».

(1) Ita angeli custodes et etiam dæmones, uti constat horum impugnationibus, de quibus sæpius loquitur Scriptura.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 57, a. 1 et cfr *Contra gentiles*, II, 99 ac *De veritate*, q. 8, a. 8.

(3) *Sum. theol.*, *l. c.*

noscit. Hoc enim rerum ordo habet quod quanto aliquid est superius, tanto habeat virtutem magis unitam et ad plura se extentendem ; sicut in ipso homine patet, quod sensus communis, qui est superior quam sensus proprius, licet sit unica potentia, omnia cognoscit quæ quinque sensibus exterioribus cognoscuntur, et quædam alia quæ nullus sensus exterior cognoscit, scilicet differentiam albi et dulcis. Et simile etiam est in aliis considerare. Unde cum angelus naturæ ordine sit supra hominem, inconveniens est dicere quod homo quacumque sua potentia cognoscat aliquid quod angelus per unam suam vim cognoscitivam, scilicet intellectum, non cognoscat » (1).

II. – Ex præmissis jam sequitur 1/ angelos, per vim suam naturalem, detegere non posse *mysteria gratiæ*, quæ a libera Dei voluntate pendent et tantummodo per revelationem, aut pro beatis spiritibus per visionem Dei intuitivam, cognosci queunt (2).

2/ Eadem naturali sua cognitione, angeli nesciunt pariter *secreta cordium*, ut dicitur, seu ea quæ a libera voluntate creata dependent.

Ratio hujus assertionis desumitur ex ipsa revelatione, quum Scriptura sacra sæpius doceat solius Dei esse novisse « abscondita cordis » (3) ; ipse solus « Dominus scrutans cor, et probans renes » (4); unde Deus oratur : « Tu nosti cor omnium filiorum hominum » (5), « scrutans corda et renes Deus » (6).

Eadem doctrina multis testimoniis ss. Patrum confirmari potest (7), sed et explicite scribit s. Hieronymus :

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 57, a. 2; *Contra gentiles*, II, 100; *De veritate*, q. 8, a. 11 et q. 10, a. 5.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 57, a. 5, c. et cfr *Collat. Brugen.*, II, p. 196 s.

(3) *Ps.* XLIII, 22.

(4) *Eccli.*, XLII, 18 et cfr *I Reg.*, XVI, 7.

(5) *III Reg.*, VIII, 39 et cfr *II Paral.*, VI, 30.

(6) *Ps.* VII, 10; coll. *Job*, XVI, 20; *Sap.*, I, 6; *Act.*, I, 24; *I Cor.*, II, 11; *Hebr.*, IV, 12 s. etc.

(7) Vide C. MAZZELLA, *De Deo creante*, n. 392, p. 267, Romae, 1880[2]; JANSSENS, *Sum. theol.*, VI. *De Deo creatore et de angelis*, p. 665 s., Frib. Br., 1905.

« Diabolus in anima intrinsecus nescit quid cogitet homo » (1) ; ita etiam Cassianus : « Nulli dubium est quod possint spiritus immundi cogitationum nostrarum attingere qualitates, sed indiciis eas sensibilibus forinsecus colligentes, id est, aut ex nostris dispositionibus, aut ex verbis et studiis in quæ propensius nos perspexerint inclinari. Ceterum illas, quæ necdum de internis animæ prodierunt, adire omnino non possunt » (2).

Nesciunt angeli lapsi, et etiam beati, per sua naturalia, quæ in corde hominis aut etiam in mente alterius spiritus, libera voluntate concluduntur, nisi ex effectu, ut modo apud Cassianum legimus; idem inculcat s. Hieronymus, eodem loco, loquens de diabolo, qui « nescit, inquit, quid cogitet homo, nisi per exteriores motus intelligat, et in quo unumquemque delectari videt, diversas suggestiones infert ».

Hæc est etiam doctrina s. Thomæ, qui primo arguit ex revelatione, qua constat, ait, « cognoscere cogitationes cordium esse proprium Dei » (3); sed insuper addit hanc rationem : « Quia voluntas rationalis creaturæ [seu hominis, et etiam intellectualis creaturæ, quæ est angelus] soli Deo subjacet, et ipse solus in ea operari potest » (4), ut in tractatu de Deo creante, ubi de motione divina dicitur, latius explicatur.

3) Tandem, eadem naturali cognitione, *futura* non perfecte ab angelis cognoscuntur.

Numquam scilicet cognoscunt futura *in seipsis;* nam « sic solius Dei est futura cognoscere » (5), et quidem omnia, sive necessaria, sive libera, uti in tractatu de Deo probatur, ubi de scientia divina disputatur.

---

(1) S. Hieronymus, *Brev. in Ps.* xvi, 20 (MPL, XXVI, 860).

(2) Cassianus, *Collat.*, vii, 15 (MPL, XLIX, 687).

(3) *Sum. theol.*, I, q. 57, a. 4, sed contra.

(4) *Ibidem*, in c. et cfr *De veritate*, q. 8, a. 13 necnon *De malo*, q. 16, a. 8. — Advertit s. Thomas in responsione ad 2, in q. 57, a. 4, idem de angelis dicendum ac de hominibus, quatenus et illi aliis spiritibus suas cogitationes possunt non manifestare.

(5) *Sum. theol.* I, q. 57, a. 3, sed contra.

Alio tamen modo cognosci possunt futura *in causis suis*, et sic futura *necessaria*, quæ in causis suis omnino determinata existunt, ab angelis, sicut alioquin ab homine, cognosci possunt, sed eo melius ab illis quo perfectius præ nobis rerum omnium naturas penetrant.

Futura vero *libera* prorsus ignorant angeli, adeoque etiam quædam futura necessaria, utpote cum eventibus futuris con ingentibus seu liberis connexa; de hisce tamen sicut et de ipsis actionibus liberis cognitionem conjecturalem habent, quam etiam hominibus adscribere oportet, eamque eo perfectiorem rursus nostra cognitione, quo perfectius præ nobis dispositiones hominum percipiunt (1).

Cognoscunt igitur naturali sua cognitione spiritus tum seipsos, tum Deum, tum adhuc alios spiritus et homines et mundum materialem, etiam in singulari; latent eos mysteria gratiæ et secreta cordium; futura necessaria vero cognoscunt, non tamen in seipsis sed in causis suis determinata.

H. Lamiroy.

III-IV.

De sigillo et usu scientiæ sacramentalis.

Q. *Explica can. 889 § 1 et 890 § 1 de sigillo et usu scientiæ sacramentalis.*

R. *Prænotanda.*

a/ Revelatio vel usus scientiæ sacramentalis cum gravamine pænitentis prohibetur *virtute religionis* et quidem *absolute.*

Christus Dominus instituit sacramentum pænitentiæ ad remissionem peccatorum et curationem spiritualem animarum, imo tanquam medium necessarium reconci-

---

(1) *Ibidem*, in c. et a. 4, ad 3; *De veritate*, q. 8, a. 12; *De malo*, q. 16, a. 7 et cfr *Collat. Brugen.*, II, p. 192 s.

liationis. Porro, ordinavit hoc sacramentum ad instar tribunalis in quo sacerdos pronuntiat judicialem sententiam absolutionis, postquam cognoverit de peccatis et dispositionibus pænitentis. Habet itaque peccator jus a Christo sibi datum communicandi cum ministro sacramenti quidquid ipse in ordine ad sua peccata et dispositiones manifestanda utile judicaverit, ut optimo modo hoc sacramento utatur. Hæc scientia, ob intrinsecam ordinationem sacramenti, in finem absolutionis cum ministro communicata, dicitur *sacramentalis*.

Jamautem, quia scientia ita acquisita ad alios fines præter remissionem sacramentalem haud difficulter adhiberi potest et quia talis naturæ est ut ejus revelatio, aut usus, pænitenti gravamini esse queant, hujus gravaminis timor natus est nocere fini institutionis, avertendo homines a susceptione sacramenti. Quare necesse est ut *virtute religionis* hujusmodi revelatio vel usus prohibeatur et ita prædictus timor auferatur.

Imo, oportet ut hæc prohibitio nullam unquam admittat exceptionem. Ratio est quia, si exceptio ob hujusmodi revelationis vel usus utilitatem a confessario admitti posset, necessario remaneret timor gravaminis, qui natus est accessum ad medium salutis perutile et multis necessarium reddere difficiliorem, cum magno sane, imo prudenti hominis judicio *inappreciabili*, damno *spirituali communitatis* christianæ *omnium temporum*. Jamvero sana ratio ostendit tale ac tantum nocumentum absolute vitandum esse, seu nullam unquam utilitatem *prudenter* æstimandam esse illud compensare, adeoque Deum semper invitum esse ut quævis exceptio, etiam ob gravissimam causam, admittatur.

b/ Revelatio vel usus scientiæ sacramentalis cum gravamine pænitentis prohibetur quoque *virtute justitiæ*, et ita quidem ut jus pænitentis nullo unquam jure contrario evinci possit.

Christus Dominus sacramentum pænitentiæ instituens ad remissionem peccatorum et curationem spiritualem

suscipientium, confessionem pænitentis ad hoc jussit fieri ut per eam minister necessariam scientiam ad exercitium hujus ministerii sacramentalis haberet.

Quare, si sola ordinatio intrinseca sacramenti inspicitur, sequitur peccatores quibus Christus hoc sacramentum destinavit, jus habere ut scientia status animæ suæ, eorumque omnium quæ in finem sacri istius instituti utiliter revelanda existimaverint, in nullum alium finem ulterius adhibeatur nec alicui tertio manifestetur.

Verum, quia exercitium istius juris adnexum habet ex parte ministri onus vigilandi ne actionibus aut verbis ad alios fines scientiam acceptam adhibeat, Christus noluit obligare sacerdotem ad suscipiendum hujusmodi onus pro mero lubitu pænitentis, sed uti ex præcedentibus liquet, voluit ut illud suscipiat quoad revelationem et usum scientiæ sacramentalis quæ sunt *cum gravamine* pænitentis. Porro, quia revelatio et usus hujusmodi sine pleno consensu pænitentis ex virtute religionis *nunquam* licent, jus pænitentis nullo unquam contrario jure evinci potest.

Adverte prohiberi omnem usum cum gravamine, etiamsi multo majus gravamen ex non-usu sequatur. Id constat ex decreto S. Officii, 18 novembris 1682 : » *De propositione :* « scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine pænitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur », addita deinde explicatione sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pænitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multo majus gravamen ejusdem pænitentis ex non usu sequeretur, *statutum est,* « dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pænitentis, omnino prohibendam esse, etiam cum dicta explicatione sive limitatione » (1).

c/ Opiniones mere probabiles ab obligatione legis

(1) Cfr DENZINGER, *Enrichidion symbolorum*, n. 1220.

eximentes in hac materia sequi non licet, non tantum si hæc probabilitas sit *facti*, uti ex præcedentibus facile liquet, sed etiam si *juris* sit.

Ratio est, uti dicit Vermeersch (1), « quia sanctitas salviconducti regii postulat latam interpretationem, opiniones autem severæ, quæ sint probabiles nobis demonstrant quousque lata interpretatio pertingat ; et quia opinio probabilis linquit *immediate* periculum violationis materialis quod hic, propter superiorem ordinem ad quem lex ista pertinet, nequit principio reflexo evacuari ».

Hisce præmissis, *canones explicamus*.

I. — Can. 889 § 1 : « Sacramentale sigillum inviolabile est ; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem ».

Explicatur : virtutibus *religionis* et *justitiæ* scientia sacramentalis protegitur et quasi sigillatur ita ut, *invito pænitente*, eam *revelare* vel ea *uti* nunquam liceat, prævisa probabili *proditione* peccatoris.

1/ Supra explicavimus quid sit scientia *sacramentalis :* est np. ea quæ confessario datur a pænitente in ordine ad absolutionem sacramentalem atque comprehendit quidquid ad optimum usum sacramenti utile dictu judicaverit. Sufficit itaque confessio mere inchoata, neque postulatur ut absolutio detur. Non autem sufficit accusatio ficte tantum ad absolutionem ordinata, aut scientia communicata postquam confessarius dixerit se nihil velle audire in ordine ad absolutionem.

2/ Obligatio est prorsus inviolabilis, uti supra exposuimus.

3/ Adest obligatio, dummodo reliquæ conditiones verificantur, etiamsi usui vel revelationi scientiæ sacramentalis pænitens *irrationabiliter* tantum invitus est (2). vel quando consensus ejus aliquatenus extorquetur, puta

---

(1) Cfr Vermeersch, *Theologiæ moralis principia*, III, p. 413, Brugis, 1923.
(2) Vid : supra *decretum S. Officii*, 18 nov. 1682.

timore reverentiali. Quare maxima prudentia opus est quando petitur consensus, nec uti licet, propter probabile periculum erroris, licentia mere præsumpta. Oportet igitur ut consensus explicite vel implicite detur, puta modo agendi vel loquendi pænitentis. Imo, ne quidem post ejus mortem consensus præsumi potest, quia si hoc liceret auferretur plena illa securitas pænitentis sine qua susceptio sacramenti fit odiosa.

4/ Ut *sigillum* violetur oportet revelare scientiam *sacramentalem* vel *ea* uti, quod liquet ex præcedentibus et sedulo notandum est. Porro, ut revelatio fiat scientiæ *sacramentalis* oportet ut manifestetur ea scientia quam confessario dedit pænitens in confessione suorum peccatorum et dispositionum, et non alia. Quare, si scientiam earumdem rerum aliunde accepimus et eam revelamus, abstractione facta a scientia ex confessione hausta, non fit revelatio scientiæ *sacramentalis*.

Idem dicendum est de manifestatione cujusvis rei *non accusatæ* in confessione, quamvis *ob illam rem notam* suspicari quis possit pænitentem quoddam grave peccatum commisisse, imo et accusasse (1). Non enim est revelatio scientiæ vere sacramentalis. Attamen, quia non licet aliquem infamare et quia vitare debemus speciem violationis sigilli, talis manifestatio, nisi gravi ratione cohonestetur, severe prohibetur.

Ceterum, peccaret contra sigillum qui diceret se negasse absolutionem personæ, quæ aliunde non noscitur incapax ad confitendum, vel pænitentiam se imposuisse non levissimam, quia revelando hunc usum scientiæ *sacramentalis* indirecte revelat ipsam scientiam *sacramen-*

---

(1) Ita, qui narrat determinatam aliquam personam hora omnino insolita, puta vespere hora decima, ipsum adiisse ad confitendum, peccat contra sigillum si hoc dicit quia præ oculis habet peccata ab ista persona accusata. Secus, severe quidem prohibetur hæc narrare sed non est contra sigillum stricte dictum, sicuti non esset contra sigillum si ancilla hujus sacerdotis idipsum animadvertisset et narrasset.

talem, malam scil. dispositionem vel peccatorum gravitatem, *quatenus in ordine ad absolutionem manifestatæ sunt.*

Ex dictis sequitur peccata a pænitente in confessione commissa et non accusata, non esse materiam *sigilli*, nisi præterea appareat v. g. confessarium hæc narrare præ oculis habendo correptionem ab ipso datam propter peccata accusata et plus minusve gravia vel numerosa, *tunc enim simul revelat confessarius scientiam vere sacramentalem.* Idem dicendum est de revelandis defectibus naturalibus non accusatis sed in confessione detectis. Profecto, ut notavimus, hujusmodi revelatio aliunde prohibetur.

5/ Prævidetur probabilis *proditio* peccatoris, quando revelatio vel usus scientiæ sacramentalis talis est ut, quantumvis indirecte, *aliquatenus* (1) revelentur quædam ad sacramentalem scientiam pertinentia, quorum manifestatio gravamini est pænitenti. Talia sunt peccata mortalia pænitentis etiam non specificata, ejus peccata venialia saltem quoad gravitatem et frequentiam, circumstantiæ quæ delictum grave directe involvunt uti censura, casus reservatus, defectus naturales declarati et occulti puta impotentia conjugis, morbus occultus puta venereus, peccatum complicis (2), imo, quod spectat pænitentes pios, virtutes et gratiæ in confessione declaratæ ut ingratitudo erga Deum ostenderetur etc.

Indirecte hæc revelantur quatenus principiis vel factis aliunde notis aliquis ea cogniturus vel suspicaturus est. Ita sigillo prohibetur alta voce pænitentiam imponere non levissimam, quia aliunde noscitur pænitentiam proportionandam esse peccatis. Similiter non licet manifestare denegationem absolutionis. Item, prohibetur revelare ex scientia sacramentali statum conjugalem, sacerdotalem, religiosum pænitentis, quando ab audiente

---

(1) *Aliquatenus,* hoc est ita ut *suspicio* saltem ingeratur materiæ sigilli cujus manifestatio gravamini est pænitenti.

(2) Hujus revelatio non tantum displicet pænitenti, sed continet etiam periculum indirectæ revelationis peccati ab ipso accusati.

supponi potest hanc circumstantiam declaratam fuisse in confessione ad specificanda peccata.

Peccat contra sigillum qui *omittit* dare signum accessus ad communionem, quia pænitens suus non recepit absolutionem, nisi id omittat in talibus circumstantiis in quibus probabili suspicioni non est locus.

Sua *agendi* ratione prodit peccatorem qui, loquendo de duobus pænitentibus qua talibus notis et apparenter æque laudandis, unum minus laudat *ob scientiam sacramentalem*, alterum vero extollit; qui sedens in confessionali assurgit et legit tabulam casuum reservatorum in talibus adjunctis in quibus probabiliter id percipiatur et aliquatenus intelligetur a circumstantibus. Pariter, qui ob declarata in confessione in ordine ad absolutionem, gestu vel gemitu manifestat mirationem vel tristitiam cum probabili periculo ut alii id percipiant, vel qui in iisdem adjunctis pænitentem alta voce arguit aut interrogat.

In omnibus his casibus oportet ut persona pænitentis aliquatenus designetur, sive verbis, sive signo, sive circumstantiis (puta, quando pænitens est in confessionali), aut saltem cognoscenda prævideatur quia, verbi gratia, peccata accusata narrantur in ejus præsentia cum periculo ut erubescat.

Prohibuit tamen S. Congr. S. Off., instructione 9 junii 1915 (1), narrare materiam alicujus confessionis etiamsi nullum est periculum prodendi ipsam personam pænitentis. Ratio est quia id alienum est a natura hujus sacramenti et non tantum offendit pias audientium aures speciemque injuriæ continet, sed natum est diffidentiam quoque in animas excitare, cum imprudentia facilis sit, et existimationem sigilli minuere.

Ad praxim quod spectat : α) in concionibus, quotiescumque de hoc sacramento agitur, exponamus quæ experientia *generali* edocti sumus et in libris theologicis

(1) Lege *Nouv. Rev. theol.*, 1921, p. 165 et 531; 1922, p. 263.

inveniuntur. In exemplis misericordiæ vel justitiæ divinæ proponendis, facta Christi et sanctorum, non vero peculiaris confessionis experientiam referamus, nisi licentiam concessam fuisse expresse memoremus. Qua de re concionatores sacrarum missionum et exercitiorum spiritualium solliciti sint oportet, uti S. Congr. S. Officii expresse monet.

β) In privatis sermonibus, ne sermo fiat de casibus quibusdam peculiaribus confessionalis, etiamsi soli sacerdotes adsint. Imo, in hoc casu, nonnunquam periculum datur prodendi personam pænitentis, ex confessione alii sacerdoti locali forte notam.

γ) Ne unquam narrare videamur quæ scientia sacramentali novimus, addamus, ubi suspicio prævidetur, rem alia via nobis innotuisse,

δ) In casu necessariæ vel vere utilis consultationis, confessionis materiam attingere licet, sed omnino præstat, propter periculum lædendi sigillum, expressam ad hoc licentiam postulare et, in omni eventu, maxima prudentia materiam et adjuncta ita accidentaliter mutare ut pænitens nunquam prodatur.

II. — Can, 890 § 1 : « Omnino prohibitus est confessario usus scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pænitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo ».

Explicatur : redeunt dicenda quæ, explicando can. 889 § 1, de obligatione legis, de consensu pænitentis et de usu vel revelatione scientiæ sacramentalis advertimus.

Quod spectat gravamen, non postulatur ut ipse pænitens istud de facto sentiat, sed sufficit ut pænitentibus in genere grave esset talem usum licere. Satis est quodcunque gravamen temporale vel spirituale, imo et displicentia, uno verbo quodcumque natum est confessionem odiosam reddere.

Itaque non prohibetur usus *interior* scientiæ sacramentalis ut confessarius prudenter se gerat in suo ministerio et dexteritatem acquirat; neque prohibetur

alios adjuvare opportunis consiliis experientia sacramentali nitentibus, aut usu scientiæ sacramentalis se indemnem reddere ab aliquo malo, sine gravamine pænitentis et periculo revelationis.

Juvat quibusdam exemplis prohibitionem can. 890 § 1 illustrare :

Loqui extra confessionem cum solo pænitente de peccatis ab ipso accusatis, nunquam licet sine ejus pleno consensu. Non autem prohibetur loqui cum ipso de eisdem rebus intra sequentem aliquam confessionem, vel statim post absolutionem, dum judicium moraliter adhuc perseverat. Ratio est quia res in eodem foro versatur. De cetero, ita receptus usus habet.

Pariter, non licet pænitentem ob accusata in confessione oculo torvo aspicere, agendi sua ratione ipsi ostendere se recordari peccatorum, eum non jam ad confessionem admittere, eum dimittere si est famulus vel eidem non amplius committere claves. Poterit tamen confessarius id quod certe jam tenetur facere, quamvis ex confessione tantum sui officii memor factus sit, v. g. accurate custodire clavem tabernaculi.

Prohibetur quoque alicui suffragium negare, vel aliquem ab officio removere ob scientiam sacramentalem, et ita porro.

Directe violatur sigillum quando, de persona *aperte* determinata *directe* revelatur materia sigilli cujus natura talis est ut ejus manifestatio *per se*, adeoque omnibus communiter pænitentibus odiosa sit; secus *indirecte* tantum violatur.

Violatio directa semper gravis injuria est sacramento illata, quia immediate contraria est securitati omnium pænitentium. *Violatio indirecta sigilli et usus scientiæ sacramentalis cum gravamine* admittunt parvitatem materiæ, quando locus est tantum suspicioni levi vel quando gravamen tenue est et incertum.

V. Coucke.

V.

De directore spirituali.

Q. *Paucis explica dotes requisitas in directore spirituali* (1).

R. Directio animarum est in ministerio sacerdotali medium eximium et efficacissimum apostolatus exercendi, tum erga peccatores ad viam salutis reducendos, quæ directio vocatur *communis*, tum præcipue erga pios ad ulteriorem perfectionem educandos, quæ est *directio spiritualis* proprie dicta, *specialis*, sive ascetica sive mystica (2). Est enim commercium supernaturale in quo sacerdos, ut instrumentum gratiæ divinæ, summum suum influxum exercere potest in animam individuam summe receptivam relate ad gratiam. At simul directio, præsertim specialis, est ministerium difficile, ars artium, haud paucas et haud modicas exigens dotes, cujus studium ideo sæpe negligitur, cum ingenti damno animarum usque numerosiorum ad perfectionem aspirantium, quæ merito queruntur inveniri quidem confessarios plurimos ad eas absolvendas, paucos vero directores ad eas stimulandas in via ad sanctitatem (3).

Qualitates requisitæ in directore spirituali hae tres præcipue enumerari solent, scientia nimirum, charitas et prudentia (4), quas successive paucis explicabimus.

I. **Scientia.** — Scientia requisita ad dirigendas animas ad sanctitatem *scientia sanctorum* merito vocatur, ac ad plura sese extendit objecta.

---

(1) Cfr opera citata *Collat. Brugen.*, t. XXIV, 1924, p. 459.

(2) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXIV, p. 459 sq.

(3) Cfr H. Mahieu, *Probatio charitatis*, 3e ed., p. 582, n. 205; Card. Mercier, *A mes séminaristes*, 5e conférence.

(4) S. François de Sales, *Introduction à la vie dévote*, 1e P., ch. IV : « Il le faut [c. à d. le directeur spirituel] plein de charité, de science et de prudence : si l'une de ces trois parties lui manque il y a du danger ». S. Theresia idem aliis verbis dicit : Le directeur spirituel doit être judicieux, pieux, savant et bon. Cfr A. Poulain, *Des grâces d'oraison*, 10e éd., p. 505.

1. Quum vita gratiæ supponat naturam rationalem eamque elevet, directio in vita supernaturali supponit cognitionem animæ humanæ ejusque operationum normalium, imo et morborum ejus frequentius occurrentium (1).

2. Quum in ordine supernaturali homo vivat « omni verbo quod procedit de ore Dei » (2), i. e. veritatibus revelatis, ideo director pollere debet theologia dogmatica tum ad nutriendas animas, tum ad errores earum corrigendos tum, casu occurente, ad discernendas visiones, locutiones, revelationes veras a falsis.

3. Ut autem totam activitatem sui clientis ordinare queat ad finem ultimum supernaturalem perfecte obtinendum, director callere debet theologiam moralem necnon theologiam asceticam et mysticam, ita ut circa vias ordinarias et extraordinarias sanctitatis sufficienter sit instructus ut casus qui communiter occurrere possunt per se solvat, in difficilioribus vero sciat dubitare, consulere aut ad peritiores remittere (3).

4. Præter hanc scientiam theoreticam, quam studio ac lectione pia assidua quisque acquirere potest, imo quam quisque communi aut et eminentiori gradu, juxta munus sibi commissum, acquirere debet, omnino requiritur in directore cognitio practica variarum animarum. « Debet cognoscere animorum conditiones, genios, aptitudines et

---

(1) Has notiones psychologicas invenies v. g. apud J. Schryvers, *Les principes de la vie spirituelle*, p. 113 ss.; A. Eymieu, *Le gouvernement de soi-même*, t. I, *Les principes* et t. III, *La loi de la vie*. Quoad psychopathologiam cfr J. Schryvers, *o. c.* p. 345 ss.; A. Eymieu, t. II, *Obsession et scrupule*; M. Daisomont, *Zenuwontsteltenissen en psychologische leiding*; R. de Sinéty, *La direction des psychopathes*, apud *Revue d'ascétique et de mystique*, 1925, p. 227 ss.

(2) *Mt.*, IV, 4.

(3) Lopez de Esquerra, *Lucerna mystica*, n. 46 : [Director] præcipue... debet esse doctus in scientia spiritus, ut fundamentaliter noscat modos quibus anima suas operationes producit ; ad quos notitiam omnium virium, potentiarum et habilitatum ejus habere debet, simulque modum quo in eis spiritualia infundantur, et scopulos, pericula et procellas quæ in hoc mari magno spiritus evenire contingunt. Cfr Ribet, *L'ascétique chrétienne*, p. 381.

humores : quia, cum fere nulla sit, quæ sit alii consimilis, et Dominus earum aptitudini et capacitati se accommodet (1), ideo eas per diversas vias ad se trahit, et necessarium est quod magister [seu director] aliquam saltem notitiam habeat singularum » (2).

Hæc autem cognitio practica usu tantum et experientia acquiri potest, experientia nimirum propriæ vitæ spiritualis, experientia dein aliarum animarum (3).

II. **Charitas.** — Si director luceat oportet scientia, ardere simul debet ferventi charitate erga Deum et sancto zelo animarum, seu aliis verbis, ipse sincere tendere debet ad sanctitatem vitæ, ita ut vere sit homo Dei et minister Dei, qui scilicet Deo intime unitus Deum animabus administret (4).

1. Directio sine charitate nocet ipsi directori.

Est etenim quædam hypocrisis, quam merito « comœdiam » vocares, in eo qui dicit et non facit, qui aliud factis, aliud verbis docet. Præterea in tali directione ubi Deus non quæritur, creatura intenditur ; in personarum acceptione habetur ministratio gratiæ, ex spiritu mere naturali agitur negotium divinum ; in vanis colloquiis tempus teritur, ex quibus director minor sacerdos redit

---

(1) Item notat FABER, *Progrès de l'âme*, p. 341 : Le directeur « étudiera la conduite que Dieu a tenue dans le passé à l'égard de chaque âme, et il règlera sur ce modèle sa propre conduite ». Ex mira illa varietate animarum apparet difficultas directionis : « Il est rare de trouver un directeur qui convienne également à tout le monde, et même à une seule personne dans tout le cours de sa vie ». FABER, *o. c.*, p. 315.

(2) LOPEZ DE ESQUERRA, *l. c.*

(3) Ex dictis apparet quam immerito aliquando experientia opponatur scientiæ quasi solus usus sufficeret sine studio « Ne confondons pas pratique et expérience. Celle-ci suppose celle-là, mais n'en résulte pas toujours. La pratique ne donne l'expérience que si elle est éclairée et fécondée par la science..... La longue expérience dans un confesseur qui est sans étude et sans science, n'est proprement qu'une vieille habitude d'erreur ». Cf. *Collat. Namurcen.*, 1920-1921, p. 180

(4) S. THÉRÈSE, *Livre des fondations*, c. 3 : « Si les directeurs ne sont pas des hommes d'oraison, la science leur servira peu ».

et potius fastidium rerum spiritualium ac taedium vitæ piæ reportat ; cor in intimo illo commercio præsertim cum juvenibus et cum personis sexus facile captatur, et quod initio videbatur esse charitas, in fine apparet esse sensualitas aut et carnalitas.

2 Directio sine charitate nocet animæ quæ dirigitur.

Per exercitium perfectionis propriæ obtinet director convictionem et unctionem quibus animas trahit ad sanctitatem, et ipse vicissim per spectaculum operationis divinæ in animabus, per spectaculum generositatis earum, ac precibus earum adjutus, ad ulteriorem excitatur sanctitatem. Contra vero, qui propriam perfectionem negligit, neque percipit in aliis ea quæ sunt Spiritus Dei, neque verba ipsius spiritus et vita sunt, sed, etiamsi spiritualia sonent, vacua sunt et inania, quia Spiritus Dei deest : imo director qui negligit vivere tamquam instrumentum Deo intime conjunctum, quam facile fiet instrumentum diaboli in ruinam animarum.

3. Quod in specie zelum animarum attinet in directore, liceat breviter in memoriam revocare præcipuas qualitates zeli (1), qui scilicet oportet sit purus et supernaturalis, discretus ac prudens, fortis et constans, patiens et mansuetus.

III. **Prudentia.** — Prudentia, si jam ad recte vivendum cuique valde necessaria est ac merito auriga ceterarum virtutum dicitur (2), quanto magis directori aliorum necessaria est : ipsa reliquas qualitates directoris moderari debet. Sic autem describi potest : habitus bonus intellectus practici quo director, præmissa debita delibe-

---

(1) Ulteriorem explicationem releget studiosus lector apud H. Mahieu, *Probatio charitatis*, 3e ed., p. 171 ss., n. 49 ss.

(2) Recole quonam modo prudentia sit auriga virtutum : scilicet non tantum virtutes morales dirigit, inter quas dignitate eminet quibusque principatur, sed et theologicas, famulando tamen et dirigendo solummodo secundum actus exercitium, quatenus discernit quandonam utendum sit virtute etiam theologica. Ill. ac rev. Waffelaert, *De virtutibus cardinalibus. De prudentia*, p. 31 sq.

ratione, recte judicat ac animæ quam dirigit dictat quid ipsi, hic et nunc, omnibus consideratis, sit agendum ut conveniens perfectioni christianæ, quid tamquam disconveniens sit fugiendum (1).

Hæc autem prudentia in directore de facto coincidit cum discretione spirituum, qua nimirum discernit quonam spiritu anima hic et nunc moveatur, seu distinguit inter inspirationes divinas, quibus anima obedire debet ut perfecte agat, et instigationes naturæ corruptæ aut et diaboli, quibus obedire aut malum est aut saltem perfectioni nocet.

Scire ergo debet director quinam sint varii spiritus, quænam sint media ad acquirendam discretionem spirituum, quænam sint criteria variorum spirituum : de quibus in sequentibus ex professo dicemus.

In fine juvat quædam verba recitare qualitates in directore requisitas compendiose exponentia.

« Magister perfectionis... debet esse si non simul ætate, saltem judicio atque intellectu maturus ; debet esse perspicacia insignis... In eo quod acquisitum est, valde convenit ut sit theologus non vulgaris, vir in scientia non impar, et in diutina experientia : quæ solent esse pater et mater hujus cœlestis sapientiæ. Scire debet quidnam sit gratia, et in quo illa consistat, ut distinguere noscat motus vitales bonos naturæ et gratiæ : et ut quoties repererit revelationes dogmaticas et doctrinales, eas regulare sciat solida theologia ad amussim scripturæ, doctrinæque s. Patrum et consuetudinum Ecclesiæ » (2).

---

(1) In præsenti statu hoc triplex munus virtutis prudentiæ, deliberandi, judicandi ac præcipiendi, exercetur per virtutes infusas, nimirum respective 1um per eubuliam (seu bonum consilium), quæ juvatur per donum consilii, 2um per synesim (le bon sens, le bon jugement) ac gnome, (le sens de l'exception), et 3um per prudentiam stricte sumptam. Unde jam deduces primum medium pro directore ad obtinendam prudentiam requisitam esse ut incessanter hanc virtutem cum annexo dono consilii a Spiritu Sancto postulet. Cfr Ill. ac rev. Waffelaert, *o. c.*, p. 32 ss. ; H. Merkelbach, apud *Revue des sciences philosophiques et théologiques*, 1923, t. XII, p. 170 ss.

(2) M. Godinez, S. J., *Praxis theologiæ mysticæ*, editio Watrigant, 1921, p. 224.

« Il faut que le confesseur [directeur] soit l'organe de Dieu, l'instrument de la grâce, le coopérateur du s. Esprit, et par conséquent qu'il soit un homme intérieur, un homme d'oraison, un homme versé dans les choses spirituelles, encore plus par sa propre expérience que par l'étude et la lecture ; qu'il n'ait aucune vue naturelle, soit de vanité, soit d'intérêt, mais qu'il ne considère que la gloire de Dieu et le bien des âmes ; qu'il soit dépouillé de son propre esprit, et qu'il juge des choses de Dieu par l'esprit de Dieu » (1).

A. LEGRAND.

VI.

De portione parœciali.

Q. *A quonam debetur portio parœcialis et cuinam ?*

R. Tradita notione portionis parœcialis, statuto quoque ejus fundamento, supra exposuimus quænam sint regulæ generales quibus determinari potest quandonam hæc portio sit solvenda (2). Ulterius nunc inquirimus a *quonam* sit eroganda et *cuinam*.

1/ *A quonam debetur portio parœcialis ?*

a. *Regula generali* debetur a parocho seu rectore omnis ecclesiæ vel oratorii funerantis, quæ non sit propria defuncti parœcialis ecclesia, secundum supra dicta (3). Hinc quartæ debitor esse potest quicumque rector, sæcularis aut regularis, alicujus ecclesiæ vel oratorii, jus habentis peragendi exsequias vel tumulationem concedendi.

b. Huic tamen regulæ generali plures *restrictiones* sunt faciendæ, nam prædicti rectores aliquando, vel ratione indulti obtenti, vel ratione dispositionis juris sive communis sive particularis, ab hac obligatione liberantur.

Ita :

α) *Ratione indulti* a S. Sede obtenti a quarta solvenda

(1) P. GROU, S. J., *Manuel des âmes intérieures*, p. 109 sq.
(2) Cfr supra, p. 322.
(3) Cfr *Ibid.* et CLAEYS-BOÜUAERT, in *Collat. Gandav.*, t. X, p. 87.

eximuntur modo monasteria singillatim sumpta, modo integri ordines (1).

β) *Ratione dispositionis juris communis* competens est *superior seminarii* ad exsequias faciendas omnium in seminario degentium (2); *superior religiosus* pro exsequiis suorum religiosorum vel famulorum actu inservientium et intra domus septa stabiliter commorantium, qui in domo religiosa mortui sunt (3); *rector seu cappellanus monialium* et religiosarum quæ jurisdictioni parochi non sunt obnoxiæ pro exsequiis illarum (4). Hi omnes ergo ad quartam solvendam hisce in casibus non tenentur.

At, tum superior religiosus tum cappellanus monialium, *spectato saltem jure communi* ad quartam tenentur pro exsequiis in suis ecclesiis legitime, propter defuncti electionem, peractis, aliarum personarum etiamsi sint personæ in domo religiosa ratione hospitii, educationis vel infirmitatis degentes (5).

---

(1) Cfr Many, *De locis sacris*, p. 325. — Conc. Tridentinum, sess. 25, c. 13 *de ref.*, decrevit omnia monasteria (seu alia loca pia) quæ a. 1523, exemptione a solvenda quarta fruebantur in eodem statu permanere, et simul annullavit privilegia inter a. 1523 et 1563 concessa de non solvenda quarta. Has autem exemptiones *pro Italia et insulis adjacentibus* abrogavit Benedictus XIII, const. *Romanus Pontifex*, 4 kal. maii 1725. — Paulus V, const. *Decet Romanum*, 20 aug. 1605, declaravit Carmelitas exemptos esse a solvenda quarta. Aliorum ss. Pontificum constitutiones eumdem concesserunt favorem ordinibus Prædicatorum, Fratrum Minorum et Minimorum. De his cfr Claeys-Boüuaert, *l. c.* p. 90, qui cum Many, *l. c.* et Smalzgruber, *Jus ecclesiasticum universum*, l. 3, t. 28, n. 89, merito notat hoc privilegium ab aliis religiosis non posse acquiri per viam communicationis, siquidem sit privilegium juribus tertii præjudicans.

(2) Cfr can. 1368.

(3) Cfr can. 1221, § 3.

(4) Cfr can. 1230, § 5. Agitur ergo non tantum de *monialibus* in sensu stricto can. 488, n. 7, sed de omnibus religiosis quæ jurisdictioni parochi non sunt obnoxiæ. Episcopus enim secundum can. 464, § 2, potest justa et gravi de causa religiosas familias et pias domos a parochi cura subducere. Quod spectat religiosas a parochi cura non subductas solvenda est quarta, salva contraria dispositione a jure particulari.

(5) Ex jure enim particulari vel consuetudine aliquando competens est superior religiosus pro exsequiis peragendis omnium personarum, quæ in conventu domicilium vel quasi-domicilium obtinent. Cfr can. 1222.

De *jure particulari* superiores seu rectores collegiorum, hospitalium aliorumque institutorum ecclesiasticorum, qui vi juris communis competentes non sunt ad exsequias peragendas, *sæpe* hanc competentiam obtinent tum pro suis religiosis, tum quandoque pro aliis personis, quæ in domo vel conventu ratione educationis, hospitii vel infirmitatis degunt (1). Quo in casu, salva contraria dispositione vel conventione, nulla ab ipsis est solvenda portio (2); et merito, siquidem parochi in has personas nec jurisdictionem, nec proinde animarum curam exercere debent.

---

(1) Cfr can. 1230, § 1 et 5. Ita sæpe in Belgio, uti deducitur ex declaratione S. C. C. in *Tornacen.*, 9 apr. 1881; *Canoniste Contemporain*, t. 5, p. 453; *Collat. Gandav.*, *l. c.* p. 89. — Competentia horum rectorum et superiorum in materia exsequiarum a Conc. Mechl. non fuit determinata, sed remisit simpliciter ad jus diœcesanum. Cfr *Conc. Mechl.* IV, n. 151.

(2) Dico « salva contraria dispositione ». Ita apud nos hæc materia, pro iis qui ratione infirmitatis in hospitalibus degunt ibique moriuntur, nonnunquam ordinatur conventione quadam inter rectorem hospitalis et parochos civitatis facta, et ab Ordinario approbata.

Hac occasione quæstio, olim controversiis obnoxia, poni potest utrum nempe quarta solvenda sit casu quo defunctus *duas vel plures, ratione domicilii vel quasi-domicilii, parœcias proprias habet*, et vi electionis aut sepulchri majorum in una ex illis funeratur, etiamsi mors acciderit in parœcia ubi funus non celebratur.

Dicendum videtur: negative; quia parochus funerans jure suo utitur ob hujus defuncti electionem vel sepulcri majorum præsentiam, et utpote parochus proprius, nihil alteri parocho debet. Huic alteri tamen non est denegandum jus levandi corpus, ipsumque comitandi intra fines suæ parœciæ, ut constat ex can. 1230 et 1232. Nec huic solutioni objici potest can. 1216, § 2, statuens: « Si defunctus plures habuerit parœcias proprias ecclesia funerans est ecclesia parœciæ, in cujus territorio decessit ». Nam iste canon, qui sane optimam normam praticam, et ad lites dubiaque removenda utilissimam præbet, seorsim a contextu non est interpretandus, sed in collatione cum locis parallelis codicis. Jamvero in materia sepulturæ ecclesiasticæ principium prævalens est principium de libertate electionis sepulturæ, cui connectitur præsumptio electionis casu quo adest sepulcrum majorum. Et, omnibus auctoribus consentientibus, ecclesia cui alterutra ex his circumstantiis favet legitime alteram prævenit, et cum ex supposito sit ecclesia propria, nulla portio ab ea est solvenda. Cfr *Collat. Gandav.*, *l. c.* p. 90.

2/ *Cuinam debetur portio parœcialis?*

a. *Regula generali* debetur *proprio defuncti parocho*, qui ob superveniontem legitimam exceptionem, jure funerandi parœcianum suum privatur. Nomine *parochi* in tota hac materia intelligimus tum parochum proprium, tum rectorem, qui pro hac materia jura quasi-parœcialia possidet (1).

b. *Exceptionaliter* portio erit solvenda vel superioribus religiosis, vel rectoribus religiosarum necnon rectoribus hospitalium et collegiorum.

His omnibus enim duplici tantum in casu debetur portio : imprimis quando novitii (2) vel famuli, de quibus in can. 1221, § 3, extra conventum propter electionem funerantur ; deinde quando ex jure particulari fruuntur jure funerandi incolas domus vel alias personas, et simul hoc jure uti non possunt propter legitime factam electionem sepulturæ.

Hac itaque regula generali cum ejus exceptione exposita, consideranda adhuc venit quæstio subsidiaria, quid nempe faciendum sit casu quo defunctus *plures habens parœcias proprias* in nulla earum funeretur.

Solutio autem præbetur a can. 1236, § 1 : si quis habeat plures parœcias proprias ad quas cadaver commode deferri posset, et alibi funeretur, portio parœcialis dividenda est inter omnes parochos proprios (3).

J. Brys.

---

(1) Cfr Claeys-Boüuaert, *l. c.*

(2) Uti ex can. 1221, § 1 et c. 1224 patet *religiosi* facultate sepulturam eligendi privantur, ideoque superioribus religiosis nullo modo auferri potest jus funerandi suos religiosos.

(3) De difficultate quam canon ille affert ob verba : *Ad quas cadaver commode deferri posset*, optime scribit supralaudatus auctor in *Collat. Gandav.*, *l. c.* et concludit : « agitur de casu, quo quis habens plura domicilia, alibi *propter sepulturæ electionem* (vel sepulcrum majorum) funeratur, quidquid sit de suæ mortis loco. Decisio canonis tunc est clara : inter diversos parochos proprios portio parœcialis est dividenda ; ergo nec multiplicari potest, nec tota illi parocho proprio tribuenda est, in cujus territorio defunctus decessit ».

De variis sensibus s. Scripturæ.

Notissima sunt quæ circa quæstionem de variis sensibus Scripturarum in plerisque hodiernis scriptis satis communi consensu tradi solent. Nimirum, præmissa notione generali *sensus* et signanter *sensus s. Scripturæ*, ulterius distincte loquuntur de variis sensibus quos vocant : *litteralem* seu *verbalem*, *mysticum* seu *typicum* — et *accommodatitium* (quem tamen merito dicunt non esse cur vocetur sensus s. Scripturæ); — ulterius sensum *litteralem* distinguunt in sensum *proprium* et *metaphoricum;* sensum vero *mysticum* seu *typicum* in varias species inferiores, utputa in sensum *allegoricum*, *tropologicum* seu *moralem* et *anagogicum;* sensum tandem *accommodatitium* in *realem* et *verbalem*.

Hisce notionibus explicatis et variis conclusionibus circa varios illos sensus demonstratis, quasi plane accessoriam subjunguntquæstionem aliquam : utrum nempe admittenda sit sententia dari *plures sensus litterales*. Porro quod hanc quæstionem spectat, non ita clare apparet quomodo hi sic dicti ulteriores sensus litterales logice se habeant relate ad omnes alios sensus antea enumeratos, nec, in schematibus quæ variorum sensuum Scripturarum astruunt, videtur locus inveniri ubi hi sensus litterales, si forte, sive ut reales, sive ut possibiles, admitterentur, essent collocandi; — præterea quod ipsam propositæ quæstionis solutionem spectat, mirum videri poterit quod, dum olim, per plura sæcula, sententia existentiam illius sensus litteralis multiplicis affirmans communiter admissa erat (1), hodie contrà jam communius eadem

(1) Sic inchoat Ill. BEELEN doctissimam suam dissertationem theologicam « qua sententiam vulgo receptam esse sacræ Scipturæ multiplicem interdum sensum litteralem nullo fundamento satis firmo niti

hæc solutio impugnatur; revera quod recentiores plerosque spectat, alii, theoretice admissa illius sensus litteralis multiplicis possibilitate (1), practice tamen negant realitatem illius fuisse hucusque demonstratam; alii imo sententiam quæ admitteret tales sensus in s Scriptura occurrere tamquam omnibus numeris absurdam impugnant (2), sicque ipsam quoque possibilitatem talium sensuum in s. Scriptura logice negare debent; — et quantum ad hoc, satis mirum apparere poterit quod, si ita absurda — ut dicunt — et lubrica et s. Scripturæ indigna esset illius sensus litteralis multiplicis in s. Scriptura præsentia, quod, inquam, docti et sancti quales Augustinus, Gregorius magnus, Thomas et tot alii, tali sententiæ adstipulari potuerint (3): — quod tandem spectat rationes quæ huic sententiæ opponi solent, poterit, ni fallimur, examine patere eas nequaquam prætensam absurditatem demonstrare et ex male intellectis notionibus esse oriundas.

His præ oculis habitis, non absque utilitate fore duximus lectoribus nostris, sacrarum Scripturarum studiosis, hanc quæstionem de variis sensibus s. Scripturæ iterum ad trutinam revocare, eo fine ut variorum illorum sensuum in memoriam revocentur notiones utque eædem in ea relatione qua ad invicem se habere videntur, novo

---

demonstrare conatur » (Lovanii, 1845), p. 1 : « Unius ejusdemque s. Scripturæ loci plures interdum esse sensus, quos vocant, litterales, *Theologi docuere fere omnes, qui a tribus inde sæculis de Biblica hermeneutica vel obiter vel dedita operâ disputarunt* ».

(1) Hanc possibilitatem omnino concedit Ill. Beelen, *o. c.*

(2) « Cette théorie est si surprenante, si contraire à la tradition patristique et serait si fatale à l'exégèse »... (Talon, in *Recherches de science religieuse*, 1921, p. 1), ut conandum sit quovis modo ei subtrahere auctoritatem s. Augustini.

(3) Nonne magis æquum esset textum in nota præcedente (3) citatum invertere et dicere : si verum est ut plerique omnes, quantumvis adversarii sensus multiplicis Scripturarum, fatentur et ut ex lectione s. Augustini sine ullo dubio videtur eruendum — si verum est, inquam s. Augustinum, imo et alios tam multos, admisisse hanc sententiam, logice videtur posse concludi hanc sententiam fortasse non ita absurdam esse nec subversivam omnis scientiæ exegeticæ !

forte quodam modo exhibeantur Quibus præstitis non arduum erit, ut putamus, quod speciatim spectat sic dictum sensum litteralem multiplicem, non quidem demonstrare existentiam – quod utique pro momento non intendimus —, sed refellere nonnullas ex illis objectionibus quæ a non paucis ipsi opponuntur.

*
* *

In omni libro, quales sunt libri nostri sacri, duplex est distinguere elementum, nimirum, terminologia hîc adhiberi solita : *res* et *verba*. Auctor in libro suo certas quasdam veritates (1) exprimere voluit et notificare lectoribus suis : en elementum reale, en *res* ; et revera has res certo quodam modo expressit : certa quadam lingua, modo poëtico vel prosaico, stylo elegantiori vel graviori, etc. : en elementum modale, quod, ut dicebamus, uno vocabulo designari solet : *verba*.

Jamvero *sensus* alicujus libri vel partis libri nihil aliud est quam res illa quam auctor in mente sua habebat - illi mentis conceptus, illa judicia, illa ratiocinia — quamque exprimere et in animis lectorum transfundere intendebat et revera, per suum librum, certo quodam modo exprimit (2).

---

(1) Dicimus : certas quasdam *veritates*. Quod non ita forte accurate dictum videbitur. Enim in scripto quodam possum non tantum propositionibus *enuntiativis* lectori meo exprimere certas quasdam *veritates* quas mente admittat, sed etiam, propositionibus aliis quales sunt interrogativa, imperativa, optativa, etc., varias res quas opere exsequatur. Ita dum scribo : *Deus est bonus*, intendo hanc ideam quam ego mente contemplo, communicare lectori meo, quasi transfundere in ipsius mentem ; intendo ut eam mente admittat ; — ubi vero scribo : *Quot panes habetis ?* vel : *Affer penulam meam*, — vel : *Miserere mei, Deus !* — proprie loquendo nihil affirmo, nullam veritatem enuntio, sed intendo lectorem adducere ad aliquid opere præstandum : ut respondeat, ut penulam afferat, ut mei misereatur, etc. — Nihilominus ne res inutiliter implicemus, unice loquemur hîc de *veritatibus* quas auctor scripto exprimere intendit.

(2) Et intelligitur discrimen quod auctores ponunt *sensum* inter et *significationem*. Verba a me adhibita ex seipsis et quasi in abstracto, frequenter possunt plura *significare* ; prout autem a me intenta et

Porro librorum, quos sacram Scripturam vocamus, *duo* sunt *auctores* proprie dicti : *homo*, hagiographus, a Deo inspiratus, sicque a Deo tamquam auctor instrumentalis adhibitus, - et *Deus*, inspirans, auctor primarius et principalis eorumdem librorum. — Unde duplicem habent illi libri respectum, *duplicem indolem : humani* sunt simul et *divini*. — Attamen indolem illam divinam — quod fuerunt a Deo inspirante conscripti -- illam unice ex revelatione divina novimus ; inspiratio divina in illis libris nullo signo positivo nobis manifesta est, neque a scientia humana et rationali, prout nempe hæc scientia solo lumine rationis naturalis innititur, attingi potest (1).

Unde distincte considerare possumus libros sacros, hinc *qua humanos*, seu abstractione facta ab inspiratione divina, hinc *qua divinos*.

* * *

1/ — *Qua humani sunt*, scripti fuerunt ab hominibus et pro hominibus, mediis et modo humanis, in determinatis adjunctis historicis, ad docendos homines ea omnia quæ auctor ille humanus in mente sua habebat eisque exprimere intendebat. Hac ratione, eodem modo quo omnis alius liber, sunt objectum scientiæ, estque sic dictæ hermeneuticæ seu scientiæ exegeticæ eos interpretari seu omnibus mediis possibilibus (2) sensum eorum indagare.

Variis denominationibus vocatur sensus ille ab auctore alicujus libri intentus (3). Vocatur *historicus* : est enim

---

adhibita, ordinarie saltem, ex multiplicibus illis significationibus possibilibus unam tantum revera habent : si multas habent significationes, unum habent sensum.

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. XXI (1921), pp. 53 ss.

(2) Notum est in ordine ad indagandum sensum s. Scripturæ prostare nobis multiplices regulas quæ omnes valent reduci ad sic dictam *hermeneuticam* seu scientiam exegeticam aliam *rationalem*, aliam *christianam*, aliam *catholicam*. Quæ hîc non sunt evolvenda ; remissive ergo ad Tractatus introductionis generalis in s. Scripturam, vel ad tractatus speciales de Hermeneutica biblica.

(3) Nota est, neque intuitu scopi nostri hîc explicanda, divisio hujus sensus in *proprium* et *improprium* seu *translatum* seu *metaphoricum*.

factum pertinens ad historiam auctorem illum tali momento, tali loco et tali modo, talem sensum exprimere voluisse et expressisse, — et sicut quælibet alia facta historica, ita etiam hic sensus via historica est indagandus ; — vocatur *litteralis* seu *verbalis,* quia ille sensus, ab auctore intentus, immediate expressus jacet in ipso textu quem scribit, seu, ut dicunt, in littera seu verbis ; — vocari potest etiam *scientificus*, quia scientiæ hermeneuticæ est omnibus mediis possibilibus (1) sensum illum ab auctore intentum detegere et demonstrare ; vocari potest sensus *humanus,* seu *hominis* non quidem quasi, ubi de Scriptura agitur, non etiam divinus seu Dei esset (2), sed quia sic distinguitur a sensu illo mystico quem Deus vel voluit, vel saltem potuit velle exprimere, etiam præter notitiam et intentionem auctoris humani, — vocatur et *grammaticus*, — *corporeus*, — *immediatus*, — *logicus*, etc. (3).

Circa hunc sensum historicum seu scientificum, unum addimus : quamvis res utique aliter fieri contingat, solent tamen auctores humani alicujus libri uno eodemque textu, unam tantum rem, unum sensum significare. Equidem quæ scribunt possunt esse, sæpiusque sunt plus minusve ambigua ; quod tunc potissimum contingit ubi textus plus minusve in abstracto sumitur, abstractus nempe a contextu litterario et historico in quo fuit scriptus ; attamen mos non est auctorem duos illos vel multipliciores adhuc sensus intendisse : passim unum tantum

---

(1) Vide supra, p. præc., *nota* (2).

(2) Quidquid enim ab homine exprimitur, illud et a Deo exprimitur.

(3) Denominatio quam omnibus aliis præeligeremus ea esset qua hic sensus diceretur *humanus*. — Si enim eum vocares *historicum*, — sed etiam sensus mysticus, de quo infra, sic vocari posset : est enim factum historicum etiam sensum hunc mysticum fuisse a Deo intentum et certo quodam modo expressum ; — si eum vocares *litteralem* seu *verbalem*, — sed etiam sensus ille mysticus verborum, de quo infra dicemus, litteralis esset dicendus, utpote qui, et ipse, immediate expressus jaceat in verbis ; — si eum vocares *scientificum*, — sed etiam sensus mysticus debet detegi, et demonstrari mediis quibus disponit hermeneutica sacra, signanter revelatione divina.

intenderunt ex illis variis sensibus possibilibus, quem utique interdum non satis clare nec satis nitide expresserunt ; lectoris erit, ex variis illis possibilibus, eum detegere sensum quem auctor revera intendit, ope omnium mediorum quibus utitur scientia exegetica, et in specie ope contextus litterarii et historici in quo verba fuerunt scripta.

Porro, quod spectat libros s. Scripturæ, consideratos, ut hîc facimus, quasi essent libri mere humani, nullo jure hucusque poneres nec ullo argumento fulciri valeres hagiographos a communi hac scribendi ratione discessisse. Unde ponimus auctorem humanum s. Scripturæ, sicut auctores humanos quorumlibet librorum, regula generali uno eodemque textu unum sensum historicum seu litteralem significare voluisse (1).

Quod ut uno alterove exemplo pateat — quæ cæteroquin exempla infra redibunt — :

Ubi lego *Ex.*, XII, 46 : *Nec os illius confringetis,* hujusmodi textu, absolute loquendo, multa sane diversa possent significari (2) ; scientiæ exegeticæ est, adhibitis omnibus mediis possibilibus, detegere quemnam sensum Moyses, auctor humanus illius libri, revera intenderit ; et revera facile erit eidem scientiæ negotium, vel ex solo contextu cap. XII demonstrare Moysen hîc egisse de agno illo absque macula, masculo, anniculo, quem jubebantur Judæi comedere in ipsa nocte egressionis suæ de Ægypto, eosque prohibuisse ne in occidendo vel ad esum præparando illo animali ulla ei confringerent ossa corporis. En sensum quem scientia omnibus adminiculis

---

(1) Sane, non repugnat auctorem humanum duos vel multipliciores sensus simul intendere ; quod si contingerit auctori inspirato, duo vel multipliciores illi sensus etiam qua a Deo intenti habendi essent. Quidquid enim ab homine exprimitur, illud et a Deo exprimitur.

(2) Ita pronominis *illius* quam multiplex posset esse suppositio : agnus, leo, alia animalia, homo talis vel talis, Titius, Caius, Jesus, etc. ; — *os alicujus confringere* posset intelligi sensu proprio de non lædendis ossibus corporeis alicujus animalis vel hominis, vel sensu improprio de non infligendo dolore alicui, etc.

exegeseos in hoc textu detegit et demonstrat : est *sensus scientificus*. Et præter hunc sensum eadem scientia omnino nullum alium tamquam ab auctore humano intentum detegere valet : est *solus* sensus scientificus.

Similiter ubi auctor humanus psalmorum in *Ps.* XXXII, 6 scribit : *Verbo Domini cæli formati sunt et spiritu oris sui omnis virtus eorum*, ex pluribus sensibus quos hæc verba absolute sumpta forte habere possent, a scientia rationali detegitur et demonstratur hic sensus fuisse intentus : Facillimi negotio quasi unico verbo, quasi halitu oris sui, creavit Deus cælos omniaque innumera corpora quæ quasi agmina in eo gravitant. – Et iterum nihil innuit alium quemdam sensum a psalmista fuisse intentum. Est *sensus scientificus*, isque ille *solus*.

***

2/ – Hucusque consideravimus sacros libros quasi mere essent humani ; de facto tamen, ut ex revelatione constat, mere humani non sunt : sunt enim insuper, imo et præprimis *divini;* Deus proprio sensu eorumdem librorum auctor fuit Unde jam sequuntur plures conclusiones, alibi in Tractatu Introductionis generalis in sacram Scripturam demonstrandæ ; ut puta :

Ea omnia quæ ab auctore illo humano fuerunt affirmata, omnes illi sensus ab auctore humano intenti, iidem ut etiam a Deo affirmati et intenti admittendi sunt. Sensus illi consequenter nobis tamquam veritates fidei ob auctoritatem Dei loquentis admittendi sunt : Deus est qui omnes illos sensus exprimere intendit eosque revera certo quodam modo expressit ; seu, terminologia supra explicata, *res* illæ divinæ sunt, *verba* illa divina sunt (1).

Maxima reverentia illi libri sacri habendi sunt, maxima diligentia perscrutandi ; in propriam nostram aliorumque

(1) Ut longe probabiliorem, imo ut certam habemus sententiam inspirationis verbalis, i. e. non solum *res* in Scripturis contentas, sed et integrum *modum*, seu, ut dicunt, *verba* fuisse a Deo inspirata.

utilitatem studiose adhibendi Quod cæteroquin omnibus retro sæculis, tum Veteris, tum Novi Testamenti revera obtinuit. Et quidem singularis illa reverentia et studiosa adhibitio locum dedit usui illi quem *interpretationem accommodatitiam* vocaverunt; quæ accommodatio jam accurate intelligenda venit.

Sensus accommodatius, vel melius *accomodatio sacræ Scripturæ* habetur ubi textum aliquem s. Scripturæ applico alicui rei quam idem textus pro scientia illa exegetica de qua hucusque diximus, nequaquam habet. Quod ex applicationibus dandis melius patebit.

Et quidem duplici modo verba alicujus textus sacri ad aliam rem, a sensu scientifico distinctam, accommodari possunt.

a/ Uno modo potest hæc accommodatio verborum sacrorum fieri propter aliquam *similitudinem realem*, vigentem nempe inter rem a textu sacro significatam et aliam illam rem quam nos significare volumus. Ita, ut prius exemplum supra datum resumamus · ubi — seposita pro momento omni qualibet manifestatione aut revelatione divina circa sensus hujus textus forte absconditos — lego integrum cap. XII *Exodi* et simul recogito mortem Jesu ejusque efficaciam omniaque adjuncta, non possum quin percellar mira illa convenientia vigente inter ea quæ narrantur in *Exodo* de agno paschali et ea quæ aliunde novi de morte Jesu. Ita v. g. sicut agnus ille, ita et Jesus ex mandato Dei mactandus erat; sicut agnus ille absque macula esse debebat, ita et Jesus, in ordine morali, erat immaculatus et innocens; sicut per sanguinem illius agni liberandi erant Hebræi a morte temporali, ita homines per sanguinem Jesu a morte spirituali et æterna redimendi erant; sicut ex speciali Dei voluntate cavendum erat ne ossa illius agni frangerentur, ita ex speciali Dei providentia cautum est ne ossa Jesu in cruce frangerentur; etc. — Quid mirum si, propter miram illam similitudinem realem inter agnum illum, rem ab *Exodo* significatam, et mortem Jesu, rem a me cogitatam,

textum *Exodi* applicarem morti Jesu ? Equidem hucusque nullam supponor accepisse revelationem aliamve manifestationem divinam circa Dei intentionem hac in re; sed neque indigeo : solo ingenio meo convenientiam descriptam detego et textum *Ex*. morti Christi accommodare possum. Hucusque nequaquam affirmo Deum in scribendo *Ex*. XII, mortem Christi voluisse, quasi in typo seu imagine sua, describere; sed ego sum, qui ob miram convenientiam illam realem, textum illum ad mortem Jesu significandum accommodo. — Est *accommodatio realis*. Innumera esset invenire exempla (1)

b/ Altero modo accommodatio fit propter aliquam *similitudinem verbalem*, quatenus nempe verba sacra, quamvis utique ab hagiographo minime ex hac intentione scripta fuissent saltem in quantum scientia exegetica detegere valet, — revera tamen miro modo apta apparent ad exprimendam aliquam aliam rem quam ego mente recogito. Ita, ut et alterum exemplum supra datum resumanus : ubi — seposita iterum omni qualicumque manifestatione divina circa sensum hujusmodi absconditum forte a Deo intentum — lego verba *Psalmi* XXXII, 6, supra citata, quamvis scientia minime ostenderit auctorem sacrum voluisse de ss. Trinitate mentionem facere, nihilominus non possum quin percellar mira aptitudine illorum verborum ad tres Personas ss. Trinitatis designandas eisque opus creationis adscribendum ; citantur enim Dominus — quam denominationem tum propter seipsam tum ab adjunctionem cum altero vocabulo *Verbum*, facile attribuo *Patri* - *Verbum*, — et *Spiritus* : quam perfecta designatio trium Personarum ss. Trinitatis ! —

(1) Seclusa omni manifestatione divina hac de re, ob miram similitudinem realem, per accommodationem realem ea quæ in s. Scriptura reperiuntur circa manna in deserto, plura saltem, applicare possum Eucharistiæ; quæ de serpente æneo, Jesu in cruce exaltato; quæ de Adamo, Christo; quæ de Eva, Beatæ Mariæ Virgini; quæ de justis Veteris Testamenti, sanctis Novi Testamenti; quæ de navigio Petri, Ecclesiæ; quæ de resuscitatis a morte corporali in Evangelio, iis qui per sæcula de morte spirituali resurgere habent, etc. etc.

eisque opus creationis attribuitur. — Quid mirum si, propter miram illam similitudinem verbalem inter textum illum et mysterium ss. Trinitatis, quasi unius principii allaborantis operi ad extra quod est creatio —, textum *Psalmi* huic mysterio exprimendo accommodem? Equidem hucusque nil novisse supponor circa Dei intentionem hac in re ; sed iterum non indigeo : solo ingenio meo detego hanc miram verborum illorum aptitudinem et textum accommodare valeo. — En *accommodatio verbalis*. Etiam hujus innumera esset invenire exempla.

***

Ab hisce circa sensum accommodatitium, eumque duplicis speciei, dictis, facilis fit transitus ad dicenda de *sensu mystico* s. Scripturæ, eumque iterum, saltem ut possibilem cogitatu, *duplicis speciei*.

a/ Et ut incipiamus a sensu accommodatitio reali, nonne Deus, dum inspirando scribebat suos libros, et signanter *Ex.*, XII, — etiamsi auctor humanus plane ignarus fuisset — nonne tamen etiam Deus illas accomodationes ut possibiles videbat? Sane ! Nonne imo potuit eas intendere? Sane ! Quid autem si eas intendit? Nonne eo ipso sensus illi, quos hucusque tamquam mere accommodatitios habebamus, dicendi essent *sensus s Scripturæ?* Sunt enim sensus ab auctore s. Scripturæ intenti et ab eo certo quodam modo expressi. - Ita v. g., ut exemplum resumamus de agno paschali Judæorum, Deus sane, dum caput XII *Exodi* inspirando scribebat videbat animal illud tam multiplices tamque miras habere similitudines cum Christo in cruce aliquando morituro ; quid impedit quominus hoc caput scribere intenderit, non tantum ad narrandum illud quod contingit cum agno paschali Judæorum, sed etiam ad præ-describendum, in hac quasi imagine, seu, ut dicunt in hoc typo, mortem Christi (1)?

(1) Stricte loquendo sensus ille mysticus jacebat expressus in ipsis factis, independenter ab eorum relatione in Scriptura sacra. Deus, gubernator universi, sic ordinavit antiquas illas res ut in agno illo

Quod si revera illud intendit, en sensus ille de morte Christi, ut puta in qua ossa Christi non frangerentur, quem ego hucusque inveneram tamquam meram accommodationem realem, jam non est talis tantum, sed est sensus a Deo intentus et a Deo expressus : *est sensus s. Scripturæ* (1).

Et revera ille est sensus quem omnes auctores admittere coguntur ; eum trita formula merito, saltem quoad genus ad quod pertinet (2), vocamus, *mysticum*, i. e. mysteriosum, absconditum ; etenim sensus ille jacet quidem aliquali modo, sed abscondito, expressus in s. Scriptura, ita ut, nisi Deus nobis manifestatione quadam subsequente, hanc suam intentionem manifestasset, ego valerem quidem, ut vidimus supra, pulchram facere accommodationem realem, imo suspicari Deum forte illum sensum intendisse, sed pro certo habere hunc esse sensum s. Scripturæ non valerem. Altero vocabulo eumdem sensum, nomine specifico (3), vocant sensum *mystico-realem*, seu *typicum*, quatenus nempe sensus ille a textu sacro significatur, non quidem immediate et directe per verba textus, sed immediate tantum : significatur enim per *res* quæ verbis illis significantur, quæ res præcise dicuntur *typi*

---

paschali præsignificaretur Christus. Attamen voluit illam historiam agni describi, non tantum ut servaretur illius ipsius facti memoria, sed etiam ut scripto consignaretur typica illa præfiguratio Christi. Unde s. Scriptura, mediante illo agno paschali, locuta est de Christo.

(1) De distinctione hujus sensus typici a sensu litterali agit s. Thomas, Quodlib. VII, q. 6, a. 14 : « Manifestatio vel expressio alicujus veritatis potest fieri de aliquo, rebus et verbis, in quantum scilicet verba significant res, et una res potest esse figura alterius, et secundum hoc in s. Scriptura manifestatur veritas dupliciter : uno modo, secundum quod res significantur per verba, et in hoc consistit sensus litteralis; alio modo, secundum quod res sunt figuræ aliarum rerum, et in hoc consistit sensus spiritualis ».

(2) Vide dicenda infra. Datur enim duplex sensus mysticus cogitatu possibilis, sensus mysticus rerum et sensus mysticus verborum.

(3) Vide notam præcedentem infra. Est enim hic sensus typicus una species in genere sensuum mysticorum; altera species est sensus mysticus verborum.

relate ad illas alias res quæ sic typice significantur (1).

Aliæ quoque dantur hujus sensus typici denominationes : vocatur enim et *symbolicus* ; — vocari posset *sensus mysticus rerum* vel sensus *mysticus realis* (2) ; vocatur et *spiritualis* : dum enim sensus scientificus, de quo supra, opus est ingenii humani hagiographi et solo ingenio humano lectorum detegi potest, hic sensus typicus contra ex speciali intentione Spiritus sancti in textu s. Scripturæ jacet et nonnisi ex speciali quadam manifestatione Spiritus sancti cum certitudine deprehendi potest (3).

b/ Eodem modo quo diximus de sensu accommodatitio reali dicendum esset de sensu accommodatitio verbali. Et ut iterum resumatur exemplum supra datum ex *Psalmo* XXXII, 6, nonne, quamvis forte inconscio auctore humano, Deus etiam ipse illam accommodationem ut possibilem vidit; imo nonne potuit eam et intendere ? Nimirum nonne potuit, etiam inscio auctore humano, in admirabili Providentia sua, sic omnia disponere ut auctor ille humanus, ad exprimendum hanc mentem suam, hanc rem : « *Deum facili negotio omnia creasse* », adhiberet non hæc aut alia verba qualiacumque, sed talia præcise verba quibus tam miro modo exprimeretur simul mysterium ss. Trinitatis ? Quod si Deus, auctor Scripturæ, hoc revera intenderit, significatio illa de ss. Trinitate jam non est tantum mera accommodatio verbalis quam nos invenire potuimus, sed est sensus a Deo intentus et a Deo expressus : est *sensus s. Scripturæ*.

Etiam hic sensus, quemadmodum sensus typicus de quo supra, esset *mysticus* vocandus, utpote qui et ipse scientiæ exegeticæ absconditus est et in mysterio latens;

---

(1) Notissima est divisio sensus typici in duplicem speciem, quatenus nempe in aliis textibus typus sunt *personæ*, in aliis vero alia quæ vocari solent *res*.

(2) Vide infra.

(3) Ille sensus per se etiam ipsum auetorem sacrum latet, nec absque revelatione divina ab ipso deprehendi valet.

talis est ut nisi Deus, manifestatione quadam subsequente, illam suam intentionem manifestaret, valeremus quidem, ut vidimus supra, pulchram accommodationem verbalem facere, imo suspicari Deum forte illum sensum intendisse, sed pro certo habere hunc esse sensum s. Scripturæ non valeremus. — Ad distinctionem ab altero sensu mystico de quo supra, rerum nempe seu reali, apte hic vocaretur *sensus mysticus verborum* seu *verbalis;* eodem sensu vocari potest, ut solet, *sensus mysticus litteralis* —, minime, ut patet, confundendus cum sensu litterali scientifico, de quo supra. — Eodem jure quo sensus typicus, vocari potest sensus *spiritualis.*

* * *

Si vera sunt, ut putamus, exposita, hoc modo possumus dicta breviter colligere et simul hunc logicum præbere variorum sensuum s. Scripturæ conspectum generalem.

1. - In libris s. Scripturæ, eodem modo quo in aliis libris ab hominibus conscriptis, habetur sensus quem vocant *historicum*, seu *humanum*, seu *litteralem*, seu *verbalem*, seu *scientificum* etc.

Hic sensus, tamquam *res*, tamquam elementum reale, jacet expressus in certo quodam *modo*, seu, ut dici solet, certis *verbis*. Et sic in textibus illis scripturisticis distinguimus duo elementa :

a/ res;

b/ verba.

2. — Hos eosdem textus scripturisticos possumus accommodare aliis rebus quas hucusque ignoramus num fuerint a Deo intenti. Hac ratione tribuimus textibus s. Scripturæ sensum quem, in quantum scimus, non habent : est *sensus accommodatitius.* — Distinguitur autem :

a/ sensus accommodatitius *realis*, quem nimirum tribuimus alicui textui, propter aliquam similitudinem

inter rem quæ significata jacet in s. Scriptura et illam aliam rem quam nos cogitamus;

b/ sensus accommodatius *verbalis*, quem nimirum tribuimus alicui textui, propter aliquam aptitudinem, quæ inest verbis adhibitis in s. Scriptura, ad significandam rem quam nos cogitamus.

3. — Has accommodationes, sive reales, sive verbales, etiam Deus, auctor s. Scripturæ, ut possibiles vidit, ut patet; imo, eas intendere potuit. Quod si eas de facto intendit, sensus illi jam non sunt meræ accommodationes a sensu Scripturæ alienæ, sed sunt sensus s Scripturæ ipsius. Attamen, nisi Deus hanc suam intentionem, nisi hos sensus a se intentos nobis aliquo modo manifestaverit, iidem sensus sunt quidem Scripturæ sacræ, sed nos latent, adeoque de se sunt sensus *absconditi*, sensus *mystici*. — Et consequenter ad distinctionem sensus accommodatitii sub 2°. traditi, etiam hic sensus mysticus distinguitur duplex :

a/ Si Deus intenderit eum sensum, quem accommodatitium *realem* nominavimus, erit sensus *mysticus rerum* seu *realis;* - qui est ille sensus, quem omnes admittunt, sensus *typicus;*

b/ Si Deus intenderit sensum, quem accommodatitium *verbalem* nominavimus, erit sensus mysticus *verborum* seu *verbalis;* — et en præcise illum sensum de cujus possibilitate vel realitate inquirunt auctores, dum agitant sic dictam quæstionem « *de multiplici sensu litterali* ».

A. Vander Heeren.

Acta SS. Congregationum (1).

E S. Congr. de Disciplina Sacramentorum.

ROMANA ET ALIARUM

DE FACULTATE BAPTISMI DOMI CONFERENDI EXTRA MORTIS PERICULUM (2).

Quæsitum est utrum sit iuri conformis praxis iuxta quam infantes, qui non versantur in periculo mortis, sed non sine periculo ad ecclesiam transferri possunt, *domi solemniter* (i. e. cum omnibus cæremoniis etiam ablutionem præcedentibus) baptizentur a parocho aliove sacerdote de parochi licentia; nam ad ministrum necessitatis et in specie ad obstetricem non potest recurri nisi in necessitate stricte dicta, scilicet cum positive timetur periculum ne infans moriatur (C. S. Off., 11 ian. 1899) et nonnisi in eadem necessitate omittuntur cæremoniæ ablutioni præviæ (S. C. Rit, 17 ian. 1914, Cod. iur. can., can. 776 § 1).

Quare propositis dubiis:

« I. Utrum supradicta praxis sit conformis iuri canonico et, quatenus *negative:*

« II. Quomodo in casu procedi debeat ».

In Congregatione Plenaria Emorum Patrum, habita die 26 iunii currentis anni, iidem Emi Patres ita responderunt:

Ad I. Providebitur in secundo.

Ad II. Esse iuri conforme quod, si infans non versatur in periculo mortis, sed sine periculo ad ecclesiam ad normam can. 775 transferri nequit, Ordinarius, vi can. 776 § 1, n. 2, permittere potest, *pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in aliquo casu extraordinario*, quod domi baptismus solemniter administretur; æstimare autem casus extraordinarii gravitatem est remissum prudentiæ et conscientiæ ipsius Ordinarii in singulis casibus.

---

(1) Varia dubia de jubilæo, soluta a S. Pœnit. Apost., die 9 martii 1925, quæ supra, p. 253 s., tradidimus ex aliis periodicis, nunc paruere apud *Acta Apost. Sedis*, XVII, p. 327.

(2) *Ibidem*, p. 452.

Datum Romæ, ex ædibus Sacræ Congregationis de Sacramentis, die 22 iulii 1925

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius.*

ADNOTATIONES.

Sub præsenti disciplina Ecclesiæ, extra periculum mortis et casum hæretici qui in adulta ætate sub conditione baptizatur, baptismus *sollemniter* administrari debet, i. e. cum omnibus cæremoniis, adeoque a ministro collationis sollemnis et cum aqua ad hoc benedicta (1).

Ut sponte liquet, sollemnis administratio fieri debet in *baptisterio,* quod debet adesse in ecclesia paræciali. Potest tamen Ordinarius subsidiarie, pro commoditate fidelium, in alia ecclesia vel oratorio publico fontem baptismalem erigere (2).

Si baptizandus, sine gravi incommodo aut periculo ad fontem baptismalem accedere vel transferri nequeat, administratio, ob decentiam, in ecclesia vel oratorio publico, intra fines paræciæ, locum habere debet (3).

Parochi est de gravitate incommodi vel periculi judicare.

Si nequidem ad ecclesiam vel oratorium publicum accedere vel transferri potest baptizandus, baptismus sollemnis in ædibus privatus conferri potest, in sacello vel decenti loco domus (4).

At, ne abusus ob inconsideratas parentum petitiones facile irrepant, opportunum ducit Ecclesia judicium de gravitate causæ, in hoc ultimo casu requisitæ, Ordinario loci reservare, ad quem spectat necessariam licentiam in casu aliquo *extraordinario*, pro suo prudenti arbitrio et conscientia concedere.

Itaque, S. Congregatio de disciplina sacramentorum docet *in singulis casibus* recurrendum esse ad Ordinarium, qui proinde nequit *generalem* licentiam dare. Posset tamen dare regulas directivas pro casibus in quibus recursus impossibilis est, quod obtinere potest in locis missionum.

V. COUCKE.

---

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, XX (1920), p. 461 ss.
(2) Vide can. 774.
(3) Ita juxta can. 775.
(4) Cfr can. 776.

E S. Congr. de Religiosis.

DUBIUM

DE RELIGIOSIS PROFESSIS VOTORUM TEMPORARIORUM IN AMENTIAM INCIDENTIBUS (1).

Cum aliquando accidat ut Religiosus, vel Religiosa, perdurante triennio votorum quod ex præscripto can. 574 cuicumque professioni perpetuæ aut solemni præmitti debet, in amentiam incidat, ita ut, elapso triennio, cum sui compos non appareat. ad professionem admitti nequeat, quippe qui actus huiuscemodi non sit capax, dubitatum est quid tali occurrente casu agendum sit.

Cum autem res in praxi non levis momenti videretur, Sacra Congregatio, præhabito voto plurium Consultorum, sequentia dubia Emorum Patrum iudicio subiecit;

I. — « Utrum Professus votorum simplicium in Ordine « vel in Congregatione, qui durante triennio amens eva- « serit, iudicio medicorum etiam insanabiliter, possit, « finito triennio, ad suos vel ad sæculum remitti, an vero « debeat in Religione retineri » ;

et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam :

II. — « Qualis sit prædicti Religiosi conditio iuridica, et ad quid teneatur « Religio in casu ».

Porro Emi Patres Sacræ Congregationis Sodalium Religiosorum Negotiis præpositæ, in plenario cœtu habito ad Vaticanum die 28 novembris 1924, re mature perpensa, respondendum censuerunt :

« Ad I : *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam :

« Ad II : Religiosus de quo agitur in dubio I, pertinet ad Religionem in eo statu in quo erat quando mente captus est, et Religio tenetur erga eum ad eadem officia ad quæ tunc tenebatur ».

Datum Romæ, ex Secretaria Sacræ Congregationis de Religiosis, die 5 februarii 1925.

C. Card. Laurenti, *Præfectus.*

L. † S.

Maurus M. Serafini, Abb. O. S. B., *Secretarius.*

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVII, p. 107.

Monitum Episcoporum Belgii ad Clerum

Reverendi ac dilectissimi Domini,

Non absque magno mœrore hisce ultimis temporibus in sic dicto « motu flandrico » lugendam dictorum factorumque intemperantiam conspeximus, a qua aliqui e clero nostro haud satis immunes sese servasse videntur ; quod cæterum et Vos ipsi, cum omnibus qui vere sapiunt tam sacerdotibus quam laïcis christianis, valde deplorandum judicatis.

Quapropter, ne cuiquam ad perperam agendum prætextus et effugium maneat, quasi in hac gravissimi momenti quæstione aliquod dubium fuerit de mente Nostra licet plus semel aperte declarata, monita quæ sequuntur ad vos dirigenda duximus, cum omnibus et singulis sacerdotibus vestris quamprimum communicanda.

1. Omnia Flandrorum nostrorum jura votaque legitima cum supremo religionis bono, necnon cum unitate indivisa patri omnino componi posse, atque debere, adeoque legitimo ac pacifico modo vindicari et promoveri posse, nullus sanæ mentis homo negare potest.

Contra vero, quævis molimina, quæ aperte vel secreto divisionem patriæ prosequuntur, pluribus de causis esse reprobanda ac sedulo vitanda, nemo nisi cæcus non videt. Neque enimvero hujusmodi conamina ad bonum exitum populo nostro optandum conducere unquam valebunt.

2. Ideo districte jubemus in virtute sanctæ obedientiæ ut sacerdotes omnes et singuli, sive curam animarum gerentes in parœciis, sive educandæ utriusque sexus juventutis, in seminariis, collegiis et scholis, munere fungentes, non aliam viam teneant ac eam quam Episcopus, a quo solo missionem suam et munus implendum accipiunt, ipsis præscribit, tum in aliis rebus cunctis, tum hac in re de qua recta principia modo exposuimus ; utque omnibus sibi subditis hanc eamdem viam sequendam, oppositam

vero omnino vitandam absque ulla ambiguitate demonstrent.

3. Attendant peculiariter Superiores Seminariorum et Collegiorum ad hoc, quod *Omnia tempus habent*, ut ait Ecclesiastes: nempe discipulis adolescentibus esse tempus studendi, acquirendi scientiam et virtutem christianam, nequaquam vero tempus sese active immiscendi in rebus publicis. Invigilent præsertim ne extranei, sive studentes sive alii, absque nulla missione accepta, alumnos excitent et avocent a suo unico studiorum officio. Severe prohibeant et invigilent ne diaria et periodica scripta, principiis supra expositis adversantia, in manibus suorum subditorum versentur; quæ quidem scripta omnino improbamus ac damnamus, utpote erroneis assertis mentes pervertentia et legitimam auctoritatem spernentia.

4. Igitur politicam, ut ajunt, nationalisticam quæ spreta auctoritate etiam ecclesiastica, ad extrema concludit sive in unum sive in alterum oppositum sensum, videlicet in sic dictum nationalismum sive quemdam gallicum, sive flandricum, pariter improbamus; et monemus sacerdotes et clericos *omnes* qui, quod Deus avertat, aperte vel occulte eidem favere præsumerent, quod in materia gravi contra legitimam auctoritatem, etiam ecclesiasticam, inobedientiæ ac rebellionis reos sese constituerent.

5. Bonos cæteroquin christianos, qui hoc in negotio qnovis modo errent aut decepti fuerint, privatis colloquiis ad rectam semitam reducere, et omni ope atque opera catholicam unitatem fovere satagant sacerdotes nostri dilecti, quos toties jam monuimus et enixe rogavimus ut in omni re memores sint se esse præprimis sacerdotes

Vobis, dilectissimi Domini, ex corde benedicimus

† D.-J. Card. Mercier, Arch. Mechlin.
† Gustavus-Josephus, Ep. Brugen.
† Thomas-Ludovicus, Ep. Namurcen.
† Martinus-Hubertus, Ep. Leodien. et Eup.-Malm.
† Æmilius-Joannes, Ep. Gandaven.
† Vedastus-Antonius, Ep. Tornacen.

Notæ Bibliographicæ

Radelet, C. *Etudes philosophiques de Théodicée selon s. Thomas.* Deuxième éd. Luttre, Balsacq, 1924. - In 8, 312 p. — Pr. 10 fr.

L'auteur dans ce premier volume traite successivement, en 3 parties de longueur très inégale, de la connaissance, de l'existence et de l'essence de Dieu. Il ne prétend nullement faire œuvre originale, mais veut bien au contraire vulgariser dans un style très simple, ce que s. Thomas, d'éminents auteurs, ses disciples, et en tout premier lieu parmi ceux-ci S. E. le Card. Mercier, dont M. l'abbé Radelet est l'ancien élève, enseignent très scientifiquement sur ces problèmes importants. L'exposé que nous donne l'auteur est de fait très simple, mais il est clair et solide; il est rempli de citations très bien chosies qui en augmentent l'intérêt. Cet ouvrage rendra de réels services à tous ceux qui veulent s'initier à ces questions toujours actuelles, ou qui veulent reprendre une étude dont l'importance polémique pour le croyant, surtout en ces temps d'agnosticisme prétendument scientifique, n'échappe à personne.

Pègues-Macquart. *Saint Thomas d'Aquin. Sa vie par Guillaume de Tocco et les témoins au procès de canonisation.* Toulouse, Privat, 1925. — In 8, xxv-402 p.

A l'occasion du sixième centenaire de la canonisation de s. Thomas, les étudiants du collège universitaire de Saint-Maximin (Var) nous donnent dans le présent volume, en collaboration avec M. Macquart, professeur au Grand Séminaire de Reims, la première traduction française de la vie de s. Thomas, écrite par son premier biographe officiel, Guillaume de Tocco ; suivent la traduction des dépositions des principaux témoins au procès de canonisation et quelques autres documents intéressants, notamment la chronologie de la vie et des écrits de s. Thomas d'après le R. P. Mandonnet dans la Bibliographie thomiste. Dans l'Avant-propos le R. P. Pègues explique la genèse de cet ouvrage, le caractère propre de cette vie de s. Thomas et l'intérêt des dépositions traduites ; puis en quelques pages il fait saisir parfaitement tout le secret de la vie de s. Thomas si merveilleusement *une* par « sa contemplation une au sens le plus parfait, contemplation théologique, doctrinale et mystique ou lumineuse et affective tout ensemble.... qu'il pouvait traduire pour les autres en formules de lumière ». Le présent ouvrage contribuera certainement à faire mieux connaître et à faire aimer d'un plus grand amour le docteur angélique.

Thomas (Sanctus). *In Aristotelis librum de anima commentarium.* Taurini, Marietti, 1925, — In 8, 307 p.

Jure laudandus est Ed. M. E. Marietti, cujus sumptibus jam prodiere pleraque et præcipua opera s. Thomæ Aquinatis, s. doctoris communis. Nemo non novit merita et dotes hujusce editionis, cujus hoc volumen *De anima*, cura P. F. Pirotta, O. P., diligenter editum, multum et libenter commendamus. Præparantur, uti monemur, alia opuscula ; liceat exoptare ut quantocius etiam prodeant Commentaria s. Thomæ in libros IV Sententiarum.

H. Lamiroy.

Lacau J. (S. C. J.), *Précieux trésors des indulgences.* Petit manuel à l'usage du clergé et des fidèles. Turin-Rome, Marietti, 1924. — In 8, xv-304 p. - Pr. 9,50 fr.

Cet opuscule comprend trois parties : 1° un exposé succinct de la doctrine sur les indulgences ; 2° les indulgences et autres faveurs spirituelles attachées aux objets de piété les plus usuels, avec les formules requises pour indulgencier ces objets ; 3° une série de prières, d'œuvres, de pratiques pieuses les plus riches en indulgences.

Cette seule analyse prouve assez l'utilité de cette publication qui, nous n'en doutons pas, sera accueillie avec empressement par les fidèles et plus encore par les prêtres. Qu'il nous soit permis de signaler une ou deux légères retouches à faire à une prochaine édition : p. 49 au sujet de la translation des indulgences, où le canon 922 n'est pas exactement rendu, et p. 85 s. : les personnes vivant en communauté, dit l'auteur, peuvent gagner les indulgences du rosaire en visitant leurs propres églises ou chapelles ; il faudrait ajouter : dummodo confraternitati ss. Rosarii rite adscripti sint (1). L'auteur fera bien aussi d'ajouter à la prochaine édition une table alphabétique.

Id., *Le jubilé hors de Rome.* Appendice à Précieux trésors des indulgences. Turin Rome, Marietti, 1925. — In 12, 35 p. — Pr. 1 fr.

Expose brièvement et clairement les conditions à remplir par les personnes privilégiées qui peuvent gagner déjà cette année l'indulgence du jubilé sans se rendre à Rome. Les pouvoirs des confesseurs sont simplement indiqués : l'auteur renvoie le lecteur à la théologie pour avoir les explications nécessaires.

---

(1) Nous eussions souhaité aussi plus de précision sur la distinction entre l'intention virtuelle et l'intention habituelle, p. 37 ; sur la quantité de prières requises aux intentions du S. P. : p. 42, sur le pouvoir du confesseur de commuer les œuvres prescrites, p. 53.

Krans van gebeden en gezangen voor de jeugd onzer katholieke onderwijsgestichten door een collegebewaker. Kortrijk, Salens, 1925.

Wij wenschen den anoniemen collegebewaker geluk met zijn schoone verzameling van gebeden en gezangen en we hopen dat zijn gebedenboekje in gebruik zal komen in vele onderwijsgestichten, vooral in de colleges, waarvoor het eerst bestemd is.

Hoornaert, G. (S. J.) *De strijd om de kuischheid ! — Een boek voor onze twintigjarige jongelingen.* Vrij uit het fransch vertaald door Kan. Muyldermans. Brussel, Katholieke werking, 1924. — In 8, 438 bl.

Het zal hier volstaan te verwijzen naar den lof waarmede de fransche uitgaaf aan onze lezers werd aanbevolen (1). Wij verheugen er ons dan ook om dat zulk een verdienstelijk werk in 't nederlandsch werd omgezet.

Hoornaert, R. *Sainte Térèse écrivain* Edition réduite. Bruges, Desclée, 1925. — In 8, 522 p. — Pr. 9 fr.

Nous avons signalé antérieurement la première édition de ce livre et nous avons souligné à cette occasion les brillantes qualités de cette saisissante étude sur S. Térèse (2). Il ne nous reste qu'à féliciter et à remercier l'auteur d'avoir, par cette édition réduite, mis à la portée d'un plus grand nombre de lecteurs, le fruit de ses longues et laborieuses recherches. A. Legrand.

Salsmans, J. (S. J.). *Beginselen van kerkelijk recht voor leeken*, Leuven, De vlaamsche boekenhalle, 1925. — In 32, 96 bl. — Pr. 3 fr.

Schrijver bedoelt kort en duidelijk uit te drukken wat ontwikkelde katholieke leeken behooren te weten van het kerkelijk recht. Vooraan worden enkele grondbegrippen bondig uitgedrukt over de verhouding tusschen Kerk en Staat, over de bronnen van het kerkelijk recht en over de verplichting der kerkelijke wetten. Dan geeft schrijver de hoofdbepalingen uit elkeen der vijf boeken van ons Wetboek. 't Is echter geen vertaling der artikelen, doch eerder een beknopte samenvatting, met enkele ophelderingen en praktische voorbeelden. Het werkje is nuttig voor ontwikkelde leeken, om een eerste kennismaking te doen met het kerkelijk recht. Doch we hadden gaarne een meer uitgebreide en volledige uiteenzetting van het kerkelijk recht begroet, die meer de wetenschap ervan zou ten bate gekomen zijn. We vreezen immers dat bij 't nagaan van zulk een *overbeknopte* samenvatting het het gevaar niet uitgesloten is een onjuist denkbeeld over het kerkelijk recht op te doen. J. Brys.

---

(1) *Collat. Brugen.*, XXIII, (1923), p. 85.

(2) *Ibidem*, p. 340.

Opera ad redactionem missa (1).

Beaufays, I. (O. F. M.). *Aux premiers jours de l'Eglise.* II. *Saint Paul.* Bruxelles, Dewit, 1925. — In 8, 166 p. et 5 hors-texte. — Pr. 7.50 fr.

Bernard, P. *Coffré pour la première fois !?* Bruges, Desclée, 1925. — In 8, 94 p. — Pr. 2.50 fr.

Brentano Maria R. (O. S. B.). *Wie Gott mich rief.* Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 8, XII-346 p. — Pr. 6.50 mk.

Cappello, F. (S. J.). *Tract. canonico-moralis de censuris juxta codicem jur. can.* Ed. 2. Taurini, Marietti, 1925. — In 8, XVI-417 p.

De Nolf, A. (C. SS R.). *Koningin van den Kruistocht.* — O. L. V. van altijddurenden Bijstand. Rousselare, Redemptoristen-klooster, 1925. — 32 bl. — Pr. 0.50 fr.

Dieckmann, H. *De Ecclesia.* II. *De Ecclesiæ magisterio.* Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 8, XII-308 p. — Pr. 10 mk.

Gatterer, M. (S. J.) *Annus liturgicus cum introductione in disciplinam liturgicam.* Ed. 4. Œniponte, Rauch, 1925. — In 12, XVI-420 p. — Pr. 6 mk.

Hardec. *Het geheim des Konings.* Antwerpen, « Veritas », 1925. — In 32, 50 bl. — Pr. 2.50 fr.

Hollweck, F. G. (Mgr). *Calendarium liturgicum festorum Dei et Dei Matris Mariæ.* Philadelphia, American Eccl. Review, 1925. — In 8, X-478 p. — Pr. 7,50 dol.

Janssens, Al. (Miss. van Scheut). *De hl. Drievuldigheid.* Tweede uitg. Brussel, Standaard-boekhandel, 1925. — In 8, VII-217 bl. — Pr. 15 fr.

Missiaen, B. (O. Cap.). *Volkshuishoudkunde.* Brugge, « Excelsior », 1925. — Gr. in 8, XV-635 bl. — Pr. 30 fr.

Mohr, H. *Als de ziele luistert.* Vert. uit het duitsch. Sekretariaat, van E. K., Averbode, [1925]. — In 8, XI-359 bl. — Pr. 5.50 fr.

Id. *In Gods zonneschijn.* — In 8, XII-314 bl. — Pr. 5.50 fr.

Pour l'amour de Dieu. Réflexions et prières par un missionnaire de Scheut. Ed. 3. Bruxelles, Dewit, 1925. — In 12, 261 p. — Pr. 3.75 fr.

Scheid, N. (S. J.). *Pater Moritz Meschler. Ein Lebensbild.* Freib. i. Br., Herder. — In 8, VI-220 p. — Pr. 5 mk.

Schreiber, G. *Deutsche Kulturpolitik und der Katholizismus.* Freib. i. Br., Herder, 1922. — In 8, 108 p.

Van Biervliet, A. (C. SS. R.). *La liturgie dans la piété alphonsienne.* Imp. St-Alphonse, 1925. — In 8, 38 p. — Pr. 1.50 fr.

Weisz, A. M. (O. P.). *Lebensweg und Lebenswerk.* Freib. i. Br., Herder, 1925. — In 8, XIV-530 p. — Pr. 8 mk.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc tantum indicantur, in sequentibus fasc. parebunt.

Collationes Brugenses

RESPONSA

ad quæstiones in conferentiis mensis augusti propositas.

—

I.

In Psalmum LXVII, vv. 12-15.

Q. *Psalmi LXVII interpretare notissimos versiculos 12-15* (1).

R. In Psalmo LXVII qui, ut supra (2) ostendimus, facilius intelligitur tamquam per magnas lineas describens totam historiam populi Israël inde ab ipso exordio ex Ægypto usque ad momentum quo Dominus definitivo modo montem Sion sibi in habitationem elegit, vv. 12-15, qui quarta sunt stropha integri Psalmi, videntur occupationem terræ promissæ ejusque divisionem inter varias tribus Israël describere. — *Notissimi*

---

(1) Cfr VANSTEENKISTE, *Commentarius in Librum Psalmorum*, Brugis, 1886, idemque opus quod potissimum in usum liturgicum accommodavimus : *Psalmi et Cantica explicata in ordine ad recitationem Breviarii*, 3a ed., Brugis, 1924; — BEELEN, *Het Boek der Psalmen*, 1878; id., in collectione BEELEN, 1896; — LESÊTRE, *Le livre des Psaumes*, 1883; — DREHMANS, *Het Boek der Psalmen*, 1895; — ZENNER-WIESMANN, *Die Psalmen nach dem Urtext*, 1906 (in Indicem relatum); — VAN KOEVERDEN, *De Pinksterpsalmen* in *De Katholiek*, 1914, t. 145, pp. 438 ss.; — VAN SANTE, *Psalmi e textu originali critice emendato translati...*, 1921.

(2) Pag. 375 ss.

sunt hi vv., sicut et alii plures ex hoc Psalmo, sua obscuritate, quæ patet vel ex ipsa multiplicitate et varietate interpretationum vel etiam correctionum textualium quæ fuerunt propositæ; ex quibus unam, haud certam, ast satis probabilem selegimus, quædam circa varia alia explicandi tentamina in nota subjecturi.

Et primo quidem textum dabimus et explicabimus qui videtur, in re difficili cum certa quadam probabilitate, ut originalis posse admitti; deinde textum Vulgatæ subjiciemus, eumque in relatione ad textum illum originalem interpretabimur. Sit ergo :

I. *Textus originalis satis probabilis* (1).

12 Jahve Adonai dedit verbum;
annuntiatrices *erant* agmen multum (2) :
13 « Reges exercituum fugiunt, fugiunt,
« et habitatrix domus dividit spolia (3).

---

(1) Dicimus : textus *originalis*, non autem : textus *hebraicus*; nam textus hebraicus, prout ipsum hodie in sic dicto textu massoretico præ manibus habemus, certo in pluribus corruptus est adeoque non præbet textum qualem ipse psalmista originaliter eum conscripsit. Quare etiam hunc textum nostrum hebraicum restitutionibus textualibus voluerunt corrigere; ultro tamen fatemur has restitutiones, etiam illas paucas quas in textu hîc tradito assumpsimus, minime certas et sæpe meras suspiciones esse.

(2) In v. 12 vocabulum *Jahve* ex v. 11, ubi videtur abundare, huc transtulimus ad complendum membrum secus nimis breve. — *Jahve* et *Adonai* (= *Dominus meus*) sunt duo nomina Dei. — *Verbum* putamus intelligendum : mandatum inchoandi occupationem terræ Chanaan; alii præferunt : carmen decantandum in laudem Dei et gratiarum actionem pro victoria relata vel referenda, illud nimirum epicinium quod cantatrices,de quibus statim mentio sequitur,decantandum habent.

Sunt qui æstimant carmen decantatum solo v. 13 absolvi; alii præferunt illud complecti vv. 13-15.

(3) V. 13 textus forte est corruptus. Sunt qui legendum putant : *Rex exercituum* est *noster dilectus*, i. e. Dominus, *et speciei domus*, i. e. matrifamilias, quæ decus et ornamentum est domus, *dat spolia* inimicorum inter suos *dividenda*. — *Species domus* — quo modo quidam vertunt ipsum textum hebr. massoreticum quem hodie legimus — alii intelligunt populum Israël, utpote speciosam domum Domini. — *Fugiunt, fugiunt* : superlativum hebraicum : *citissime fugiunt*, vel : *omnes*, vel : *quôquoversus*.

[14] « Quando recumbitis inter caulas,
« alæ columbæ *sunt* tectæ argento
« et pennæ ejus *sunt tectæ* auro flavo (1).
[15] « Dum dispergit Omnipotens reges in ea,
« nivescit in *locum* umbrosum » (2).

Interpretatio hujus textus.

Israëlitas eduxit Dominus ex Ægypto iisque per desertum peregrinantibus mirabili modo providit (vv. 2-11). Jam tempus est ut eis tradat terram promissam *a*/ occupandam, *b*/ inter se distribuendam et *c*/ felici conditione possidendam : hæc est idea quæ in hisce vv. 12-15 sat facili negotio detegitur.

V. 12. Dominus, duplici modo designatus ut *Jahve* et ut

---

(1) V. 14. *Caulæ* (s. Hieronymus vertit : *terminos*) intelliguntur proprie ea loca, uno alterove modo circumsepta, ubi greges continebantur; inde loca cuivis rei continendæ destinata (cogita nostrum : *omtuining* vel *park*). — Sunt qui voc. hebraicum quod vertimus caulas, vertunt *tripodes* seu *ollas* (gall. : *marmites*), et deveniunt ad sensus omnino inexspectatos. Vide VANSTEENKISTE, LESÊTRE, in h. l. — ZENNER-WIESMANN æstimant textum esse corruptum eumque sic corrigunt : *Dum recumbebatis inter medios nudos colles, alæ columbæ* erant *tectæ argento;* (tertium membrum v[i] 14 habent ut glossam); et locum explicant de victoriis relatis et de spoliis factis dum Israëlitæ erant terram Chanaan ingressuri; de quibus pugnis *Deut.*, II, 23 — III, 11 et *Num.*, XXI, 21-35. — *Columba* est populus Israël; eamdem figuram vide *Cant. Cant.*, II, 10, 14; V, 3; VI, 8; *Osee*, VII, 11; XI, 14.

(2) V. 15. Prima pars hujus v. sat facile intelligitur; altera autem quam plurimis modis fuit explicata, aut etiam restitutionibus textualibus correcta. — *Selmon* intelligunt alii montem quemdam prope Sichem (in Samaria) positum (*Jud.*, IX, 48); alii montem quemdam Ἀσαλμανος in regione Basan, ubi Hebræi terram Chanaan ingressuri victoriam insignem reportavissent (Cfr M. HAGEN, *Lexicon biblicum*, voc. *Selmon*). Montem hujusmodi dicunt fuisse quasi nive opertum, per allusionem ad ossa hostium quibus operiebatur (Cfr *Æn.*, XII, 36 : *Campi ossibus albent*; — OVID., *Fast.*, I, 558 : *humanis ossibus albet humus*), vel ad arma aliave spolia ibidem rejecta. Alii sensui etymologico inhærentes, *Selmon* explicant : *umbrosum*, *tenebrosum*, et v. intelligunt : Ubi Dominus in favorem populi sui intervenit, hostes eorum vincendo, quod tenebrosum erat in niveum et album mutatur, seu tenebris lumen succedit, augustiæ felicitas. Hanc sententiam infra applicabimus. — ZENNER-WIESMANN et KNABENBAUER textum corrigunt et vertunt : *projecit eos in umbram mortis.*

Adonai, dat verbum : omnipotenti verbo suo defert mandatum (1) populo Israël ut populos Chananæos aggrediantur et devincant terramque et spolia eorum inter se distribuant. Verbum Domini est efficax; exsecutio non tardat; non tamen in seipsa describitur, sed per audacem figuram styli describitur in effectu suo : mulieres, sane cum tympanis et choreis, magno numero, cantu celebrabunt res gestas (2). *Annuntiatrices* seu lætæ nuntiæ sunt *agmen multum*, quasi exercitus tam numerosæ. — En autem quid cantent :

Primò, in v. 13, celebrant ipsam victoriam reportatam seu occupationem terræ, quam per duo selecta facta delineant : *reges exercituum* hostilium, *fugiunt*, *fugiunt*, i. e. quam citissima fuga ab interitu se salvare conantur, — et : *spolia* multa relinquunt Hebræis, quæ materfamilias, *habitatrix domus*, inter suos *dividit* (3).

Secundo, in v. 14, celebrant terræ inter varias tribus Israël distributionem; alloquuntur enim varias has tribus easque describunt, tamquam portiones gregis dominicæ, *recumbentes inter caulas* (4) seu inter partes territorii singulis assignatas, et gaudentes mira pace et prosperitate : comparantur enim *columbæ*, quod est symbolum

---

(1) Simili verbo omnipotenti creavit Deus mundum; simili verbo mandabit Christus Apostolos mundum aggredi eumque doctrina evangelica magna virtute occupare. — Huic ideæ exprimendæ apprime accommodari possunt verba Vulgatæ in v. 12.

(2) Iteratis vicibus in historia Israël comparent mulieres celebrantes victorias reportatas. Cfr *Exod.*, xv, 20 s.; *Jud.*, v; *I Reg.*, xviii, 6 s.; *Judith*, xvi, 1. — Præprimis canticum Debboræ, *Jud.*, v, præ oculis habuerit Psalmista; plurima enim dantur parallela inter canticum istud et psalmum nostrum. Ita *Jud.*, 4-5 = *Ps.*, 8-9; *Jud.*, v. 16 ss. = *Ps.* 14; *Jud.*, 30 = *Ps.* 13; *Jud.*, 31 = *Ps.* 3-4.

(3) *Habitatrix domus* apta formula ad designandum matremfamilias, utpote quæ, potissimum ubi bellum agitur a viris, domum custodit. — Apto quoque modo ei tribuitur spoliorum distributio. Cfr *II Reg.*, 1, 24.

(4) Possibile est *caulas* hîc poni sensu generaliori, sine allusione intenta ad greges continendas; magis tamen arridet allusionem hujusmodi haberi, eo quod sic magis adhuc in lucem ponitur pax et securitas quibus tribus Israël sub custodia divini Pastoris fruuntur.

pacis, et *alæ et pennæ* hujus columbæ sunt *argento et auro* (1) *obtectæ*, quæ miro modo exhibent prosperitatem et divitias (2).

Tertio, in v. 15, celebrant jugem protectionem quam Dominus, decursu historiæ subsequentis contra potestates hostiles populo suo largitur. Nonnunquam enim insurrexerunt hostes contra terram sanctam; non raro angustia erat populo Dei; ast *Omnipotens dispersit reges in ea*, i. e. in terra sancta, et sic, per interventum illum Dei, mutatur angustia in felicitatem, tenebræ in lucem : erat quasi alba *nix descenderet in locum umbrosum* (3).

II. *Textus Vulgatæ.*

Ut apparet ex jam dictis textus Vulgatæ satis differt tum a textu hebraico quem massoreticum vocamus, tum a textu qui majori minorive probabilitate ut originalis haberi potest et quem supra descripsimus. Nihilominus non ita difficile est textum Vulgatæ interpretari ut cum textibus illis quoad sensum satis consonum videri possit. — Nimirum :

In v. 12 *Dominus dat* (4) *verbum*, carmen nempe, cantandum ab *evangelizantibus* seu annuntiatricibus (5) boni nuntii, qui *virtute multa*, utpote valde numerosæ, decantant canticum quod vv. 13-15 sequitur.

V. 13 celebrat occupationem terræ Chanaan. *Rex*

---

(1) *Argentum* et *aurum* symbolizant prosperitatem et divitias haustas vel ex spoliis hostium vel ex fertilitate terræ vel ex variis causis simul.

(2) Equidem a tempore occupationis terræ promissæ usque ad momentum quo Dominus habitationem sibi eligeret in monte Sion (de quo in vv. 16 ss.), non semper fuerat status populi pacificus ille et prosper quem poëta sacer decantat; sed utique frequenter status ille obtinuerat et post angustias successerat semper tranquillitas et felicitas. Cfr dicta ad v. 15.

(3) Vide quæ supra notavimus, p. 427, *nota 2*.

(4) Notum est tempora verborum in Vulgata occurrentia sæpe posse in alia mutari.

(5) *Evangelizantibus* æque potest intelligi in genere feminino quam in masculino; tamen versio LXX, a qua Vulgata nostra dependet vocabulum legit in masculino : τοῖς εὐαγγελιζομένοις.

virtutum, Rex exercituum, super omnes alios potens, talis est rex *dilecti*, *dilecti*, i. e. dilectissimi populi sui, et hanc suam omnipotentiam suam ostendit dando nobis victoriam de inimicis nostris et in specie dando *speciei domus*, i. e. matrifamilias, *dividere spolia* hostium.

V. 14 celebrat divisionem terræ Chanaan inter varias tribus Israël; eas enim describit in territoriis suis pace et prosperitate gaudentes : *Si dormiatis*, quando recumbitis *inter medios cleros* (1), i. e. inter medias portiones terræ singulis assignatas, estis, præ pace et prosperitate vestra, sicut *columbæ* cujus *pennæ* sunt *argentatæ* et cujus *posteriora dorsi*, i. e. pennæ caudæ, *pallore auri*, virore auri opertæ.

V. 15 tandem describit jugem protectionem a Domino populo suo tributam. *Dum discernit*, dum dispergit *Cælestis* (cum majuscula), Rex cælestis *reges* hostiles, *super eam*, super terram sanctam, *nive dealbabuntur in Selmon* : sicut nix in Selmon ita albi facti sunt Israëlitæ, ex angustia translati in lætitiam.

A. Vander Heeren.

II.

De modo cognitionis angelicæ.

Q. *Breviter explica quomodo angeli virtute sua naturali cognoscant.*

R. Ex dictis supra de ambitu cognitionis naturalis in angelis (2), jam liquet ad quæstionem propositam sic esse respondendum : « Angelus cognoscit et seipsum et Deum per propriam suam substantiam spiritualem, ... alia vero tum spiritualia tum materialia cognoscit per

(1) *Cleros* est transscriptio latina vocabuli græci quod hîc in LXX occurrit : τῶν κλήρων, ubi κλήροι significat sortes, nimirum portiones territorii singulis tribubus assignatas.

(2) Supra, p. 379. — Quoniam de cognitione *naturali* dicimus, nihil addendum habemus de modo quo spiritus beati essentiam Dei visione intuitiva contemplantur.

species intelligibiles innatas seu sibi connaturaliter a Deo impressas » (1).

Hæc in sequentibus, duce rursus s. Doctore communi, per comparationem sæpius ad modum, quo nos cognoscimus, breviter explicamus.

1/ Angelus *seipsum* cognoscit *per suam substantiam* ; ast imprimis sedulo notandum venit intelligere etiam in angelis esse *actum* non substantiæ, sed *potentiæ intellectivæ*, quod in præcedenti responso de facultatibus angelicis jam statuimus (2).

Ut perspiciatur autem *quomodo* per suam substantiam semetipsum cognoscat angelus, hæc pauca de cognitione humana recolere juvat.

a/ Homo, compositus corpore et spiritu, quoniam intellectus ipsius est virtus animæ, quæ est forma corporis, *per se primo* percipit per intellectum suum « *quidditatem in materia corporali existentem* » (3).

Intellectus agens nimirum, convertens se ad phantasma, quod a cognitione sensibili subministratur, illud reddit intelligibile actu seu format speciem intelligibilem atque illam imprimit intellectui possibili, qui specie informatus, seu determinatus ab illa tanquam ab objecto suo proprio, sibimet exprimit *quid sit res*, per abstractionem proprie dictam, tum a materialibus, tum ab individuantibus conditionibus (4).

« Species intelligibilis se habet [igitur] ad intellectum ut *id quo* intelligit intellectus » ; vel adhuc « similitudo rei intellectæ, quæ est species intelligibilis, est *forma* secundum quam intellectus intelligit, ... sed *id quod* intelligitur primo est res, cujus species intelligibilis est similitudo » (5).

---

(1) Ill. ac rev. Waffelaert, *Medit. theol.*, n. 274, apud *Collat. Brugen.*, VII, p. 418. — Non est sane cur insistendo notemus hasce species *impressas* dici alia ratione ac nobis impressæ quædam dicuntur species, in oppositione ad species expressas.

(2) Vide supra, p. 348 s.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 84, a. 7, e., coll. q. 85, a. 1, c.

(4) *Ibidem*, q. 85, a. 1, c. coll. q. 84, a. 2, c. et *Contra gentiles*, I, 53.

(5) *Sum. theol.*, I, q. 85, a. 2, c.

b/ Intellectus humanus, « infimus in ordine intellectuum » (1), « se habet *in genere rerum intelligibilium*, ut *ens in potentia* tantum, ... unde possibilis nominatur. Sic igitur in sua essentia consideratus se habet ut potentia intelligens. Unde ex seipso habet virtutem ut intelligat, non autem ut intelligatur, nisi secundum id quod fit actu.... Sed quia connaturale est intellectui nostro, secundum statum præsentis vitæ, quod ad materialia et sensibilia respiciat, sicut supra dictum est, consequens est ut sic *seipsum* intelligat intellectus noster, *secundum quod fit actu per species*.... Non ergo per essentiam suam, sed *per actum suum* se cognoscit intellectus noster ; .... [atque sic homo] percipit se habere animam intellectivam ex hoc quod percipit se intelligere » (2).

Nunc autem α/ ut in præcedenti quadam responsione jam vidimus (3), angelus est ens immateriale, intellectu præditum, quod per se primo intelligit immateriale, seu « *formam sine materia subsistentem* » (4).

β/ Insuper « angelus, cum sit immaterialis, *est* quædam forma subsistens, et per hoc *intelligibilis actu* » (5), adeoque statim et merito concludit s. Thomas : « Per suam formam, quæ est sua substantia, [angelus] seipsum intelligit » (6), vel uti dicit alibi : « Essentia angeli est sicut actus in genere intelligibilium, et ideo se habet ut intellectus et intellectum » (7).

---

(1) *Ibidem*, q. 87, a. 3, c. et q. 89, a. 1, c., coll. *Contra gentiles*, II, 96, 98, 100.

(2) *Sum. theol.*, I, q. 87, a. 1, c., coll. a. 3, c. et q. 85, a. 4, c., necnon *Contra gentiles*, II, 98.

(3) Vide supra, p. 282 s.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 85, a. 1, c., coll. q. 87, a. 7, c. — In q. 85, a. 1, exponit s. Thomas quomodo cognitio humana intellectiva medium teneat locum inter cognitionem humanam sensibilem et cognitionem angelicam ; in *Quæst. disp. de veritate*, q. 8, a. 6, quomodo intelligere angelicum se habeat medium inter intelligere divinum et humanum.

(5) *Sum. theol.*, I, q. 56, a. 1, c., coll. *De veritate*, q. 8, a. 6.

(6) *Sum. theol.*, *l. c.*

(7) *Ibidem*, q. 87, a. 1, ad 2, coll. a. 3, c. et *Contra gentiles*, II, 98.

Et revera, ad cognitionem, quæ est actio immanens in agente, necessaria est *unio* subjecti *cognoscentis* et objecti *cogniti*; omnis enim « cognitio dicit existentiam cogniti in cognoscente » (1). Præterea « omnis cognitio est *secundum aliquam formam*, quæ est in cognoscente *principium cognitionis* » (2); unde « intellectus angeli, qui habet essentiam, quæ est *ut actus* in genere intelligibilium, sibi *præsentem*, potest intelligere id quod est intelligibile apud ipsum, scilicet essentiam suam, non per aliquam similitudinem [speciem], sed per seipsam » (3).

Non est autem necesse ut objectum intelligibile *moveat* intellectum, quod utique obtinet in intelligere inferiori seu humano, ubi intellectus possibilis seu passivus, movetur receptione formæ seu speciei intelligibilis (4).

Nec etiam necesse est ut principium formale cognitionis *inhæreat* cognoscenti *per modum accidentis*, quemadmodum rursus in nostra cognitione; « nihil [enim] differt ad hoc quod forma sit principium actionis quod ipsa forma sit aliquando inhærens [forma seu species intelligibilis in intellectu humano], et quod sit per se subsistens [essentia angeli relate ad intellectum ipsius]. Non enim minus calor calefaceret, si esset forma per se subsistens, quam calefacit inhærens » (5).

Breviter itaque: angelus seipsum intelligit per suam essentiam *actu intelligibilem*, sibimet semper *conjunctam*, *quin* specie intelligibili et forma *inhærente* ejus intellectus *moveatur* ad intelligendum; sic porro simul luculenter videtur angelum relate ad hanc sui cognitionem esse semper et sub omni respectu *in actu*, siquidem nullatenus movetur (6).

---

(1) *De veritate*, q. 2, a. 5, ad 15 et cfr De Jaegher, *Instit. philos.*, n. 106 et n. 375.

(2) *De veritate*, q. 10, a. 4.

(3) *Ibidem*, q. 8, a. 6.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 79, a. 2, c., coll. *De veritate*, q. 16, a. 1, ad 13 et *Contra gentiles*, II, 59 s.

(5) *Sum. theol.*, I, q. 56, a. 1, c.

(6) Vide infra, in fine hujus responsionis, quomodo relate ad alia intellectus angelicus dici possit in potentia sub quodam respectu.

2/ Angelus *Deum* cognoscit pariter *per suam substantiam*, alia tamen ratione quam seipsum per suam substantiam cognoscit ; alia simul ratione quam homo Deum cognoscit.

Angelus cognoscit Deum per suam substantiam, *quatenus eamdem percipit* tanquam *ens contingens*, quod ab ente necessario quoad esse dependet; adhuc quatenus eamdem cognoscit uti *perfectionem aliquam limitatam*, participatam, causatam a Deo (1).

Sicut nos varia via, procedendo a variis respectibus sub quibus res consideramus, ad cognitionem Dei pervenimus, ita et angeli, licet ratione diversa propter perfectionem suam.

Et reipsa, tum angeli, tum homines perveniunt ad Deum cognoscendum *per ea quæ facta sunt ;* nimirum angeli præprimis per suam substantiam actu intelligibilem, homines potius per rem materialem, quam primo cognoscunt (2) ; illi tamen perfectiori modo quam hi, scil. *absque discursu aut ratiocinio*, « quia statim in illis quæ primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia quæcumque in eis cognosci possunt » (3).

« Et ideo dicuntur *intellectuales* ; .... animæ vero humanæ, quæ veritatis notitiam per quemdam discursum acquirunt, *rationales* vocantur. Quod quidem contingit ex debilitate intellectualis luminis in eis. Si enim haberent plenitudinem intellectualis luminis, sicut angeli,

---

(1) Vide supra in responsione de *ambitu* cognitionis angelicæ, p. 379 s.

(2) Dicitur angelum *imprimis* per suam essentiam et hominem *potius* per res materiales cognoscere Deum, quia angelus etiam per considerationem specierum, quas accepit a Deo, quibus perficitur ejus intellectus, ad Deum cognoscendum pervenire potest, sicut et homo per considerationem v. g. sui esse et sui intellectus, quem tamen cognoscit per species actu, uti supra dicimus. — Adverte hanc cognitionem angeli de Deo non esse dicendam *abstractivam*, uti eamdem vocat Van Noort, *De Deo creatore*, n. 116, p. 78, Amstelodami, 1912².

(3) *Sum. theol.*, I, q. 58, a. 3, c., coll. q. 56, a. 3, c. et *De veritate*, q. 8, a. 15. — Non vident tamen angeli per sua naturalia Dei essentiam, nec eamdem videre possunt, uti probatur apud *Sum. theol.*, I, q. 12, a. 4, c., coll. *Contra gentiles*, III, 49.

statim in primo aspectu principiorum totam virtutem eorum comprehenderent, intuendo quidquid ex eis syllogizari posset » (1).

3/ Angelus cognoscit *alia a se*, præter Deum, tum materialia, tum spiritualia, *per species a Deo, non a rebus, acceptas*, easque *connaturales*, cum ipsa natura sua congenitas (2). Primo *factum* statuimus ; deinde pressius determinamus *quomodo*, hisce speciebus mediantibus, angelus etiam *singularia* cognoscat.

a/ « Omnis cognitio », uti modo vidimus, « est *secuncundum aliquam formam*, quæ est in cognoscente *principium cognitionis* » (3), vel adhuc : « Illud quo intellectus intelligit, comparatur ad intellectum intelligentem, ut forma ejus ; quia forma est quo agens agit » (4).

« Potentia autem intellectiva angeli se extendit ad intelligendum *omnia* ; quia objectum intellectus est ens vel verum commune. Ipsa autem *essentia angeli non comprehendit in se omnia*, cum sit essentia determinata ad genus et speciem (5). Hoc autem proprium est essentiæ divinæ, quæ infinita est, ut in se simpliciter omnia comprehendat perfecte. Et ideo solus Deus cognoscit omnia per suam essentiam ; angelus autem per suam essentiam non potest omnia cognoscere, sed oportet intellectum ejus aliquibus speciebus perfici ad res cognoscendas » (6).

Jamvero « substantiæ spirituales inferiores, scilicet *animæ*, habent esse affine corpori, in quantum sunt corpo-

---

(1) *Sum. theol.*, I, q. 58, a. 3, c. — In art. seq. ostendit s. Thomas angelos non cognoscere *componendo* et *dividendo*, « sed solum intuendo *quod quid est* », unde, ait a. 5, in intellectu angelico *per species falsitas non est*, quamquam *per accidens* esse potest, sed alio modo quam in intellectu humano.

(2) Sic jam merito dicuntur species *connaturales*, sed ita vocari adhuc possunt, quatenus infusæ *ab auctore naturæ* et quidem *secundum conditionem naturæ angelicæ*, ut in textu explicatur infra.

(3) *De veritate*, q. 10, a. 4.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 55, a. 1, c.

(5) Cfr *Contra gentiles*, III, 95.

(6) *Sum. theol.*, *l. c.* et vide supra, p. 381.

rum formæ ; et ideo ex ipso modo essendi competit eis ut a corporibus et *per corpora suam perfectionem intelligibilem consequantur*.... Substantiæ vero superiores, id est angeli, sunt a corporibus totaliter absolutæ, immaterialiter et in esse intelligibili subsistentes ; et ideo suam perfectionem intelligibilem consequuntur per *intelligibilem effluxum, quo a Deo species rerum cognitarum acceperunt*, simul cum intellectuali natura » (1).

Et non tantum res materiales per species inditas a Deo cognoscunt, sed *etiam entia spiritualia*. Etenim, quamquam substantiæ separatæ sunt *actu intelligibiles*, utpote immateriales, quoniam *cognitio dicit unionem* intimam cognoscentis et cogniti et tamen, ut modo vidimus, « *nulla* hujusmodi substantiarum *secundum suam essentiam sit sufficiens principium cognitionis omnium aliarum rerum*, unicuique earum supra propriam substantiam oportet superaddere quasdam *intelligibiles similitudines* [species], per quas quælibet earum alia [sive corporalia, sive spiritualia] in propria natura cognoscere possit » (2).

b/ Ut pressius intelligamus *quomodo* omnia alia a se, præter Deum, cognoscant angeli per species immateriales inditas, et tamen *in singulari*, denuo nos convertamus necesse est ad modum, quo nos singularia cognoscimus.

« Intellectus [humanus, possibilis] per speciem rei [impressam] formatus, intelligendo format in seipso quamdam intentionem rei intellectæ » (3), qua sibimet dicit (verbum mentis) seu exprimit (species expressa), *quid sit* res ista, quæ *ut individua* per sensum cognoscitur.

---

(1) *Ibidem*, a. 2, c., coll. *Contra gentiles*, II, 96 et *De veritate*, q. 8, a. 8 ac 9. — Adverte, quum angeli non recipiant cognitionem a rebus, ad cognitionem ipsorum *nihil referre distantiam*, ut notatur *Sum. theol.*, I, q. 57, a. 3, ad 4 et q. 89, a. 7, c. necnon *Contra gentiles*, II, 96. — Quomodo vero dicantur angeli *in loco* vide apud *Sum. theol.*, I, q. 52, a. 1 et s.

(2) *Contra gentiles*, II, 98 et lege ulteriorem explicationem de modo quo angeli superiores et inferiores per inditas species plus minusve universaliores intelligant, apud *Sum. theol.*, I, q. 55, a. 3, c., coll. q. 89, a. 1, c. et *De veritate*, q. 8, a. 10.

(3) *Contra gentiles*, I, 53, coll. *Sum. theol.*, I, q. 85, a. 1 et s.

Cognitio humana completa, simul est complexa, quatenus, uti ait s. Thomas, « homo cognoscit *diversis viribus* cognitivis omnium rerum genera, intellectu quidem *universalia et immaterialia*, sensu vero *singularia et corporalia* » (1); vel alibi : « Anima humana est inferior ordine naturæ quam substantia separata ; ipsa autem cognoscitiva est universalium et singularium per duo principia, scilicet per sensum et intellectum » (2); « substantia [vero] separata, quæ est altior, cognoscit *utrumque* altiori modo *per unum principium*, scilicet intellectum » (3).

« Quod [enim] potest inferior virtus, potest et superior, sed eminentius ; unde virtus inferior operatur *per multa*, ubi virtus superior *per unum* tantum operatur ; virtus enim quanto est superior, tanto magis colligitur et unitur ; e contrario vero virtus inferior dividitur et multiplicatur ; unde videmus quod diversa genera sensibilium, quæ quinque sensus exteriores percipiunt, una vis sensus communis apprehendit » (4).

Idem adhuc explicatur modo et ordine, quo perveniunt species intelligibiles ad intellectum humanum et ad intellectum angelicum : « Ad intellectum enim nostrum perveniunt *per vim resolutionis*, scilicet *per abstractionem* a conditionibus materialibus et individuantibus ; unde per eas singularia in nobis cognosci non possunt. Ad intellectum autem substantiæ separatæ perveniunt species intelligibiles *quasi per viam compositionis ;* habet enim [substantia separata] species intelligibiles ex assimilatione sui ad primam intelligibilem speciem intellectus divini, quæ quidem non est a rebus abstracta, sed rerum factiva. Est autem factiva non solum formæ, sed materiæ, quæ est individuationis principium. Species igitur intellectus

(1) *Sum. theol.*, I., q. 57, a. 2, c.

(2) *Contra gentiles*, II, 100.

(3) *Ibidem* et cfr *Sum. theol.*, I, q. 57, a. 2, c.

(4) *Contra gentiles*, II, 100 et observa in alio ordine, sic animam intellectivam esse formam corporis atque eminenter habere perfectionem vitæ vegetativæ et sensibilis.

substantiæ separatæ totam rem respiciunt, et non solum principia speciei, sed etiam principia individuantia » (1).

Hæc porro ratio, cum sit omnino generalis, simul explicat quomodo possit angelus cognoscere alios spiritus, qui alia tamen ratione ac materialia individuantur (2).

In fine tandem nota hasce species angelis impressas « esse *perfectiones et actus* intellectus angelici » (3) ; atque sic intelligitur quomodo dicatur angelus *semper in actu* relate ad hasce species, sub una scilicet ratione, dum simul sub alia ratione ad easdem dicatur *in potentia*, adeo ut aliquam *successionem* in cognitione angelica admittere possimus ac debeamus.

Etenim « intellectus dupliciter est in potentia : uno modo sicut ante addiscere vel invenire ;.... alio modo dicitur in potentia, sicut cum jam habet habitum scientiæ, sed non considerat » (4).

Et « primo igitur modo intellectus angeli nunquam est in potentia [sed *semper in actu*], respectu eorum ad quæ ejus cognitio naturalis se extendere potest » (5).

« Secundo vero modo intellectus angeli potest esse *in potentia* ad ea quæ cognoscit naturali cognitione. Non enim omnia quæ naturali cognitione cognoscit, semper actu considerat » (6).

---

(1) *Contra gentiles*, II, 100, coll. *De veritate*, q. 8, a. 8 et q. 19, a. 2, necnon *Quodlib.* 7, a. 3. — Non sufficit itaque dicatur angelos habere penes se formas *universales* rerum, quas applicant ad hoc vel illud in singulari, nam merito notatur in *Quæst. disp. de veritate*, q. 8, a. 11, ad tertium modum assignatum in ordine ad explicandum quomodo angeli cognoscant in singulari : « Patet quod applicatio universalis ad particulare jam præsupponit cognitionem intellectualem singularium in angelis et non est causa ipsius ».

(2) Cfr *Contra gentiles*, II, 93-95 ; *Sum. theol.*, I, q. 50, a. 4, c. et *Quæst. disp. de spirit. creaturis*, q. 1, a. 8.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 57, a. 1, ad 1 ; *Contra gentiles*, I, 46 ; II, 97 s.

(4) *Sum. theol.*, I, q. 58, a. 1, c.

(5) *Ibidem*, ubi simul notat s. Thomas : « Quantum ad ea, quæ eis [angelis] divinitus revelantur nihil prohibet intellectum eorum esse in potentia ».

(6) *Ibidem* et observa sic angelum dici in potentia ad actum secundum, dum semper in actu est ad actum primum.

« Sciendum [enim] est quod non omne illud est intellectum in actu, cujus species intelligibilis actu est in intellectu; quum enim substantia intelligens sit etiam volens, ac per hoc sit domina sui actus, in potestate ipsius est, postquam habet speciem intelligibilem, ut ea utatur intelligendo actu, vel, si habet plures, ut utatur una ipsarum » (1).

« Est igitur in intellectu substantiæ separatæ quædam intelligentiarum *successio; non tamen motus proprie loquendo*, cum non succedat actus potentiæ, sed actus actui » (2). Non datur etiam, ut supra jam posuimus ad cognitionem angelicam de Deo, proprie *discursus*, quoniam angeli, « statim in illis quæ primo naturaliter cognoscunt, inspiciunt omnia quæcumque in eis cognosci possunt » (3). H. Lamiroy.

III.

De oratione in genere.

Q. *Ad orationis* infallibilem *impetrationem si sufficiunt quatuor notæ conditiones: pie nempe perseveranterque petendi salutaria pro bene disposito* (*cfr* Collat. Brugen., *t. X, p. 288*), *cur tunc non infallibiliter sufficit hujusmodi oratio nec ad tentationes superandas, nec ad perseverantiam finalem nedum ad eximiam sanctitatem obtinendam, nec ad omnes purgatorii animas liberandas etc.?*

---

(1) *Contra gentiles*, II, 101 et lege *Sum. theol.*, I, q. 58, a. 2, c., ubi exponitur quomodo angeli possint *multa* cognoscere, « secundum quod uniuntur in *uno* intelligibili »; secus speciebus diversis indigent et cfr iterum *De veritate*, q. 8, a. 14.

(2) *Contra gentiles*, II, 101. — Quamvis sit successio, nihilominus in operatione intellectuali angelorum non admiscetur tempus proprie dictum, ut exponitur *ibidem*, II, 96 in fine. Attamen res quæ cognoscuntur, sunt in tempore, itaque licet angeli habeant species inditas cum natura, non cognoscunt futura, saltem in se, uti diximus supra p. 383, quia, uti dicitur *Sum. theol.*, I, q. 57, a. 3, ad 3 : « Quæ futura sunt, nondum habent naturam, per quam illis [speciebus innatis] assimilentur; unde per eas cognosci non possunt » et cfr *De veritate*, q. 8, a. 12 ac *De malo*, q. 16, a. 7, ad 6.

(3) *Sum. theol.*, I, q. 58, a. 3, c.

R. Quæstio quidem generaliter procedit de modo quo s. Scripturæ promissiones audiendæ sint quibus orationi, debitis stipatæ conditionibus, infallibilitas spondetur exauditionis; speciatim vero ponitur de modo intelligendi quatuor conditiones ab auctoribus in hac materia communius requisitas, quarum expositionem in citato loco hujus periodici videre est Profecto proposita causæ exempla insufficientiam illarum conditionum manifestare diceres, imparemque proclamare orationem, quamvis vere piam et perseverantem, ad quæcumque salutaria bene disposito impetranda; quocirca sequentia notare juvabit.

Principii instar statuendum est, illas promissiones s. Scripturæ quæ relate ad orationis infallibilem efficaciam generales sunt, non esse sine sufficienti ratione coarctandas : puta si ipse textus sacer in aliis locis conditiones quasdam apponat, aut si generalis ordo divinæ sapientiæ atque providentiæ rem postulare videatur. Jam vero, ad ipsam Scripturam quod attinet, plures revera restrictiones hic inde inveniuntur, quæ has quatuor conditiones præ se ferunt de quibus tunc disputant auctores.

Sed insuper, ex generali salutis œconomia seu ex ordinaria lege divinæ Providentiæ reflectenti apparet sæpe requiri, ad infallibilem orationis impetrationem, *cooperationem* illius cui petitio prodest; tum etiam, ut omnino videtur, *proportionem* aliquam inter orationem et petitum beneficium, omnibus inspectis (1).

Et quidem *quoad primum :* misso casu quo exaudita

---

(1) « Vis impetratoria orationis supernaturalis videtur esse finita, non solum intensive, quoad quantitatem bonorum quæ postulantur, sed etiam extensive, quoad multitudinem personarum pro quibus fit; scilicet oratio directa ad plura beneficia obtinenda non æque efficax est relate ad unumquodque eorum quam si ad illud solum acquirendum dirigeretur, et similiter oratio pro pluribus personis oblata non æque singulis prodest ac si pro singulis seorsim funderetur..... Non desunt tamen qui contrariam opinionem defendunt ». Bouquillon, *De virtute religionis*, I, n. 208.

dicitur et est oratio per concessionem alterius cujusdam beneficii petito æquivalentis sive majoris (1), sæpius sane non obtinet orans in ipsa re et ut ita dicam immediate, illud quod tamen debite postulavit : sed ex hac parte infallibiliter ipsi obtingit medium ad illud. Sic profecto jam exauditur oratio sanitatem deposcentis, dum ob suas preces invenit ægrotus medicum qui morbum certo sanabit. Pariter exauditur peccator conversionem suam debite rogans, si inde abundantes ad hoc gratias recipit, quibus cooperans infallibiliter justificationem recuperet; et simili modo justus qui victoriam de tentationibus aut perseverantiam finalem a Deo debite flagitat. In hujusmodi enim quamvis interdum divina Providentia propter solam jam orationem immediate petitum concedere possit, non est tamen *sola* oratio ad hoc infallibilis; verum, ut effectum infallibiliter impetret, « necesse est ut non sit homo negligens in cooperando; nam ex hoc capite sæpe talis oratio inefficax redditur, non ex parte Dei, sed ex parte hominis ponentis impedimenta » (2).

Cujus rei ratio patet : non enim orando subducimus nos œconomiæ generali divinæ Providentiæ, quæ hoc sane præ se fert ut oratio ceteros conatus cooperationis nostræ nullatenus superfluos reddat, nec ipsa sola reliquorum omnium obtineat vicem. Unde sic est concipienda debitæ petitionis infallibilitas, ut in certis causis immediate seu in ipsa re obtineat orans postulata, in aliis vero mediate tantum, concurrentibus scilicet necessariis mediis. Apposite Vermeersch ; « Infallibili ista efficacia non semper ipsum bonum immediate conceditur, sed sæpe via ostenditur illud assequendi : medium cogno-

---

(1) « Altiorem esse rationem qua Deus audit preces nostras, ex infallibili bene factæ orationis efficacia demonstratur. Facile enim, in re peculiari petenda, decipi possumus, dum ea postulamus quæ nobis minus congruunt. Ut tunc vis infallibilis maneat, oportet ut Deus nobis largiatur bonum verum pro falso seu apparente quod petebatur ». VERMEERSCH, *Quæstiones de virt. rel. et pietatis*, n. 32.

(2) SUAREZ, *De virtute et statu religionis*, tract. 4, l. 1, c. 26, n. 5.

scitur vel comparatur sive naturale sive supernaturale, prout casus fert, ad illud pertingendi ». Et rursus infra : « Cum enim oratio sæpe conferat, non quidem directe ipsum bonum, sed gratiam faciendi quod requiratur, v. g. exercendæ pænitentiæ, colendæ virtutis, reperiendi remedium, addi potest ut nova conditio, cooperatio gratiæ obtentæ » (1).

Ad secundum autem, ut cum Suarezio ab exemplo quodam rem ostendamus : « Dicendum est, orationem in particulari factam pro aliquo, de se et ex parte orantis efficaciorem esse et utiliorem ei pro quo fit, quam esset eidem oratio facta in generali pro aliqua communitate, cujus ille esset pars.... Quia, licet impetratio orationis præcipue fundetur in misericordia et promissione Dei, nihilominus etiam fundatur suo modo in ipsa oratione ; nam oratio est causa in suo genere effectus impetrati, et Deus respicit ipsam orationem ut illum concedat ; ergo verisimilius est observari etiam, ad impetrandum, valorem moralem ipsius orationis, et proportionem ad rem postulatam. Et hac ratione, ad impetrandum majorem effectum excellentior oratio utilior est ; ita ergo eadem oratio facta pro communitate non tantam habet proportionem ad impetrandum pro aliquo in particulari, ac si pro illo speciatim fierit. Atque hoc confirmat usus Ecclesiæ orantis pro particularibus personis, aut necessitatibus in speciali ; hic enim usus supponit talem orationem efficatiorem esse ad talem effectum, alioqui melius esset semper in generali orare » (2).

Non omnibus quidem illa sententia placet, requiri nimirum aliquam inter orationem et petitum proportionem saltem late dictam, omnibus inspectis ; nec profecto qua regula absoluta, nullis exceptionibus obnoxia, hæc opinio asseritur, Verum, qua regula generalis, nobis valde probabilis apparet, tum ob rationes allatas, tum

(1) *Ibidem*, n. 14 et 26.
(2) *Ibidem*, c. 27, n. 6.

etiam quia cum sapientis benefactoris mente necnon cum factis ipsis optime concordare videtur. Plura enim facile explicat quæ secus majorem crearent difficultatem ; cur v. g. eximia sanctitas, quæ tamen absolute et debito modo peti valet, non infallibiliter obtineatur, adhibita etiam optima cooperatione ; cur oratio omnino rite peracta pro animabus purgatorii eas infallibiliter non liberet (1) ; cur etiam ex hac parte perseverantia in orando requiratur, ut nempe majorem valorem oratio consequatur ; cur petitio viri sancti ampliorem habeat efficaciam etc.

Igitur, ut ad particularia quædam descendamus : ex parte petentis debita proportio, ad infallibiliter in proprium favorem obtinenda beneficia insignia sive multiplicia, generatim instantias speciales cum majore fide et fiducia requiret, vel et subsidia eleemosynæ sive pænitentiæ (2), aut certe majorem vitæ perfectionem (3). Imo quædam erunt ad quæ petitio qualiscumque infallibilitate carebit : ut liberatio omnium animarum purgatorii, aut eximia sanctitas propria quæ pertinet ad extraordinariam dispensationem. Contra, quæ ad officium cujusque status spectant, ut abundantes ad hoc gratiæ, ratione muneris jam cum petente proportionem habent, ideoque etiam absque conatu singulari infallibiliter impetrabuntur, modo tamen debite facta fuerit petitio, nec neglecta cooperatio. Quamquam hic etiam conatus instantior et vita perfectior abundantiorem adhuc copiam beneficiorum obtinebunt.

---

(1) « Cujus rei causa hæc esse potest, quod applicatio orationis aliis ac *præsenti* dispositioni istius animæ sit obnoxia conditionibus : ut puta misericordiæ qua, dum in terris degebat, utebatur ipsa ». VERMEERSCH, *o. c.*, n. 30.

(2) Cfr *Matt.*, XVII, 20 : « Hoc genus (dæmoniorum) non ejicitur nisi per orationem et jejunium ».

(3) Contra, demeritum peccati aliquid de proportione deruit. De ipsis sanctis qui sunt in patria et pro nobis orant, similiter sentit s. Thomas : « quanto sunt Deo conjunctiores, tanto eorum orationes sunt magis efficaces ;..... et eorum orationes habent efficaciam impetrandi ex præcedentibus eorum meritis, et ex divina acceptatione ». *Sum. theol.*, II-II, q. 83, a. II, in corpore et ad primum.

Ex parte vero illius pro quo petitio proximi funditur ; « iisdem considerationibus concordes fortasse facere possumus diversas quæ recitatæ sunt de oratione pro aliis fusa sententias. Quo magis enim sunt *alii*, quod ad nos, seu a nobis distant, eo difficilius habebitur apta ista proportio orationis cum gratia quæsita, ut hanc plenam a nostra oratione *sola* speremus..... Oratio nostra tunc offeretur sæpe potius tanquam spirituale aliquod subsidium, aliis subsidiis complendum; quemadmodum ad propriam familiam alendam per se sufficimus, tum alienæ familiæ sustentanda potius *partiale* auxilium præbere solemus » (1). Contra, quo magis nobis propinquus est proximus, nostræque curæ præsertim commissus, eo facilius aderit ex hac parte proportio requisita : ut si mater oret pro filio. Rursus autem in hujusmodi, vim valoremque addent petitioni sanctitas petentis ardorque in petendo; attenuabunt autem demerita seu peccata illius pro quo fit postulatio, etiamsi nunc bene dispositus sit.

Conclusio. Ex dictis apparet bina illa requisita secundum generalem salutis œconomiam, cooperationem nempe nostram debitamque proportionem, latiore quodam sensu novas conditiones vocari posse ceteris addendas; sed etiam sub nota conditione orationis *piæ* optime subintelligi : « etenim pia nequit esse oratio nisi simul sit humilis, ac proinde remota a temeraria præsumptione, et cognitis Providentiæ legibus prorsus subdita » (2).

IV.

Q. *Breviter ostende num, observatis quatuor conditionibus ut supra, infallibiliter oratio exaudiatur tum peccatoris, tum illius qui de successu petitionis suæ dubitat, cum ipsa s. Scriptura negative respondere videatur.*

R. *Ad* 1/. — Cum plures s. Scripturæ textus simpliciter asserere videantur nequaquam exaudiri preces peccato-

(1) Vermeersch, *o. c.*, n. 27.
(2) *Ibidem.*

rum (1), ponitur quæstio utrum istæ revera nullam vel deficientem (2) tantummodo præ se ferant vim impetratoriam, quamvis etiam quatuor notis conditionibus stipatæ existant.

Quocirca illud imprimis, fatentibus omnibus, statuendum est, peccatoribus non secus ac justis orationem inter præcipua salutis media esse adnumerandam ; unde etiam Christus Dominus omnibus indiscriminatim dimissionem propriorum peccatorum docuit esse exposcendam : ad minus igitur utilis esse potest oratio viatoribus quibuscumque. Ex alia parte, cum in dictis Scripturæ locis quævis efficacia petitioni peccatorum absolute denegetur, necessario ad quosdam peccatores vel ad aliquam eorum orationem erunt sacra verba restringenda : secus enim nimis probarent. Reliqui proinde casus ab efficacia sua minime excludentur ; quodsi non excludantur, eo ipso sub divinis promissionibus cadunt quibus infallibilitas exauditionis spondetur orationi debite peractæ : aliis verbis, status gratiæ ad hanc infallibilitatem non requiritur, prout docet s. Thomas (3). Quod nunc ulterius explicatur.

Sane nulla prorsus inest vis impetratoria petitioni quam de re mala fundit peccator, dum v. g. pravum opus

---

(1) Cfr *Ps.* LXV, 6 : « Si iniquitatem aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus » ; *Proverb.*, XXVIII, 9 : « Qui declinat aures suas, ne exaudiat legem, oratio ejus erit execrabilis » ; *Isaiam*, I, 15 : « Cum multiplicaveritis orationem non exaudiam ; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt » ; *Jo.*, IX, 31 : « Scimus quia peccatores Deus non audit ».

(2) Ita quidem censet BELLARMINUS, *Controv.*, 2, l. 3, c. 9 : utilem nempe, sed non infallibilem dici posse orationem peccatorum.

(3) *Sum. theol.*, II-II, q. 83, a. 16, c. : « Orationem vero peccatoris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus audit, non quasi ex justitia, quia peccator hoc non meretur, sed ex pura misericordia ». Apposite Suarez : « et hanc sententiam his terminis s. Thomæ declaratam censeo esse veram, quia promissiones Christi generales sunt, et non sunt limitandæ, ubi nec verba cogunt, nec materia, nec ratio divinæ justitiæ, et alioqui divina misericordia sine tali limitatione magis commendatur. Nam et orationis jus in impetrando non fundatur in dignitate personæ orantis, sed in misericordia divina, et verbo ejus ; ergo indignitas peccatoris non obstabit impetrationi etiam infallibili, si alia necessaria concurrant ». *De virtute et statu religionis*, tract. 4, l. 1, c. 25, n. 3.

poscit, ut successum pravæ intentionis suæ aut etiam vires sive opes ad peccandum, et cetera hujusmodi : quæ tamen Deus in vindictam quandoque succedere sinit.

Præterea, supposita bonitate postulati beneficii, non par est in hac re conditio cujusvis peccatoris. Nam si quis in mortali constitutus statum suum ignoret vel non recordetur, aut illum probe noscens putet se contritum dum solummodo est attritus, et ita petat, non est cur a divinis promissionibus excludatur, si tamen ejus oratio, prout optime fieri potest, debitas præ se ferat conditiones (1) ; omnes enim rationes quæ orationis infallibilem efficaciam demonstrant, huic casui revera sunt applicabiles.

Similiter ubi vir peccati conscius jamque per quamdam attritionem initialiter conversus, debite petat, cum voluntate cooperandi, ea quæ ad salutem suam pertinent, faciens nimirum quod in se est cum auxilio gratiæ, sicut egit publicanus in Evangelio : debet tamen iste, ut ordinata sit ejus oratio, ante omnia suam flagitare justificationem, qua se carere cognoscit. Attamen in utroque proposito casu addendum est demeritum peccati partem quamdam demere de proportione quam in præcedenti responso postulari diximus petitum inter et petitionem : quo fit ut instantior conatus vel et major perseverantia ad infallibilem impetrationem hic requiri videatur.

Contra, si peccator delicti recordans nullatenus doleat nec meliora sibi proponat, nequaquam oratio ejus infallibilis apparet, cum ipse voluntarium impedimentum apponat quin pie oret, amicitiam nempe cum Deo quasi contemnendo ; unde etiam textus scripturici, de quibus supra, ipsi omnino applicanda videntur. Quam-

---

(1) « Imo existimo, quoties homo repente excitatur ad orandum aliqua occasione (ita ut naturaliter non advertat nec cogitet de statu suo, sed impetu fidei ex fiducia recurrat ad Deum) statum peccati non impedire quominus oratio exaudiatur, quia tunc ille facit quod in se est, juxta divinum auxilium quo excitatur, et alias sanctitas personæ non est de intrinseca ratione impetrationis ». *Ibidem*, n. 5.

quam Deus ex pura misericordia oranti hujusmodi gratiam conversionis sane concedere potest; unde tales animum non despondeant, nec ab usu orationis avertantur (1).

Ad 2/. — Pia certe oratio fidei speique in Deum innitatur oportet; quo circa rursus quidam afferuntur textus sacri qui omnem intellectus et voluntatis hæsitationem ab efficaci petitione prorsus excludere videantur, sicut illud Jacobi, I, 7: « Postulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur; non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino ».

In contrariam vero partem arguitur non tantum ex factis, sed etiam ex ratione theologica: nequit enim fides aut fiducia de orationis exauditione certa esse certitudine absoluta et infallibilitatis, cum promissiones divinæ in hac re sint ipsæ conditionatæ, nec revelatum sit in casu particulari conditionem omnem esse impletam; unde si quis absoluto prorsus modo petitum exspectet, ex hac parte nec fides nec spes ejus per se theologicæ manent.

Verum, apte solvitur difficultas, si declaremus hanc ibi sufficere, tum ex s. Scriptura, tum ex ratione fidem divinam, quæ de ipsa promissione sit, non vero de eventu; adeoque et hanc satis esse fiduciam qua quis in petendo nihil hæsitet, quod attinet ad Dei fidelitatem. Imo illi etiam satisfaciunt qui promissiones de efficacia orationis ignorant aut non recogitant, modo Deum omnipotentem et misericordem credant indeque cum fiducia postulent.

Excluditur ergo a necessaria pietatis conditione hæc solummodo hæsitatio intellectus quæ cum fide divina sit

---

(1) « Regulariter enim etsi differant pænitentiam, et secundum præsentem justitiam voluntarie in peccato maneant, nihilominus habent animum tandem aliquando pænitendi, et interim orant, et interdum intercessiones sanctorum procurant, et nonnunquam peculiarem et pium affectum, vel devotionem habent; hi ergo animandi potius quam desperandi sunt; nam sæpe Deus orationes illorum benigne exaudit, et illos interdum miraculose convertit, ut ex historiis sanctorum constat ». *Ibidem*, n. 7.

incompossibilis, ut voluntarium de promissione Dei dubium; pariterque hæc tantum hæsitatio voluntatis quæ spei theologicæ repugnet. Unde non officit infallibili efficaciæ orationis dubium involuntarium forsitan remanens, nec magis voluntatis hæsitatio quæ ex parte conditionum se teneat : num petitum revera salutare sit, num pie satis postulatum etc. Imo si contingat timorem voluntatis ultra quam par est angere deprecantem, quia proprias miserias nimis considerat, motiva vero fidei et fiduciæ non sat præ oculis tenet, ideoque in petendo plus æquo hæsitet : concomitanter tantum hæc circumstantia se habet ad orationem, ipsamque in se non vitiat; unde petitio hujusmodi remanet pia.

Verumtamen, ex parte proportionis cum petito requisitæ facile potest hic defectus irrepere, adeo ut si magna sit res postulata, vel multiplex etc , major fides vel fiducia ad infallibiliter impetrandum sæpius necessaria sit; « ex qua, licet non perveniatur ad judicandum certo et infallibiliter, Deum effecturum quod petimus, sæpe tamen pervenitur ad judicium ita credibile ac determinatum, ut excludat omnem actualem hæsitationem et animum orantis pacatum reddat (1) ». Ceteroquin, missa etiam hac consideratione, profecto postulantes semper juvat perfectior exercitatio fidei atque fiducia, ad citius nempe pleniusque impetrandum, ultra etiam quam petiverunt.

E. Hosten.

---

(1) *Ibidem*, c. 24, n. 9. — Addit vero : « et ideo quando Deus vult per aliquem operari miraculum, solet ita movere animum petentis, ut nihil hæsitet, sed firmiter credat illum impetraturum, quæ solet dici fides miraculorum; et numeratur inter gratias gratis datas, provenitque ex quadam peculiari motione, et præveniente gratia, cui homo non potest resistere quantum ad illam particularem firmitatem intellectus, licet quoad actum desiderandi et petendi libere operetur. Frequentius vero, licet non tam specialis gratia concedatur, datur major vel minor præveniens gratia, ita movens ad petendum cum fiducia, ut magis etiam vel minus hæsitationem tollat, vel animum petentis securum reddat; quomodo dicit Cassianus, Collat., 9, c. 32 : « signum futuræ impetrationis esse, quando Spiritus sanctus movet ad petendum cum magna fiducia, et quasi securitate impetrandi ».

V.

De Kerk van Belgie onder het hollandsch bewind.

VII. Vervolging tegen Mgr de Broglie.

V. *Verhaal der vervolgingen welke Mgr de Broglie, bisschop van Gent, te lijden had van wege de nederlandsche regeering (1815-1821).*

A. Koning Willem was tot zijn doel gekomen in de zaak « de Méan », al was het ook niet zoo volledig als hij eerst gehoopt had (1); nu vatte hij het tweede punt van zijn programma aan: de tegenpartij, de partij der zoogenaamde wederspannige geestelijkheid, moest beroofd worden van haren aanleider, Mgr de Broglie, den moedigen bisschop van Gent.

Mgr de Broglie, niettegenstaande zijn rechtzinnig pogen om zich met den koning te verstaan, was sedert het « Jugement doctrinal » volledig in ongenade geraakt (2); de koning was tegenover hem waarlijk verbitterd, en daar de moedige bisschop van Gent in meer andere aangelegenheden weerom op de bres sprong, nam die verbittering natuurlijk niet af. Vooreerst werd hem zeer ten kwade geduid dat hij het retraitenhuis voor geestelijken, eerst te Rumbeke gesticht (1814) en dan later naar Destelbergen overgebracht, ondersteunde, ja zelfs de paters, wanneer ze door de regeering waren uiteengedreven, in zijn paleis opnam. De bisschop had daarbij vrijmoedig protest geteekend tegen de brutale afschaffing eener instelling, welke hij voor zijn bisdom zoo nuttig achtte (3). Eveneens had hij protest geteekend tegen de

---

(1) Zie hooger bl. 364 vlg.

(2) TERLINDEN, *o. c.*, p. 196;

(3) Onder het voorloopig bewind waren hier en daar enkele nog overgebleven kloosterlingen weer samengekomen, met het doel en de hoop de vroegere stichtingen en werken te hernemen. Dit kon echter niet zonder toelating der regeering; maar de regeering, met haar josephistische opvatting van het kloosterleven, wilde slechts de

uitdrijving der zusters Colletienen te Brugge en te dier gelegenheid den regeeringsgezinde deken Buydens nog al hard onder handen genomen (1); hij had ook, zonder het vereischte *placet* te vragen aan de regeering, verscheidene pauzelijke brieven openbaar gemaakt, onder andere de aflaatsbreve van 9 april 1816, ter gelegenheid van het eeuwfeest van den H. Eligius in de S. Salvatorskerk, te Brugge (2); maar wat nog het ergst was in de oogen van den koning, hij had geweigerd de door de regeering geeischte openbare gebeden te laten doen, zoolang Rome over dit netelig vraagstuk geen uitspraak had gegeven (3). De koning wilde dit alles niet ongestraft laten.

Reeds in sept. 1815, aanstonds na het verschijnen van het « Jugement doctrinal », was een onderzoeksrechter met substituut op onderzoek naar het bisschoppelijk paleis gekomen; doch Mgr de Broglie had hem als onbevoegd afgewezen en verklaard dat hij alleen aan den

---

zoogezegde « nuttige » huizen toelaten en dan nog was in die huizen het getal kloosterlingen streng bepaald en mochten slechts geloften gedaan worden voor vijf jaar. De Jesuieten, alhoewel ze in het begin dezen naam niet aangenomen hadden en door Mgr de Broglie als diocesane priesters behandeld werden, waren natuurlijk nog het minst geduld. Zie daarover DELPLACE, *o. c.*, p. 105 ss.; TERLINDEN, *o. c.*, p. 197 ss.

(1) *Ibid.*, p. 199. M. Buydens, gewezen professor van het seminarie te Brugge, werd na het Concordaat opvolgentlijk deken van Ghistel, pastoor van O. L. Vrouw te Brugge en vicaris-generaal van Mgr Fallot de Beaumont. Tijdens de moeilijkheden in het bisdom Gent onder Napoleon in 1811, had hij de partij van Mgr de Broglie verlaten en toegegeven aan de regeering. Nu toonde hij weerom neigingen om de regeering te volgen, en had nl. aan de Colletienen te Brugge den raad gegeven zonder opspraak te gehoorzamen aan het bevel van de regeering. Zie TERLINDEN, *o. c.*, p. 200.

(2) Door koninklijk besluit van 27 aug. 1816 werd aan de burgerlijke overheden bevel gegeven, overal de exemplaren der aflaatsbreve in beslag te nemen of af te scheuren. Dit geschiedde met veel geweld en ontstemde zeer de gansche bevolking. De regeering vond de aflaatvergunning ook op haar eigen af te keuren, omdat enkele groote zonden erin opgegeven werden als *S. Sedi reservata!!* Zie TERLINDEN, o. *c.*, p. 201 ss.

(3) *Ibid.*, p. 202-209. Zie ook hooger bl. 299.

paus voor geestelijke zaken te verantwoorden had (1). De regeering durfde voor alsdan niet verder het gewoon gerecht met de zaak gelasten ; zij gaf bevel aan het departement voor den katholieken eeredienst, intusschen opgericht, aan den bisschop van Gent uitleg te vragen over zijn zoogezegd oproerig gedrag. Vrijheer Goubeau verzocht daarop Mgr de Broglie te Brussel voor den raad van state te verschijnen ; doch deze laatste weigerde beslist en verklaarde nogmaals de bevoegdheid der aangestelde rechters niet te erkennen. Hij gaf echter dezen keer vrijmoedig uitleg van zijn gedrag in een uitvoerig memorandum (27 november 1816), waarin hij ten slotte verklaarde de overtuiging te hebben met Gods gratie zijn plicht van bisschop en van trouwen burger volbracht te hebben. De bestuurlijke maatregel had dus niet teweeggebracht wat de regeering verhoopt had : den bisschop van Gent door vreesaanjaging tot andere gevoelens te brengen (2).

De minister van justitie, van Maanen, gaf daarop aan den koning den raad toch maar de rechterlijke vervolging voort te zetten (3). Er werd echter gewacht tot in februari van het volgende jaar ; van dan af immer zal de regeering op het gerecht mogen rekenen, daar, door de verplichting tot den eed, de goedmeenende rechters ontslag hadden genomen en door regeeringsgezinde waren vervangen. Intusschen nochtans had van Maanen zelf een uitvoerig verslag opgesteld, waarin hij de verklaringen van Mgr de Broglie trachtte te weerleggen en op grond van de bestaande wetten en koninklijke besluiten de strafbaarheid van den bisschop van Gent vaststelde voor de vier volgende feiten : het uitgeven van het « Jugement doctrinal », de weigering van de absolutie aan de beëedigden,

---

(1) *Ibid.*, p. 107 ss.

(2) *Ibid.*, p. 210 ss.

(3) Zie gansch het verloop van het proces. *Ibid.*, p. 214 ss., alsook in *Notice historique sur Mgr de Broglie* door Mgr Bracq in *Recueil des Mandements* en in *Leven van Z. H. Mauritius de Broglie* door denzelfden.

het oprichten van eene ongeoorloofde congregatie te Destelbergen, en de ongeoorloofde briefwisseling met Rome ; de twee eerste feiten, ingezien ze rechtstreeks het bestaan van den staat in gevaar hadden gebracht, konden, volgens van Maanen, op grond van art. 87 van het strafwetboek met den dood gestraft worden. Dit verslag werd, samen met een lijvig dossier door Goubeau verzameld, aan den procureur generaal van het hoogste gerechtshof te Brussel overhandigd, met last de rechterlijke vervolging te beginnen. Het was echter eerst op 24 februari (1817) dat Mgr de Broglie door onderzoeksrechter Van der Belen tegen 4 maart naar Brussel werd opgeroepen ; de moedige bisschop liet echter weten dat hij niet verschijnen zou, « *n'ayant aucun sujet de douter*, zoo schreef hij, *que les faits, sur lesquels il doit être interrogé, ne soient précisement les mêmes que ceux que la commission du Conseil d'Etat a jugé à propos de lui imputer au mois de novembre dernier, il ne peut, comme évêque catholique, se soumettre aux formalités d'un interrogatoire de ce genre, car ce serait reconnaître le droit, qui est attribué à un juge laïque de lui faire rendre compte des motifs de sa conduite dans l'exercice de son ministère* ».

Op deze weigering volgde een aanhoudigingsmandaat; doch Mgr de Broglie, bijtijds door vrienden verwittigd, nam op 17 maart de wijk naar Amiens in Frankrijk. Hij vernam daar weldra dat hij niet te vroeg den belgischen bodem had verlaten, daar op 26 maart de rechterlijke macht in zijn paleis was binnengedrongen om hem in hechtenis te nemen.

De vrienden van Mgr de Broglie hoopten nu dat het vrijwillig afreizen van den prelaat het proces zou doen ophouden, doch deze hoop bleek weldra ongegrond ; het proces werd toch voortgezet en op 10 juni voor het assisenhof van Zuid-Brabant gebracht. De akt van beschuldiging waartegen Mgr de Broglie van uit Amiens nog eens krachtig maar te vergeefs protest teekende,

hield thans maar twee strafbare feiten meer over (1); doch dit was voor de vooringenomene en regeeringsgezinde rechters meer dan genoeg. Op 8 november werd de moedige bisschop van Gent tot deportatie veroordeeld; tien dagen later werd hij op de vrijdagmarkt te Gent, ten aanschouwe der verontwaardigde landlieden *in effigie* tusschen twee booswichten als booswicht geschandvlekt (2).

---

(1) In de akt van beschuldiging wordt Mgr de Broglie beticht: « 1° van in augusti 1815, bij middel van een schrift herderlijke onderwijzingen bevattende, en tot titel dragende *Onderwijzende Uitspraak*, gedrukt en uitgegeven omtrent het einde der zelfde maand, eenen akt der openbare macht beknibbeld en afgekeurd te hebben, en van, door dit schrift rechtstreeks tot de ongehoorzaamheid jegens gezeiden openbaren akt opgewekt te hebben.

« 2° Van sedert 1815, en namelijk in 1816, en zelfs later, om godsdienstige kwestien of stoffen, correspondentien onderhouden te hebben met een vreemd hof, zonder den directeur-generaal van den eeredienst daarvan verwittigd en hiertoe deszelfs autorisatie bekomen te hebben; welke correspondentie is gevolgd geweest van daden die met de uitdrukkelijke schikkingen eener wet strijden en bezonderlijk van de publicatie van twee bullen en van eenen brief van den Paus, die noch geplaceteerd noch geviseerd waren ». MGR BRACQ, *Leven...*, bl. 174; TERLINDEN, *o. c.*, p. 226. Zie daar ook de protesten welke de bisschop naar Brussel zond; een eerste maal werd het stuk uit de handen gerukt van den deurwaarder, die het kwam aanbieden, en verscheurd, doch Mgr de Broglie zond een tweede welke hij aan de dagbladen mededeelde.

(2) Volgens de wet moest een afschrift van het vonnis binnen de drie dagen uitgehangen worden, op een der openbare plaatsen van Gent, dus op 11 nov. Doch er werd gewacht tot 19 nov., die een marktdag was: onder den naam van Mgr de Broglie, in groote letter, hing het vonnis te lezen aan een schandpaal; rechts en links waren, ook aan schandpalen, twee tot dwangarbeid veroordeelden tentoongesteld. « Cette insulte publique au catholicisme », schrijft M. DE GERLACHE (*Hist. du Royaume des Pays-Bas*, t. I, p. 345), « cette profanation d'un caractère vénérable et sacré ne firent qu'exciter un sentiment général d'indignation et de dégoût pour ses auteurs. Quant à l'évêque de Gand, il dut se trouver trop honoré d'une flétrissure qui rappelait involontairement à chacun le supplice de son divin Maître. Nous n'avons pas besoin de dire à qui l'on comparait ses persécuteurs ». Zie TERLINDEN, *o. c.*, p. 233 en MGR BRACQ, t. a. pl. bl. 183 vlg.

Deze veroordeeling maakte diepen indruk op de bevolking : de katholieken waren ten hoogste verbitterd, maar ook de liberalen gaven openlijk hunne afkeuring te kennen (1) ; doch de regeering ging ongestoord verder den weg der vervolging op, en keerde zich thans tegen de vrienden van Mgr de Broglie, vooral tegen de vlaamsche geestelijkheid, met het doel allen invloed en alle gezag van den bisschop van Gent te niete te doen. Vrijheer Goubeau gelastte zich met deze taak : hij liet aan het kapittel van Gent weten, dat het moest het bestuur van het bisdom in handen nemen of er anderzins in voorzien, aangezien Mgr de Broglie als « burgerlijk dood » moest aanschouwd worden en dus als beroofd van alle rechtsmacht in de Nederlanden. Het kapittel weigerde daarop in te gaan en gaf te verstaan dat Mgr de Broglie door generaal-vikarissen zijn bisdom voort bestuurde, volgens de duidelijke voorschriften van het kerkelijk recht (2). Goubeau, na vergeefs getracht te hebben de kanunniken te overreden nam zijn toevlucht tot list en geweld : alle stukken die volgens bestaande gebruiken en wetten ter goedkeuring aan den bisschop moesten voorgelegd, deed hij zenden aan « het kapittel van Gent », en eischte dat de kanunniken zouden verrichten wat aan den bisschop of zijn vicarissen toekwam. Maar het kapittel bleef standvastig en overhandigde alles aan de heeren Le Surre en Goethals, de twee aangestelde

---

(1) Zie bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 231, de meening der katholieken uit de omgeving van Mgr de Méan en van het liberaal dagblad « Observateur belge ».

(2) Mgr de Broglie had eerst gedacht naar Rome te gaan om aan Zijn Heiligheid, zoo 't noodig bleek, zijn ontslag te geven; daartoe door krankheid verhinderd, deed hij aan den paus schriftelijk zijn geval uit een, met de redenen voor en tegen zijn ontslag. Op 24 mei 1817 liet de paus hem weten dat de belangen van de Kerk zijn aanblijven eischten. Zie dezen brief en andere stukken betreffende deze aangelegenheid in *Recueil...*, p. 357, alsook bij MGR BRACQ in bovengemeld *Notice* en *Leven*. Deze twee laatste werkjes zijn ons zeer nuttig geweest voor het laatste deel onzer verhandeling. Mgr Bracq, die schreef in 1843-44, heeft zelf de tijden beleefd waarover hij schrijft.

grootvikarissen. Daarop deed Goubeau het bisschoppelijk paleis door de gewapende macht bezetten, de papieren van het bisdom in beslag nemen en de secretarissen uitdrijven ; kan. Le Surre, die franschman was van oorsprong en innig bevriend met Mgr de Broglie, werd bovendien korts nadien verplicht het land te verlaten (16 mei 1818). Ook de seminaristen moesten het ontgelden : de leerlingen van het Seminarie waren, volgens koninklijk besluit, vrij van soldatendienst, wanneer zij een getuigschrift der kerkelijke overheid konden aanbieden ; de getuigschriften echter van het vicariaat van Gent werden geweigerd, alleen een certificaat uitgaande van het kapittel zou aangenomen worden ; doch de seminaristen namen de wapens op liever dan het gezag van hunnen verbannen bisschop te miskennen. Op 7 sept. liet Goubeau het kapittel weten dat de bezoldiging der kanunniken zou ingehouden worden, zoolang ze zich niet schikten naar den wensch der regeering, « Je suis, je pense, zoo schreef hij, en droit de refuser payement, à qui refuse service ». Hetzelfde wapen werd ook gebruikt tegenover de parochiegeestelijken : onder voorwendsel dat de pastoreele benoemingen van Mgr de Broglie de goedkeuring van den koning niet hadden gekregen, werden ze als nietig beschouwd, en ja zelfs werden de aangestelde pastoors met geweld uit hunne kerken geweerd (1) ; natuurlijk werd evenmin rekening gehouden met de benoemingen van succursalisten of onderpastoors door het vicariaat gedaan. Zoo hoopte de

(1) Zoo gebeurde met M. Corselis, pastoor-deken van S. Salvators te Brugge (13 jan. 1818). « Nonobstant, schreef het dagblad *Observateur Belge* (aangehaald bij TERLINDEN, *o. c.*, p. 238) l'injonction faite à M. Corselis de cesser ses fonctions pastorales dans l'église de Saint-Sauveur, cet ecclésiastique les a continuées sans interruption jusqu'à samedi dernier. Le lendemain, dimanche vers cinq heures du matin, se rendant à l'église selon sa coutume, il l'a trouvée, ainsi que le cimetière, investie de sergens de police, de fantassins, de marechaussées et de cuirassiers, qui lui ont interdit l'entrée de l'église. Il ne s'est aucunement opposé à cette interdiction. La force armée était sur pied des

regeering verdeeldheid te zaaien onder den clerus, het bisdom hoe langer hoe meer te ontredderen en aldus Mgr de Broglie tot ontslag te dwingen of den H. Stoel te verplichten een ander bestuur te Gent aan te stellen. Dit echter gelukte niet: Rome, hoe zeer ook bekommerd met den toestand, wilde Mgr de Broglie in 't ongelijk niet stellen; het bisdom bleef dan spijts alle belemmeringen en tegenkantingen, zoo goed mogelijk bestuurd door de twee vikarissen, Goethals en Martens, ijverig bijgestaan door kan. Boussens, secretaris; deze drie heeren bleven voortdurend in betrekking met Mgr de Broglie, en waar andere kanunniken neiging toonden om in zoogenaamde « niet strikt bisschoppelijke » zaken toe te geven aan de regeering, bleven zij voortdurend weigeren, op uitdrukkelijk bevel ten anderen van den bisschop zelf (2). Dit kwam Goubeau ter oore en verbitterde hem ten hoogste;

---

quatre heures du matin, et, après avoir patrouillé, elle a quitté son poste à huit heures et demie. M. Corselis est allé célébrer la grand'-messe dans l'église paroissiale de Saint-Jacques, où il a également chanté le salut ».

(1) Aan de succursalisten en onderpastoors wilde Goubeau echter het wettelijk jaargeld betalen, doch slechts als *gratificatie* en op voorwaarde dat de burgemeester iedermaal een voldoend getuigschrift gaf. BRACQ, t. a. pl. bl. 196.

(2) De regeering was er toch in gelukt een zekeren invloed op het kapittel te krijgen; zij had eerst (20 juni 1820) twee der kloekmoedigste kanunniken, de heeren Ryckewaert en Fr. de Volder afgesteld, onder voorwendsel dat ze door den koning nooit werden aangenomen. Onder de zes die nog overbleven hoopte de regeering er vier te kunnen overhalen; werkelijk scheen er bij hen een neiging tot toegeving te bestaan: dit bleek onder ander in het geval van M. Lamme; deze regeeringsgezinde geestelijke had de primaire pastorie van Oostende aangevraagd en het kapittel daarover door de regeering geraadpleegd had gemeend te moeten antwoorden. Mgr de Broglie, toen hij dit te weten kwam, schreef op 14 oct. 1820 (zie *Recueil*, p. 471) een strengen brief naar Gent, waarin hij M. Lamme ten zeerste afkeurde en aan het kapittel verbood nog capitulaire vergaderingen te houden. De vicarrissen lieten dezen brief kennen en schikten zich gaarne naar deze maatregelen; de vier andere kanunniken echter vonden, met allen eerbied, dat de bisschop zijn recht was te buitengegaan. Daarop volgde de aanhouding hierboven gemeld. Zie BRACQ, t. a. pl. bl. 200 vlg.

op 22 dec. 1820, deed hij de twee vikarissen en kan. Boussens aanhouden en te Brussel in 't gevang opsluiten. De rechtbank echter die over hun zoogezegden « opstand » moest beslissen, vond in de aangehaalde feiten geen grond genoeg om ze te veroordeelen ; door vonnis van 25 mei 1821, werden ze alle drie vrijgesproken, na echter eerst vijf maanden in den kerker overgebracht te hebben.

Daarmede was natuurlijk de trouwe geestelijkheid van Gent in haren tegenstand versterkt en aangemoedigd ; er bleef de nederlandsche regeering thans anders niets meer over dan de oplossing van den H. Stoel af te wachten. Doch Z. H. de Paus, bij wien Koning Willem het ontslag of zelf de revocatie van Mgr de Broglie geeischt had, liet de zaak eerst door de Congregatie onderzoeken ; na rijp overleg kwamen echter de kardinalen tot de beslissing dat een weigerend antwoord moest gegeven worden (9 juli 1821) (1).

Het antwoord van Rome was intusschen overbodig geworden : Mgr de Broglie, die altijd zwak van gezondheid geweest was, bezweek onder den last der vervolging; hij overleed te Parijs op 20 juli 1821 (2). De nederlandsche regeering beleefde veel vreugde aan dit onverwacht overlijden ; werkelijk echter was zij de overwonnene in den zeer ongelijken strijd : het optreden immers van den manhaftigen bisschop van Gent als vurige verdediger der kerkelijke rechten tegen de aanmatigingen van een steeds meer en meer overweldigend bestuur, was een krachtige steun geweest voor de katholieken; het bleef een voorbeeld voor den strijd die nog te voeren was.

R. Deschepper.

---

(1) Terlinden, *o. c.*, p. 243. De congregatie uitte de vrees dat enkele geestelijken in het bisdom Gent, zich konden laten misleiden door de regeering, en aldus een schisma mogelijk was ; maar desniettegenstaande moest voor het hooger welzijn van den godsdienst het gezag van Mgr de Broglie behouden blijven.

(2) Bracq, t. a. pl. bl. 208.

VI.

De dalmatica.

Q. *Undenam originem ducit et quomodo conficienda et ornanda est dalmatica* (1) ?

R. I. Origo jam elucet ex iis quæ diximus de origine albæ. Honestiores enim Romani, tam fœminæ quam viri, induebant sæpe plures tunicas Superior, inde a sæc. II, ex lino, aut lana, nonnunquam ex serico confecta, et pretiosis paraturis ornata, erat talaris vel fere talaris, et habebat manicas breviores quidem sed valde apertas : *dalmatica*, probabiliter quia ex Dalmatia oriunda, vocari solebat.

Novimus S. Cyprianum, ad martyrium ductum, (a. 258) exuisse dalmaticam, quam sane non solum in habitu profano sed et ad altare deferre solebat. Non inde concludendum dalmaticam tunc jam fuisse indumentum liturgicum : S. Augustinus ejusque clerus in Africa (2) et, per plura adhuc sæcula, diaconi in Hispania et Gallia ministrabant in alba (3).

Romæ autem facta est dalmatica, saltem a sæc. IV, *indumentum liturgicum proprium diaconis et episcopo*. Si fas sit credere Libro Pontificali (ca 530), S. Silvester (314-335) constituit « ut diaconi dalmaticis in ecclesia uterentur ». Certe scribit auctor Romanus *Quæstionum ex Veteri Testamento* (ca 370-375) : « hodie diaconi dalmaticis induuntur sicut episcopi ». Sed erat hoc indumentum reservatum ecclesiæ romanæ et quibus a Romano Ponti-

---

(1) Cfr J. Braun, S. J., *Die liturgische Gewandung*, Freiburg, 1907, pp. 247-305 (opus longe præstantissimum) ; Id., *Die liturgischen Paramente in Gegenwart und Vergangenheit*, Freiburg, 1924, pp. 89-99 (præcedentis summarium) ; P. Batiffol, *Etudes de liturgie et d'archéologie chrétienne*, Paris, 1919, pp. 38-42 ; Ch. Rohault de Fleury, *La messe, études archéologiques*, t. VII, pp. 71-109 ; pl. dxxxvii-dlx.

(2) Cfr P. Batiffol, *o. c.*, p. 32-33.

(3) J. Braun, *o. c.*, p. 252 s.

fice expresse vel tacite alibi erat concessum, ut v. g. Symmachus (498-514) expresse indulsit diaconis S. Cæsarii Arelatensis (1), et S. Gregorius Magnus (590-604) diaconis ecclesiæ de Gap, et Stephanus II (752-57) abbati S. Dionysii Parisiensis. Ex tacito autem consensu invaluit usus dalmaticæ pedetentim ubique. Jam sæc. V Mediolani et sæc. VI Ravennæ apparet in antiquis imaginibus musivis. S. IX jam adeo invaluerat usus ut « nonnulli presbyterorum sub casula dalmatica vestirentur » (2). Sed huic tentamini restitit S. Sedes, quæ tandem tamen (ante sæc. XI) dalmaticam concessit presbyteris cardinalibus, dein abbatibus et quibusdam aliis.

Inde a s. XI dalmatica est vestimentum liturgicum de jure proprium *diaconis* qui eam habent ut vestem superiorem, et *episcopis* ac *presbyteris cardinalibus* qui eam gerunt sub casula ; item et aliis quibusdam ex privilegio conceditur.

II. **Materia** dalmaticæ prius erat linum aut lana, rarius pannus ex serico mixtus aut imo ex holoserico contextus. Quum autem communior fieret materia serica, et oriretur abundantia in turribus Ecclesiæ, dalmaticæ jam frequentius ex serico conficiebantur : quæ praxis, jam sæc. XIII communior, facta erat omnino communis exeunte medio ævo, et ita transit in legem universalem, quæ hodie eadem est ac pro planeta.

Color antiquitus semper *albus* (3) erat. Quare episcopus imponens dalmaticam dicit : « Induat te Dominus indumento *salutis* et vestimento *lætitiæ* et dalmatica *justitiæ* circumdet te semper ». A sæc. autem XI cœpit interdum alius color adhiberi. Quando autem a sæc. XIII inducta

---

(1) *Vita S. Cæs. Arel.*, I, 4 : « Diaconos ipsius ad romanæ instar ecclesiæ dalmaticarum habitu fecit præminere ».

(2) Walafridus Strabo, *De rerum eccles. exordio et incremento*, 24.

(3) Propter hunc *colorem festivum* non poterant deferri dalmaticæ diebus et officiis pœnitentialibus. Assumebant tunc diaconi planetas coloris fusci aut pulli, quas, facilioris ministerii causa, statim ante pectus levabant et plicabant : unde vocatæ sunt *planetæ plicatæ*.

est regula determinans colorem casulæ, idem color etiam, ut intelligitur, statutus est pro dalmatica et aliis indumentis superioribus. Et exinde dalmaticæ applicari debent omnia quæ de casulæ materia et colore statuta sunt.

III. **Forma** antiqua erat valde digna, totum corpus ad pedes usque gratiosis circumdans sinibus. Et Romæ ita permansit usque ad sæc. XII. In regionibus autem cisalpinis paululum decurtari cœpit a sæc. IX. Et quum amplitudo pedetentim esset minuta, factæ sunt sæc. XII ab utroque latere ad oram inferiorem, minores quædam *excisiones*, quæ gressum faciliorem redderent. Eumdem in finem, a sæc. XIII, neglectis jam excisionibus, cœpit dalmatica ita confici ut esset *latior* versus pedes, et ab utroque latere aperta est *incisionibus*, quæ prius ad mediam altitudinem, deinde sæc. XV usque ad manicas ascendebant ; imo ab hoc tempore, sed sæpius s. XVI et a sæc. sequenti communiter, ipsæ manicæ aperiuntur et in alas mutantur. Quo facilius indui posset dalmatica quin nimis late pateret circa collum, incisiones etiam factæ sunt, a sæc. XV, in summitate scapularum, quæ interdum fimbriis tegebantur aut a s. XV constringebantur cordulis, quæ in dorso dependebant et in extremitate habebant floccum cui sæpe globulus plumbeus insertus erat. Lento quidem sed continuo progressu etiam decurtatur dalmatica, cujus longitudo s. XIII erat ca 1,25-1,20 m., sæc. vero XVIII, ca 1,00 m. Eodem gradu minuitur *latitudo*, quæ in parte inferiori, s. XVI erat 1,00 m., et jam s. XVIII, 0,75 m., ad manicas autem a 0,75 m. (s. XVI) minuitur ad 0,50 m. Tandem ad facilitatem motuum brachiorum in regione pectoris, ad imitationem casulæ, notabiliter exciditur. Vix in hoc « ornamento » aliquid servatum est, quo antiquæ dalmaticæ gravitas et dignitas agnosci posset.

IV. **Ornatus** primitivus, quique generatim per omnia sæcula fuit servatus, sunt *clavi*, seu fasciæ duæ quæ ab utroque humero ante et retro linea recta descendunt, quorum color primum purpureus aut fuscus, postea rubeus, tandem (a sæc. XIII) coordinatus est colori ipsius

dalmaticæ (1). Additæ sunt identidem etiam *fimbriæ*, signantur ad extremas manicas et ad excisiones et incisiones, imo etiam nonnullæ, sed distantes, ex utroque latere clavorum (2). Appositæ sunt etiam fasciæ seu *aurifrisia* seu paraturæ ad vel prope extremitates manicarum et ad oram inferiorem, interdum ad scapulas (3). In Italia a s. XIII-XIV aurifrisium inferius notabiliter dilatatum est et, rejectis aliquando clavis, mutatum in « *paruram* » quadratam, qualem in alba conspeximus (suprà p. 372). Exinde remanserunt fasciæ horizontales quibus hodie sæpe clavi inter se junguntur.

Clavi, maxime a s. XIII, fiunt latiores et ornantur : solent acu pingi, auro intexi vel confici ex panno serico aut veluto coloris et ornatus diversi a fundo ipsius indumenti. In fine medii ævi, non raro in nostris regionibus, rarius alibi, in eis acu pinguntur *figuræ Sanctorum* et omnimoda emblemata. Quæ adhuc remanent primis temporibus a Renascentia nuncupatis, sed mox cedunt pretioso et graviori ornatui pseudo-classico (fleurs, rinceaux, arabesques, etc.) qui antiquum *vesti*mentum, omni ex parte imminutum et rigidum, mutant in « *orna*mentum » pretiosum quod ornat sed vix vestire dici potest.

V. **In novis conficiendis** dalmaticis, hoc intendatur ut magis fiant « vestimenta » quam « ornamenta ». Minuatur igitur rigiditas ; augeatur longitudo, quæ Romæ semper fuit saltem 1,20 vel 1,15 m. Etiam amplitudinem quamdam concedat latitudo (infra ca 1,10 m.) quæ non multum coarctetur ab imo ad brachia. Convenientius sane servarentur manicæ clausæ : sed quum hæc dispositio induendæ dalmaticæ incommodo sit, commoditati simul

---

(1) Medio ævo interdum addita est tertia fascia verticalis inter duos clavos, sed est exceptio.

(2) Hae ultimæ sat frequentes sunt s. VIII-XIII, easque symbolice pro more interpretatur Amalarius, *De eccl. offic.*, IV, 21. Clavus est stipes charitatis et fimbriæ (15 ex utraque parte) designant ramos charitatis quos describit Paulus : *Charitas patiens est benigna est* etc.

(3) Sæc. XI-XIII non raro ornabantur gemmis.

et dignitati consuli potest, si dalmatica ex utroque latere sit aperta tota usque ad manicas inclusive, excepta manicarum extremitate quæ clausa maneat. Nunquam omittantur duo — non tres — clavi, quorum latitudo non excedat 0,08-0,10 m., ad summum 0,12 m. Pro more addi potest, ante et retro, duplex fascia transversa utrumque clavum conjungens, quæ in altitudine non ultra 0,15 vel 0,18 m. pateat. Magis curandum est ut pannus sericus sit solidus et pulcher quam ut ornatus sit pretiosus.

C. Callewaert

Acta SS. Congregationum.

E Supr. S. Congr. S. Officii.

I.

Decreto s. Officii, 3 julii 1925, damnantur, prohibentur atque in indicem librorum prohibitorum inserenda mandantur :

« Volumen : *Die biblische u. die babylonische Gottesidee. Die israelitische Gottesauffassung im Lichte der altorientalischen Religionsgeschichte*, von D. Dr. Johannes Hehn, o. Prof. an der Universität Würzburg ;

atque libellum ejusdem auctoris :

Wege zum Monotheismus. Festrede zur Feier des dreihunderteinunddreissigjährigen Bestehens der Universität zu Würzburg » (1).

II.

Decreto s. Officii, 30 julii 1925, damnantur, prohibentur atque in indicem librorum prohibitorum inserenda mandantur :

« Cum omnibus eorum editionibus, opera et scripta, quæ infra recensentur, edita a Sac. Doct. Joseph Wittig, professore ordinario Historiæ Ecclesiasticæ, Patrologiæ et Archeologiæ christianæ in Universitate Wratislaviensi.

1. *Die Erlösten*, in : *Hochland*, a. 19, vol. 2 (1922), fasc. 7, pag. 1-26.

2. *Meine « Erlösten » in Busse, Kampf und Wehr.* Habelschwerdt, Frankes Buchhandlung.

3. *Herrgottwissen von Wegrain und Strasse. Geschichten von Webern, Zimmerleuten und Dorfjungen.* Freiburg i. B., Herder.

4. *Das Allgemeine Priestertum;* et 5. *Die Kirche als Auswirkung und Selbstverwirklichung der christlichen Seele*, in : *Kirche und Wirklichkeit, ein katholisches Zeitbuch, herausgegeben von* Ernst Michel. Jena, Eugen Diederichs, 1923, pag. 21-43 et 189 210.

6. *Leben Jesu in Palästina, Schlesien und anderswo.* 2 voll. Kempten, J. Kösel et F. Pustet » (2).

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVII, p. 378.

(2) *Ibidem*, p. 379.

E S. Congr. de Disciplina Sacramentorum.

ROMANA ET ALIARUM (1)

CIRCA FACULTATEM MISSAM LITANDI MEDIA NOCTE OCCASIONE EXTRAORDINARIÆ SOLEMNITATIS.

In plenario Conventu Emorum Patrum, habito die 15 aprilis 1925, propositum fuit dubium : « An et quomodo expediat facultatem concedere Missam litandi « media nocte in Conventibus Eucharisticis — in triduanis « supplicationibus ad honorem Ssmi Sacramenti, vulgo « *triduí Eucaristici* — occasione sacrarum missionum, et, « in genere, in aliqua alia extraordinaria solemnitate » ; et Emi Patres, re mature perpensa, respondere censuerunt :

« Quoad Conventus Eucharisticos, iam provisum per « Litteras Apostolicas SS. D. N. Pii PP. XI diei 7 mar- « tii 1924 (*Act. Ap. Sedis*, an. XVI, vol. XVI, n. 4. pag. 154).

« Relate ad alias huius generis petitiones, gratia con- « cedi poterit a Sacra Congregatione de disciplina Sacra- « mentorum sub sequentibus conditionibus :

1) tantummodo in casibus extraordinariis ;

2) initium Missæ celebrandæ ne fiat ante dimidiam horam post mediam noctem ;

3) Sacræ supplicationes (vulgo *sacre veglie*) perdurent spatio circiter trium horarum ;

4) remoto semper quocumque irreverentiæ periculo ».

His omnibus relatis Beatissimo Patre Pio Papæ XI in audientia concessa infrascripto huius Sacræ Congregationis Secretario die 22 aprilis 1924, Ssmus eamdem resolutionem approbare et confirmare dignatus est.

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius*.

ADNOTANDA. — Ad illustrandam prædictam Declarationem utiliter subjunxit S. Congregatio *votum consultoris* doctissimum, e quo nonnulla excerpere juvat.

Missæ sacrificium, « universi quotidiani cultus centrum », primis Ecclesiæ temporibus arctius cohærebat cum ceteris officiis liturgicis, notatim cum vigiliis, horis canonicis et jejuniis (2). In vigiliis enim antiquis nox tota

---

(1) *Acta Apostol. Sedis*, XVIII (1925), p. 100.

(2) Hæc evolvimus fusius ap. *Ephemerides Liturg.*, XXXVI (1922), 250 ss. et *De Breviarii Romani Liturgia* (sub prelo), n. 221.

vel ejus pars insumebatur oratione, psalmorum cantu lectione et homilia, iisque expletis, sacrificium offerebatur in quo fideles ad s. Synaxim accedebant. Et hæc praxis per multa sæcula perduravit in vigiliis Paschatis et Pentecostes et in sabbatis Quatuor Temporum. Diebus autem jejunii stricti quod ad vesperam protrahebatur et diebus stationum, quibus usque ad horam nonam (nostram horam 15^{m}) jejunabatur, actis aliis quisbusdam officiis, Missa celebrabatur (1) respective ad vesperam vel ad horam nonam pomeridianam, quia Missa « jejunii semper finem indicebat », « mente siquidem veteres concipere nequibant Cœnam Domini celebrari posse adhuc jejunii lege perstante » (2). Unde permansit regula ut diebus jejunii Missa conventualis celebraretur post Nonam officii. « Ejusmodi Missis antelucanis celebris addicenda est eucharistica illa synaxis Natalis D. N. Jesu media nocte, quæ psalmodiæ finem indicebat, ac jejunio ipsius Natalis festum præeunti ». Et hæc quoque praxis hodiedum persistit.

Decursu autem temporis inducta est regula quam recens firmat codicis canon 821 :

§ 1. Missæ celebrandæ initium ne fiat citius quam una hora ante auroram vel serius quam una hora post meridiem.

§ 2. In nocte Nativitatis Domini inchoari media nocte potest sola Missa conventualis vel parœcialis, non autem alia sine indulto apostolico (3).

§ 3. In omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate ss. Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis Domini, unus sacerdos tres rituales Missas, vel, servatis servandis, unam tantum quæ adstantibus omnibus ad præcepti

---

(1) Et hoc feriis IV et VI factum esse etiam Romæ, contra opinionem Ill. Duchesne et aliorum, conati sumus stabilire ap. *Tijdschr. voor Liturgie*, V (1924), 271 ss.

(2) Ex quo apparet liquido quare missa non celebraretur feria VI in Parasceve, nec etiam proprie Sabbato Sancto, sed tantum valde diluculo dominica Paschatis. Primitivum enim jejunium paschale erat jejunium strictissimum duarum dierum, quod inchoatum feria VI absque interruptione protrahebatur usque ad horam resurrectionis Christi primo mane dominicæ paschalis, ut jam pluries notavimus.

(3) Huic Missæ non licet, absque indulto apostolico, addere alias Missas, ut patet ex jure antiquo pluribus decretis firmato (nn. 1584; 1761; 2086; 2520) et verbis canonis 821 non revocato. Sed ex can. 846 jam licet dare s. communionem, quod ante codicem non permittebatur.

quoque satisfactionem valeat, celebrare potest et sacram communionem petentibus ministrare (1).

Sed hæc regula cum sua exceptione respicit cursum rerum consuetum. Ubi autem sunt circumstantiæ extraordinariæ, non est contra æquitatem ut speciale indultum concedatur, spectatis præsertim tum antiquitatis praxi, tum hodierno incremento cultus eucharistici, tum denique imminutione periculorum quæ olim ex luminis defectu oriri poterant.

Ideo pro Congressibus seu Conventibus eucharisticis generali modo concessit Pius XI per litteras apostolicas diei 7 martii 1924 sequens privilegium :

« Si alicuius Eucharistici Conventus tempore, augustum Sacramentum, uti mos est, publice adorandum per totam noctem exponatur, largimur ut una Missa a media nocte litari possit, in qua fas sit omnibus adstantibus ad sacram Synaxim accedere ; sacerdotes, qui nocturnæ hujusmodi adorationi interfuerint, prima, quam memoravimus, Missa expleta, vel prima post mediam noctem hora transacta, Sacrum peragere queant ; clerici vero omnes in sacris Ordinibus constituti, religiosique viri, qui ad Horas canonicas recitandas teneantur, adorationi nocturnæ præsentes, eadem perdurante, loco officii proprii officium de Sanctissimo Sacramento recitare valeant. »

Vi præsentis decreti similis gratia in aliis extraordinariis solemnitatibus a S. Cong. de disciplina sacramentorum concedi poterit sub conditionibus in decreto descriptis.

De quibus conditionibus 2ª et 3ª advertendum :

a/ Missæ nocturnæ in Nativitate Domini servatur traditionale privilegium, quo incipi potest hora noctis mediæ.

b/ Ceteræ quæ deinceps concedentur, inchoari non poterunt ante dimidiam horam post mediam noctem, et in sacris supplicationibus quæ horis tribus saltem horis circiter protrahentur. Ita a/ longius removetur sacra communio a cœna domestica, b/ aliquatenus saltem servatur jejunium naturale, et c/ magis est conformis hæc praxis cum antiquitatis usu qui semper in præparationem Missæ alia agebat officia.

c/ « Mediæ noctis computatio, juxta temporis rationem, quæ a fidelibus fieri consuevit, scilicet de tempore quod *medium* appellant, servetur ».

C. Callewaert

(1) Hæc facultas generali modo concessa fuit decreto S. C. S. Officii, 1 aug. 1907 (*Collat. Brugen.*, XII, p. 727), sed declaratum fuit 26 nov. 1908 hanc Missam celebrandam esse « januis clausis » (*Collat. Brugen.*, XIV, p. 101).

E S. Congr. Rituum

DECRETUM

NOVAM RITUALIS ROMANI EDITIONEM APPROBANS (1).

Hanc Ritualis Romani Vaticanam editionem, diligenter revisam, emendatam et auctam ad normam Codicis iuris canonici, Rubricarum Missalis Romani atque Decretorum Apostolicæ Sedis, Sanctissimus Dominus noster Pius Papa XI, referente infrascripto Cardinali Sacræ Rituum Congregationi Præfecto, ratam habuit et approbavit, atque uti *typicam* habendam esse decrevit, cui futuræ editiones eiusdem Ritualis Romani conformandæ erunt. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10 iunii 1925.

† A. Card. Vico, Episc. Portuen. et S. Rufinæ,
S. R. C. Præfectus.

L. † S.

Alexander Verde, *Secretarius.*

Adnotanda. — I. — Hoc idem decretum exstat etiam in limine novi Ritualis. Olim quando edebatur nova editio typica Missalis, Ritualis vel alius libri liturgici, decretum approbationis promulgabatur tantummodo ad caput novæ editionis. Sed post condita « *Acta Apostolicæ Sedis* » et post publicatum codicem juris canonici, hujusmodi decretum approbationis præponitur quidem adhuc in limine novæ editionis, sed, ad normam canonis 9, « promulgatur per editionem in *Actorum Apostolicæ Sedis commentario officiali* » (2). Ex quo firmatur sententia quam

(1) *Acta Apost. Sedis*, XVII (1925), p. 326.

(2) Ita apud *Acta Apostolicæ Sedis* promulgata sunt decreta approbationis Martyrologii (23 aprilis 1913), Missalis (25 jul. 1920), Memorialis Rituum (14 jan. 1920), Ritualis (11 jun. 1913; 10 jun. 1925), Officii defunctorum cum cantu gregoriano (12 maii 1909) etc. Ceterum pari modo in eodem Commentario officiali promulgantur decreta quibus præscribuntur mutationes faciendæ in libris liturgicis.

contra quosdam sustinuimus (1), normas nempe generales codicis applicandas esse etiam in re liturgica. Verum quidem est quod « codex, plerumque, nihil decernit de ritibus et cæremoniis quas libri liturgici servandas præcipiunt » (can. 2); sed hic canon agit de rubricis et *specialibus* legibus liturgiam spectantibus, non vero de « normis generalibus », v. g. de promulgatione et vacatione legum aut de consuetudine, ut patet notatim quoad consuetudinem ex collatione can. 6, 6° et can. 27, § 1.

II. – Nova hæc editio, quæ ut *typica* est habenda, a præcedenti maxime differt ex hoc quod :

1° servata substantialiter antiqua rerum dispositione, meliori ordine res disponuntur ;

2° plura sunt addita, reformata aut suppressa ad normam novi codicis et decretorum præsertim recentiorum ;

3° in nonnulis locis rubrica magis determinate exprimi modum agendi, ut dubia solvantur.

1/ Olim erant tituli decem cum duplici appendice. Nunc autem sunt tituli duodecim : loco enim tituli X^i qui agebat de rebus valde diversis, de exorcizandis nempe obsessis et de libris parochialibus, ponuntur nunc tres tituli : in X° agitur tantum de exorcismis, addita tamen formula quæ antea in appendice I exstabat ; in tit. XI ponuntur 4 Litaniæ olim in eadem appendice relegatæ (2); titulus tandem XII tractat de libris habendis apud parochos. Dum olim erant duæ appendices, in quarum priori solebant permixtim addi omnes « benedictiones novissimæ », unica nunc habetur appendix, in qua materia ordinate distribuitur, adeo ut facili negotio quisque formulam quamvis invenere possit. Quæ autem referebantur in priore appendice de s. Communione promiscuo ritu suscipienda, de specie olei pro nutrienda lampade et de communione danda infirmis non jejunis, nunc summatim resumuntur in corpore, tit. IV, respective cap. I, 14-15 ; I, 6 et IV, 4.

2/ Noviter in Ritualis appendice exhibentur : instructio pro sacerdote cæcutiente, formulæ breviores consecrationis altaris exsecrati, et benedictio nuptialis aut preces

---

(1) *De S. Liturgia universim*, edit. altera, n. 139, 3.

(2) Notatu dignum est : 1° conclusionem orationis post litanias de s. Corde Jesu nunc esse *brevem*; 2° versus et orationes — quæ variantur pro diversitate temporis — post litanias Lauretanas, jam non esse de præcepto : dicit enim nova rubrica post tertium *Agnus Dei* : « hæc addi *possunt* ».

super conjuges, extra missam faciendæ ex indulto apostolico.

In corpore autem Ritualis multa nova inseruntur, notatim in capite primo plurium titulorum ubi indicantur præcipua capita de singulis sacramentis, puta de baptismo solemni et privato, de patrinis, de communione paschali, de diebus quibus s. communionem dare liceat, de publicandis bannis, de benedictione nuptiali et tempore clauso, de scribendis et notificandis actis baptismi aut matrimonii etc., etc. Sed etiam in rubricis ordinis administrandi illa identidem applicantur, v. g. de diacono baptizante, II, II, 27 ; IV, 51, aut s. communionem dispensante IV, IV, 12 ; II, 10 ; IV, 28 (1) ; de s. communione ad infirmos delata, IV, IV, 29 ; de benedictione apostolica pluribus simul infirmis danda, V, VI, 8,

Etiam in textu orationum factæ sunt mutationes satis multæ et correctiones nonnullæ.

3/ Pluribus in locis rubrica nunc expressis verbis injungit quod antea decretis aut Memoriali Rituum aut doctorum sententia tradebatur. Si v. g. ordinem baptismi consideremus, exempla statim inveniemus :

Ubi dicebatur : « imponit manus super caput... et postea dicit », nunc additur « ... et postea *manum extensam tenens* dicit » (Tit. II, c. II, 5 ; 9 ; IV, 17 ; 19 ; 21 ; 23 ; 27 ; 29) (2). — De introductione infantis in ecclesiam, c. II, 10. Sacerdos imponit extremam partem stolæ *pendentem a suo humero sinistro*... (3) dicens (*in plurali pro pluribus*). — C. II, 12 : « antequam accedat ad baptisterium *versis renibus ostio cancellorum baptisterii* dicit » ; similiter c. IV, 33. — c. II, 15 expresse docetur unctionem tam pectoris quam scapularum esse faciendam sub unica formula : « dicens *semel* ». — De ingressu baptisterii, c. II, 17 : « *Stans ibidem extra cancellos* deponit stolam violaceam et sumit stolam albi coloris. *Tunc ingreditur baptisterium in quod intrat*

---

(1) Ex quo dirimitur in sensu affirmativo controversia : utrum possit diaconus dare benedictionem post s. communionem. Descripto enim toto ordine ministrandi s. communionem in ecclesia (IV, II, 10) et infirmis (IV, IV, 28) sine ulla restrictione additur : « Ritus superius descriptus servandus est etiam a Diacono... ». Ergo cum benedictione. Quæ conclusio eo magis patet quod sub n. 10 præcise determinat eadem rubrica quomodo Episcopus *benedicere* debeat.

(2) Qua de re cfr *Collat. Brugen.*, X (1905) p. 670.

(3) Ita locus honoratior a dextris reservatur sacerdoti.

etiam patrinus cum infante. Sacerdos *ad fontem* interrogat... » ; cfr c. IV, 17.

Et similiter in aliis ; notatim in tit. VI de exsequiarum ritibus satis multa sunt clarius expressa aut imo reformata. C. CALLEWAERT

E S. Pœnitentiaria apostolica.

Sectio de indulgentiis.

I.

DE ABSOLUTIONE GENERALI ET INDULGENTIIS.

Beatissime Pater, Joannes Hettenkofer, Procurator generalis Piæ Societatis Missionum (Pallottini), ad pedes S. V. provolutus, ea quæ sequuntur exponit.

1. Fidelibus scapulari Ss. Trinitatis indutis et in confraternitatem homonymam adlectis conceditur absolutio generalis seu benedictio cum indulgentia plenaria decies in anno. Dubitant autem multi, quis eam impertire valeat et quo tempore. Qua in re, ut omne dubium tollatur, humillime petitur, ut indulta, circa similem benedictionem pro tertiariis sæcularibus S. Francisci concessa, ad hanc benedictionem, quatenus opus sit, extendantur ; ut scilicet, absente privilegiato, a quovis sacerdote ad confessiones audiendas approbato publice impertiri valeat secundum declarationem S. Officii d. d. 15 decembris 1910 (*Acta Ap. Sedis* vol. 3 p. 22), et privatim pridie festi post expletam sacramentalem confessionem, iuxta Rescriptum S. Cong. Indulgentiarum d. d. 21 julii 1888, ac denique tam publice quam privatim vel die festo vel intra septem dies subsequentes iuxta Breve Benedicti XV fel. rec. d. d. 14 aprilis 1917 (*Acta Ap. Sedis* vol. 9, p. 262).

2. Vigore concessionis Pii PP. X d. d. 10 augusti 1904, indulgentiam plenariam toties lucrantur fideles, quoties in festo Ss. Trinitatis visitant ecclesiam vel oratorium publicum Ordinis Ss. Trinitatis vel confraternitatis. Ex responso autem S. Congr. Indulgentiarum d. d. 27 aprilis 1887 ad 8 (*Acta S. Sedis* vol. 19 p. 557 ss). sodales confraternitatis Ss. Trinitatis acquirere possunt in locis, ubi nulla adest ecclesia neque Ordinis neque confraternitatis

Ss. Trinitatis, « omnes indulgentias annexas dictarum ecclesiarum visitationi, visitando ecclesiam parœcialem »; citatur vero Breve Pii PP. IX d. d. 30 ianuarii 1872, ex quo et religiosi aliive in clausura viventes propriam ecclesiam visitare valent. Quæritur, num citatum responsum seu Breve extendatur etiam ad præfatam indulgentiam toties quoties nuncupatam? Et quatenus negative, ut S. V. illud extendere dignetur, supplicatur.

3. Juxta Summarium Confraternitatis Ss. Rosarii, omnes personæ viventes in institutis, ex quibus ad libitum egredi non possunt, . . . omnes indulgentias, pro quibus præscriberetur visitatio cappellæ seu ecclesiæ confraternitatis, — dummodo huic rite ascripti sint, — lucrari possunt visitando propriam ipsorum ecclesiam seu cappellam sive oratorium (*S. C. Indulg.* 11 augusti 1871; 8 februarii 1874). »

Respiciuntne verba tam generalia etiam indulgentiam toties quoties lucrandam die festo Ss. Rosarii a visitantibus effigiem B. Mariæ V. in ecclesia expositam, ubi confraternitas est canonice erecta?

4. In elencho Indulgentiarum Apostolicarum edito die 5 septembris 1914 (*Acta Ap. Sedis* vol. 6, p. 503) legebatur *Monitum* 3 sic: Excluduntur ab apostolicæ benedictionis concessione imagines typis exaratæ, depictæ, itemque cruces, crucifixi, parvæ statuæ et numismata ex stanno, plumbo aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta ». Rosaria igitur seu coronæ hoc vetito minime comprehendebantur, quod ceterum *S. Congr. Indulgentiarum* d. 29 februarii 1820 ad 1 et 2 ac d. 22 martii 1839 ad 2 (*Decreta auth. S. Congr. Indulgentiarum* n. 249 et 271) expresse declaravit. Verum in elencho novissime edito die 17 februarii 1922 (*Acta Ap. Sedis* vol. 14 p. 143) monitum primum, referens vetus monitum tertium, obscurum evasit, cum in genere excludantúr obiecta pia ex materia vetita, ita ut videantur excludi rosaria quoque et coronæ ex stanno similive materia confecta. Estne recta interpretatio, quæ tenet huiusmodi rosaria et coronas nihilominus, ut prius, admitti ad apostolicam benedictionem atque ad aliarum indulgentiarum concessionem?

Et Deus etc.

Die 20 novembris 1923.

Sacra Pænitentiaria Ap. ad proposita dubia sic respondit:

Ad. 1. Satis provisum per Rescriptum datum hoc ipso die ad preces R. mi P. Procuratoris generalis Ordinis Ss. Trinitatis (1).

Ad. 2. Concessio facta Rescripto 10 augusti 1904 valet tantum pro ecclesiis et oratoriis publicis, de quibus mentio expressa fit in ea, neque expedit ut extendatur ad alia, prout postulatur.

Ad. 3. Negative

Ad. 4. Negative, id est : Stetur terminis documenti de indulgentiis apostolicis d. d. 17 februarii 1922. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Annotationes. — Responsa hæc s. Pœnitentiariæ recitamus juxta *Periodica de re canonica et morali* P. Vermeersch (2), ubi transsumpta dicuntur ex authentico documento. Pauca sufficiat ad singula advertere.

Ad I. — Comparando ea quæ in primo dubio referuntur circa facultatem impertiendi absolutionem generalem tertiariis s Francisci Assisiensis cum iis quæ in Brevi 11 februarii 1924 statuuntur de facultate eamdem absolutionem impertiendi fidelibus scapulari ss. Trinitatis indutis ac confraternitati ss. Trinitatis adscriptis, statim apparebit prima largiori modo concessa quam altera. Tertiariis scilicet s. Francisci absolutio generalis, absente sacerdote debita facultate prædito, impertiri potest

a/ *publice*, seu congregationi coadunatæ, a quovis sacerdote ad audiendas confessiones approbato, tum in

---

(1) Breve in responso ad 1 memoratum, datum est demum die 11 februarii 1924, et in parte dispositiva sic sonat :

« In locis ubique terrarum positis, ubi desunt sacerdotes ad prædictam absolutionem rite impertiendam delegati a Superioribus Ordinis Ss. Trinitatis, quicumque sacerdos ad sacramentales confessiones audiendas approbatus, eandem impertire valeat absolutionem privatim, etiam pridie festis, post expletam sacramentalem admissorum confessionem, juxta rescriptum Congr. Indulgentiarum die 21 mensis julii anni 1888 datum ; ac denique, privatim semper, vel die festo, vel intra septem dies continuos immediate subsequentes, juxta apostolicas litteras a Decessore nostro rec. me. Benedicto PP. XV sub anulo Piscatoris die 14 mensis aprilis 1917 obsignatas.

Contrariis non obstantibus regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque quibuscumque ».

(2) *Periodica*, 1924-1925, t. XIII, p. 75 ss. Hæc responsa non comparuerunt apud *Acta Apost. Sedis*.

ipso festo cui absolutio generalis est adnexa, tum intra septem dies festum immediate subsequentes (1);

b/ *privatim* vero, seu singulis tertiariis in confessionali (2), a quovis confessario, iisdem diebus ac supra, et insuper pridie festi cui absolutio generalis est adnexa.

Adscriptis vero confraternitati scapularis ss. Trinitatis absolutio generalis *publice* dari potest tantum a sacerdote qui sit munitus facultate benedicendi et imponendi hoc scapulare : quæ facultas facillime conceditur. *Privatim* vero, ubi desunt sacerdotes hac facultate instructi, impertiri potest, sicut diximus de absolutione generali tertiariis concedenda.

Ad II et III. — Generali modo statutum erat sodales confraternitatis ss. Trinitatis, in locis ubi nulla adest ecclesia neque ordinis neque confraternitatis ss. Trinitatis, acquirere posse omnes indulgentias adnexas visitationi ecclesiæ ordinis vel confraternitatis, visitando ecclesiam parœcialem, vel et visitando propriam ecclesiam, si agatur de religiosis, aliisve in clausura viventibus. Similiter decretum erat pro adscriptis confraternitati ss. Rosarii. Unde merito concludendum videbatur idem privilegium vigere ad lucrandam indulgentiam plenariam toties quoties respective in festo ss. Trinitatis, et in solemnitate ss. Rosarii concessam. Præsenti autem responso contrarium statuitur adeoque reformanda erit opinio a multis hucusque admissa (3).

---

(1) Idem dicendum est de benedictione papali, juxta eamdem declarationem s. Officii, 15 dec. 1910; cfr *Collat. Brugen.*, XVI, p. 235.

(2) « *Privatim, nempe post expletam sacramentalem confessionem* intelligi debet ut absolutio generalis non nisi in loco in quo auditur confessio sacramentalis dari debeat » (*S. Congr. Indulg.*, 30 jan. 1896, ad I). Cfr Mocchegiani, *Collectio indulgentiarum*, p. 765.

(3) Adverte gratiam quam Leo XIII in perpetuum benigne concessit tertiariis sæcularibus s. Francisci, decreto s. Cong. Indulgentiarum 21 jan. 1893, ad XII, nimirum : « ut lucrari valeant indulgentias tam omnibus fidelibus ecclesias franciscales visitantibus concessas, quam illas quæ tertii ordinis sæcularis sunt propriæ, ea conditione, ut ecclesiam parochialem visitent in omnibus illis locis, ubi neque ecclesiæ franciscales primi, secundi aut tertii ordinis regularis, neque oratoria publica tertii ordinis sæcularis aut alia ecclesia, in qua canonice erecta sit congregatio tertii ordinis sæcularis, existant » (*Acta s. Sedis*, XXV, p. 506; cfr *Summarium*, c. V, 6.) In ista concessione comprehenditur etiam indulgentia Portiunculæ, cum hæc quoque, inter

Ad IV. — Rosaria et coronæ, ut ipsis adnecti valeant indulgentiæ *apostolicæ*, non jam possunt esse ex stanno, plumbo aut vitro (nulla distinctione facta inter vitrum compactum et vitrum insufflatum); utrum vero rosaria et coronæ ex stanno, plumbo aut vitro compacto sint adhuc capacia aliarum indulgentiarum non dirimit præsens responsum, unde in vigore manet norma anterior, ea nimirum esse capacia (1).

A. LEGRAND.

II.

RESCRIPTUM CONCEDENS INDULG. PLEN. QUOTIDIANAM.

Die 21 februarii 1923 s. Pœnitentiaria Apostolica omnibus christifidelibus orationem sequentem devote recitantibus benigne concessit indulgentiam plenariam, semel in die, suetis sub conditionibus (2), lucrandam (3).

GEBED.

Heer Jezus Christus, ik erken U als Koning van geheel de wereld. Al wat gemaakt is, is geschapen *voor U*. Oefen daarom al uw rechten op mij uit.

Ik hernieuw mijn doopbeloften : ik verzaak aan den duivel, zijn pralerijen en zijne werken, en beloof als een goed christen te leven. In 't bijzonder verbind ik mij, de

---

omnes celeberrima, concessa sit omnibus christifidelibus ecclesias franciscales visitantibus, nec in indulto excludatur, ut notant MOCCHEGIANI, *o. c.*, p. 795 et BERINGER, *Die Ablässe*, 15 ed., t. II, p. 409 sq.

(1) Cfr *Collat. Brugen.*, t. X, p. 392; *Nederlandsche katholieke stemmen*, 1923, p. 162 ss., 1925, p. 195 ss. (ubi auctor censet rosaria ex dicta materia jam non esse capacia quarumvis indulgentiarum); *Nouvelle revue théologique*, 1922, p. 437 sq.; P. HUBERTUS, O. M. C., *Leer en praktijk der aflaten*, p. 37 sq.

(2) Ergo requiritur confessio, communio, visitatio ecclesiæ vel oratorii publici, preces ad mentem s. Pontificis (distinctæ nimir. ab ipsa hac oratione); cfr *Collat. Brugen.*, XXV, p. 153, nota (1); P. A. STEINEN apud *Theologische praktische Quartalschrift*, 1924, p. 764.

(3) Cfr VERMEERSCH, *Periodica*, t. XII, p. 160. Ex tabulariis s. Pœnitentiariæ; *N. K. S.* 1924, p. 155, 1925, p. 198 sq.; *N. R. Th.*, 1924, p. 118.

rechten van God en van uwe Kerk naar vermogen te doen zegevieren.

Goddelijk Hart van Jezus, ik bied u mijn geringe handelingen aan om te verkrijgen dat alle harten uw heilig Koningschap erkennen en aldus over de gansche wereld uw vrederijk worde gesticht Amen. (1).

---

(1) O Christ Jésus, je vous reconnais pour Roi universel. Tout ce qui a été fait a été créé *pour Vous*. Exercez sur moi tous vos droits.

Je renouvelle mes promesses du baptême en renonçant à Satan, à ses pompes et à ses œuvres, et je promets de vivre en bon chrétien. Et tout particulièrement je m'engage à faire triompher, selon mes moyens, les droits de Dieu et de votre Église.

Divin Cœur de Jésus, je vous offre mes pauvres actions pour obtenir que tous les cœurs reconnaissent votre Royauté sacrée, et que, ainsi, le règne de votre paix s'établisse dans l'univers entier. *Ainsi soit-il.*

Consultationes.

I.

De sigillo sacramentali.

Dum aliquis confessarius in sacristia moratur, sacrista ipsum monet Titiam in ecclesia exspectare occasionem confitendi. Confessarius autem gemens dicit : « Quemnam nunc habet scrupulum » ? Hoc autem dicit ne miretur sacrista ob frequentes et longas confessiones scrupulosæ pænitentis. Quæritur an peccaverit confessarius contra legem sigilli ?

R. — 1/ Supponimus scrupulositatem non innotuisse extra tribunal pænitentiæ : non enim videtur agi de scrupuloso qui etiam extra confessionem verbis vel actionibus seipsum prodit.

Ceterum, non videtur confessarius *reapse* abstrahere a scientia sacramentali et, quamvis forsan abstraxerit, nihilominus peccavit quia debuit vitare *speciem* quoque abusus scientiæ sacramentalis.

2/ Si pænitens, ut melius judicari possit de peccatis et dispositionibus ejus, dixit in confessione se esse scrupulosam, confessarius hanc scientiam sacramentalem revelando, violat sigillum stricte dictum.

3/ Quodsi noverit confessarius scrupulositatem, non ex tali declaratione pænitentis sed quia, ex iis quæ dixit pænitens in ordine ad absolutionem, *concludere* debuit eum esse scrupulosum : in hac hypothesi detexit confessarius defectum naturalem analysi scientiæ sacramentalis, adeoque hac scientia abusus est revelando cum gravamine pænitentis scrupulositatem. Itaque, usus est scientia sacramentali cum gravamine et usus hujusmodi manet prohibitus quamvis majus gravamen ex non-usu timeatur.

V. Coucke.

II.

De portione parœciali.

Titius domicilium habet in Aertrycke, ibique sepulcrum majorum possidet. Dum autem visitationem instituit apud filiam suam, in parœcia B. M. Virginis in civitate Brugensi habitantem, in morbum incidit ; ibique per octo menses ægrotatur et dein moritur. Familia curat ut funeretur in Aertrycke.

Quæritur 1°/ an legitime ibi funeretur, et 2°/ an portio parœcialis debeatur parocho B. M. Virginis ?

R. — Titius duos parochos proprios habet : in Aertrycke ratione domicilii, in parœcia B. M. Virginis ratione quasi-domicilii. Nam parochus proprius acquiritur sive per domicilium, sive per quasi-domicilium (can. 94, § 1). Quasi domicilium autem acquiritur commoratione in aliqua parœcia, quæ commoratio vel conjuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad majorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protracta ad majorem anni partem (can. 92, § 2). Ex eo proinde quod per octo menses ibi ægrotavit, necessario ibi acquisivit quasi-domicilium. Ideoque :

Ad 1m. — Legitime agit parochus ex Aertrycke, nonobstante can. 1216, § 2, qui statuit : « Si defunctus plures habuerit parœcias proprias, ecclesia funerans est ecclesia parœciæ, in cujus territorio decessit ». Nam, ut supra (1) probavimus, iste canon non est sumendus ut regula absoluta, sed ex applicatione principiorum generalium pro legis interpretatione ab ipso codice statutorum, intelligendus est in textu et contextu, et in collatione cum locis parallelis codicis (can. 18).

Jamvero ex contextu et locis parallelis apparet can. 1216, § 2, non destruere principia in hac materia de sepultura prævalentia, nempe de libera sepulturæ electione (c. 1223,

(1) Cfr supra, p. 400, in nota.

§ 1) et de præsumpta electione ex existentia sepulcri majorum deducta (c. 1229, § 1). Et cum in casu in parœcia Aertrycke adsit sepulcrum majorum Titii, hæc ecclesia pro funere legitime prævenit ecclesiam loci decessus (1). Et ideo :

Ad 2m. — A parocho ex Aertrycke, in casu, nulla portio est solvenda parocho B. M. Virginis. Prior ecclesia enim fruitur conditione ecclesiæ propriæ, et portio numquam debetur a parocho ecclesiæ funerantis, quæ est propria defuncti ecclesia.

J. Brys.

(1) Nec dici potest parochum ex Aertrycke jus suum amisisse ex eo quod locus decessus ultra quinque kilometra distat ab ecclesia funeris. Nam, etiam in casu incommodæ translationis, familiæ et hæredibus integrum est cadaver deferre ad locum in quo defunctus sepulcrum majorum possidet (can. 1218, § 3).

Notæ Bibliographicæ

Janssens, Al. (Miss. van Scheut). *De h. Drievuldigheid.* Tweede uitgave. Brussel, Standaard-Boekhandel, 1925. — In 8, VII-217 bl. — Pr. 15 fr.

Met genoegen kondigen wij deze tweede uitgave aan van het boek door E. P. Janssens verleden jaar eerst uitgegeven als eerste traktaat in de reeks leerboeken der dogmatica (1); het derde traktaat over *Het menschgewordeu Woord* hebben wij in een voorgaande nummer der *Collationes* beoordeeld (2).

Schrijver vindt bescheiden een gereede verklaring voor dit buitengewoon welslagen in de groote belangstelling van de vlaamsche en hollandsche katholieken voor alle werken, die hen leeren hun geloof beter kennen en dieper uitleven; wij mogen gerust nog een anderen uitleg daaraan toevoegen, namelijk de degelijkheid van het boek van P. Janssens zelf.

Deze tweede uitgave overtreft de eerste hoofdzakelijk in dit opzicht, dat het leerstellig gedeelte aanzienlijk werd uitgebreid en verbeterd. Waar S. in zijn eerste uitgave enkel de goddelijke uitgangen beschouwd had, behandelt hij nu, volgens de indeeling van s. Thomas, ook nog de goddelijke betrekkingen, en komt zoo tot de leering der goddelijke personen, drie in de eenheid der goddelijke natuur.

Ook heeft S. er naar gestreefd om het boek in zijn heelen omvang bruikbaar te maken voor hen, die het latijn niet machtig zijn; daarom worden nu de latijnsche aanhalingen, die in de eerste uitgave de uiteenzetting te veel kwamen onderbreken, of eenvoudig weggelaten, of in voetnotas aangehaald; dit brengt heel wat meer klaarte bij en laat thans de eenheid van de leering veel beter uitschijnen. Een boek dus dat ten volle mag en wordt aanbevolen. H. LAMIROY.

Desmet, A. *Tractatus dogmatico-moralis de sacramentis in genere, de baptismo et confirmatione.* Ed. 2a. Brugis, Beyaert, 1925. — In VIII, XX-331 p. — Pr. 25 fr.

Si comparationem instituimus cum aliis operibus de hac materia conscriptis, quædam in tractatu cl. Desmet percellunt merita haud exigua. Primo quidem optimi magistri methodus, qua nostro judicio vere excellit inter tractatus hujus generis. Qua de causa, aptissimus est ut

---

(1) Zie *Collat. Brugen.*, XXIV, p. 435.
(2) *Ibidem*, XXV, p. 337 s.

in seminariis in usum alumnorum adhibeatur. Dein, documentatio ampla et recens, quæ studiosis ulteriori inquisitioni viam sternit. Tandem, coordinatio in unum tractatum medullæ doctrinæ tum dogmaticæ quum moralis necnon præscriptorum juris canonici, additis hinc inde pro opportunitate paucis quæ spectant liturgiam, puta cæremonias baptismi, vel historiam, v.g. materiam confirmationis. Ita, in unum complexum redigitur quodcumque sacramentum respicit.

Prior editio ante novum codicem juris prodiit, hæc altera editio, novo juri accommodata, maxima cura ab auctore parata et aucta est. Est optimum opus. V. Coucke.

Noble, H. D. (O. P.). *La Prudence* (Somme Théologique, II-II, qq. 47-56). Paris, Desclée et Cie, 1925. — In 16, 306 p. — Pr. 8.40 fr.

Voici le premier paru d'une série d'opuscules que la *Revue des jeunes* édite sous le patronage des RR. PP. Dominicains français. La tâche que la Revue assume, est de fournir une traduction rigoureusement exacte et sobrement commentée de la Somme Théologique de s. Thomas. Le Thomisme, dont rien ne faisait prévoir la forte poussée il y a cinquante ans, se fraie un chemin parmi les idées modernes ; seulement s. Thomas reste toujours d'un accès difficile : le texte original et les commentaires savants ne s'adressent qu'à une élite. La présente édition veut être à l'usage des étudiants et des intellectuels.

Les questions 47-56 de la IIa-IIae furent traduites par un thomiste et un moraliste aussi autorisé que le P. Noble. Son introduction situe la Prudence dans la Morale ; suit une traduction claire et nette, juxtaposée au texte latin ; de courtes notes commentent certains textes plus difficiles ; des notes techniques nous renseignent sur d'autres passages, où s. Thomas traite le même sujet ; enfin un mot sur les meilleurs commentaires et une bibliographie sommaire.

L'édition s'annonce on ne peut mieux ; espérons que nous pourrons bientôt annoncer de même les premiers essais d'une traduction flamande.

Génicot — Salsmans (S. J.) *Casus conscientiæ*. 5a ed. Bruxellis, Dewit, 1925. — In-8, 747 p. — Pr. 25 fr.

Multos theologos nostris præsertim diebus in theologiam moralem mere casuisticam invehere sat notum est, nec hujus impugnationis ratio ullum fallit. Quid enim sacerdoti prodest quosdam bene definitos casus solvere posse, si principia, quibus Theologia Moralis ut fundamento superstruitur, oblivioni dedit ac proin casibus ab archetypis, ut ita dicam, parum aut prorsus diversis prudentem solutionem afferre jam non valet ? Ex addita tamen ratione patet casuisticam nullo nocumento esse ei, qui scientiæ moralis principia callet ; tali imo tum ad judicium de propria scientia ferendum, tum ad proxime practicam informationem utile erit interdum ad collectos casus recurrere dummodo non negligat et doctrinam revisere, a qua solutio mutuatur.

Inter opera hujusmodi eminent *Casus conscientiæ propositi et soluti*, quos concinnavit P. Génicot, quosque post novum Juris Canonici Codicem jam secunda vice P. Salsmans typis mandavit. Nequaquam supprimere intendunt auctores serium studium principiorum ; contra, nexu arctissimo *Casus* cum sua optimæ notæ *Theologia morali* colligant : tractatum suum in disponenda materia sequuntur ; appositis numeris lectorem ad opus morale remittunt, ubi et solutionum justificationem vel et sententias discrepantes invenire possit.

Præstat in opere P. Génicot diligens casuum non mere hypotheticorum congeries, quibus P. Salsmans quosdam novos nostris diebus magis practicos addidit, v. g. in materia de castitate, de vocatione, de religiosis, de sacramentis. Solutionum valorem et nitidam formulam ipsa nomina ceteraque auctorum opera tuentur, nec lectio operis hoc judicium infirmat : ibi enim non tantum peccatorum tristis catalogus perhibetur sed etiam officiorum prudentis sacerdotis et confessarii positiva indicatio.

Certo certius singulæ sententiæ ab auctoribus defensæ non omnibus æque arridebunt, quod tamen veræ utilitati operis minime nocere potest.

Missiaen, B. (O. Cap.). *Volkshuishoudkunde*. Brugge, Excelsior, 1925. — Gr. in 8, xv-635 bl. — Pr. 30 fr.

Een boek over een reeds druk besproken onderwerp, maar een waarlijk nieuw boek door zijn manier van het onderwerp te beschouwen en te behandelen. Hier wordt de stoffelijke volkswelvaart niet zuiver theoretisch en abstrakt beschouwd, maar zoo konkreet mogelijk in onze huidige naoorlogsche toestanden in ons eigen land; het economisch vraagstuk wordt geplaatst in zijn noodzakelijk verband met de algemeene sociale welvaart en in zijn noodzakelijke afhankelijkheid van de zedeleer. « Het is dus in een sociaal-economisch midden, gekenmerkt door eene sterkere organisatie van wederzijdsch klassenegoïsme, door een scherperen strijd tusschen kapitaal en arbeid, door een ontreddering van menschen en productiemiddelen, dat de vraag moet opgelost, hoe het economisch leven zal heringericht worden, om aan de stoffelijke belangen des volks te voldoen en de algemeene welvaart te bevorderen » (bl. 102).

Vele oplossingen werden voorgesteld; P. Missiaen geeft die aan op het einde van zijn boek. Met een voelbaar welbehagen verwijlt hij bij het christen reformisme of solidarisme, en bij voorkeur bij de christen democratische school, waarvan hij zelf bij ons een der meest gezaghebbende raadgevers is. De oplossingen van die school worden in het boek voorgesteld en bewezen.

Onmogelijk is het hier een volledig overzicht van dit lijvig en zoo gevuld werk te geven; we willen alleen enkele stellingen aanstippen van meer socialen aard en daarna wijzen op den gezonden geest die gansch het werk bezielt.

De bedrijfsorganisatie, « eene bestendige samenvatting van alle

genooten van een zelfde bedrijf, zoo werkgevers als werknemers, met het doel aan beide de best mogelijke sociale en economische positie te verzekeren, met inachtneming van de belangen van de gemeenschap » (bl. 456), wordt warm verdedigd als de voor het oogenblik wenschelijke socialisatievorm van de onderneming. — Het absolute gezinsloon wordt als een strikt recht voorgesteld; het relatieve echter als een verplichting van naastenliefde en verdeelende rechtvaardigheid, uit te betalen door de solidariteit van de patroons en den Staat. — Het loonverdrag ontwikkelt best naar het collectieve verdrag, doch om de gevaren ermede verbonden moet dit wettelijk en in christelijken geest geregeld. — De deelname in de winst wordt gewenscht als een hervorming van het loonverdrag, doch op grond van de bedrijfsorganisatie. — Wat het stakingsrecht aangaat, neemt schrijver aan dat sommige nijverheden en diensten om reden van het algemeen welzijn er noodzakelijk moeten aan onttrokken worden.

De vraagstukken worden volledig behandeld door een beslagen economist op grond van statistieken, geschiedkundige gegevens en verschenen studies, doch ook door een wijsgeer, die weet te redeneeren over feiten en hun ingrijpen in de menschelijke ziel, maar vooral door een katholiek geleerde, die de leer van Kerk en Pauzen steeds voor oogen houdt en toepast op de wetten van de streving naar stoffelijke welvaart. Door deze belichting en ook door den toon van het werk is het boek geworden een warm pleidooi tegen socialisme en liberalisme, maar ook tegen die katholieken, die de redding alleen zoeken in het voorhouden van plichten en in liefdadigheid en privaat initiatief. De kracht van deze beginselen erkent P. Missiaen volmondig, maar hij acht ze onvoldoende zonder de tusschenkomst van een democratisch gezinden staat; de mensch is een van natuur sociaal wezen, de staatsgemeenschap moet een beschermende en aanvullende werking uitoefenen, ze moet, onder den invloed der Kerk, op aarde een rijk stichten van socialen vrede.

Welsprekend verdedigt P. Missiaen zijn stellingen; zijn werk is vooral bedoeld voor de sociale werkers, doch ons dunkt het te zwaar opgesteld. Om wille van een duidelijker orde worden hier en daar formulen gebruikt, die wel stadhuiswoorden schijnen en de zaken eerder verduisteren; onze sociale werkers hebben vooral nood aan klare begrippen, ze moeten zich hoeden voor tooverwoorden die ze niet gansch hebben doorgrond; zoo ze dit werk instudeeren en uitdiepen, zal dit gevaar geweken zijn. M. De Jonghe.

Brou, A. (S. J.) *S. François-Xavier. Conditions et méthodes de son apostolat.* Beyaert, Bruges, 1925. — In 8, VIII-86 p. — Pr. 4.50 fr.

Cette étude du P. Brou, le savant biographe de s. François-Xavier, sera accueillie avec grand intérêt par tous ceux, et ils sont de plus en plus nombreux, qui s'intéressent à l'étude de la « science des missions ». On a reproché au grand apôtre des Indes d'avoir marché au hasard, poussé par son humeur inquiète, le besoin de changer, sans principes

fermes, sans vues claires sur l'état réel du pays. Le P. Brou montre que ces assertions sont pour le moins exagérées et que, à considérer les circonstances qui s'imposaient à lui, s. François-Xavier a fait ce qu'il pouvait humainement faire ; que sans doute il se décidait parfois sur des renseignements insuffisants mais que, malgré tout, rien n'a pu l'arrêter dès qu'il voyait un devoir à remplir, un sacrifice à faire ; et qu'il s'est préoccupé d'assurer l'avenir de son œuvre, l'œuvre d'un pionnier, par l'instruction des fidèles, surtout des enfants et par le catéchisme.

Chrysostomus (S. Joannes). *Over het priesterschap.* Vertaald door F. Vermuyten. Brussel, Standaardboekhandel, 1922. — In 8, 150 bl. — Pr. 6 fr.

Deze zes boeken over 't priesterschap : *De sacerdotio libri sex*, van s. Joannes Chrysostomus, « zijn het beste wat in de oudheid over dit onderwerp werd geschreven. Ze munten uit door verheven inhoud, keurigen stijl en innigvrome gezindheid. De grootste meesters hebben het voortreffelijk werk hoog geprezen en bijna ontelbare uitgaven zijn ervan verschenen » (1). We wenschen dat deze nieuwe vertaling zou in de handen komen van al onze vlaamsche priesters.

P. Ignatius (Passionist). *De school van den Goddelijken Gekruiste.* Uitg. der paters passionisten, Kortrijk, 1924. — In 24, 431 bl. — Pr. 3 fr.

Aan ons christen volk aanbevolen als geestelijke lezing gedurende den heiligen Vastentijd.

Peeters, L. (S. J.). *Vers l'union divine par les Exercices de s. Ignace* (Museum Lessianum, section ascétique et mystique, n° 13). Bruges, Beyaert, 1924. — In 8, XVI-140 p. — Pr. 3,50 fr.

On s'est trop habitué, de nos jours, à ne voir dans le livre des *Exercices* de s. Ignace que le manuel de stratégie d'un ex-capitaine, transposant dans le domaine spirituel les préceptes rationnels enseignés à l'école militaire. L'auteur, à l'encontre de cette erreur, met en lumière la thèse traditionnelle : le livre des Exercices est un guide surnaturel à la plus haute perfection, et une école de la plus sublime oraison. Les preuves de cette thèse sont d'une part l'expérience mystique où le saint fondateur a puisé les leçons qu'il donne à ses fils; d'autre part la montée progressive aux états les plus élevés, enseignée dans le livre des Exercices bien compris; enfin, comme contre-épreuve,

---

(1) Zie BENVENUTUS VAN VENRAAI, *Handleiding der patrologie*, bl. 229. Waarom toch heeft vertaler geen enkel woordje ter inleiding gegeven over den schrijver, en zijn vriend Basilius. over de tijdsomstandigheden ? Waarom werd de inhoudstafel weggelaten ? Welke tekst heeft vertaler voor oogen gehad ? Bladzijde 81, l. 21 en vv. « wanneer ze zien dat iemand aan 't geld gehecht is » « *ubi aliquem viderint pecuniæ imperantem* » ; lees : *niet* gehecht.

le nombre des jésuites mystiques formés à l'école de ce livre. Souhaitons que tous les prédicateurs des Exercices s'inspirent de cette thèse traditionnelle, pour le plus grand profit de notre clergé, dont la formation est largement tributaire des Exercices de s. Ignace. Ce livre en effet n'est-il pas le thème de l'instruction de nos recrues au sacerdoce, et n'est-il pas aussi le plan de nos manœuvres spirituelles ou retraites sacerdotales ?

Martin, R. (O. P.). *La vie mystique de s. Cathérine de Sienne.* (Société d'études religieuses. Mystique n° 32). Bruxelles, 5, rue Leys. — Pr. 0,50 fr.

Exposé clair et succinct de la doctrine et de la vie merveilleuse de la mystique tertiaire dominicaine. Signalons la tendance de l'auteur exprimée en ces lignes p. 37 : « Pour s. Cathérine comme pour tous les auteurs dominicains, mystique et contemplation ne constituent pas, dans leur essence, un état extraordinaire, mais une voie commune, à laquelle toute âme peut aspirer ».

Pour l'amour de Dieu. Par un missionnaire de la congrégation du Cœur Immaculé de Marie (Scheut), 3e édition, Bruxelles, De Wit, 1925. — In 18, 263 p. — Pr. 3,75 fr.

Cet opuscule a déjà fait grand bien à beaucoup d'âmes et dans beaucoup de communautés. Aussi souhaitons-nous à cette 3e édition le même succès qu'aux précédentes. Le prix (détail qui mérite d'être signalé), est très modique, vu les circonstances, et le profit de la vente est destiné à soutenir les missions de Mongolie ; quant à la doctrine, elle est sûre, solide, bien servie ; bref, une nourriture excellente pour toute âme qui aspire à la perfection chrétienne.

Verheyen, J. *Hoe de ouders hun zonen tot den soldatendienst voorbereiden.* Lier, Van In, 1925. — In 12, 80 bl. — Pr. 2 fr.

Zeer nuttige raadgevingen aan de ouders, vooral nopens de verre en rechtstreeksche voorbereiding hunner zonen tot den soldatendienst, en nopens hetgeen zij voor hen moeten doen gedurende den diensttijd. Dit werkje grootendeels ontleend aan de geschriften van aalmoezenier kanunnik Muyldermans, ontsproten aan de ijvervolle ziel van den koenen oorlogsaalmoezenier Verheyen, goedgekeurd en aanbevolen door ons doorluchtig Episcopaat, verdient door onze priesters wijd verspreid te worden. Wij hopen algauw het tweede werkje van denzelfden schrijver te mogen even warm aanbevelen : *Hoe onze jongens hunnen soldatendienst moeten doormaken.*

Théodore de S.-Joseph (C. D.). *Essai sur l'oraison selon l'école carmélitaine.* Bruges, Beyaert, 1923. — In 8, XII, 151 p. — Pr. 10 fr.

Le seul titre de ce livre en fait déjà présumer l'importance : ce que l'école carmélitaine enseigne sur la contemplation, qui constitue « sa

spécialité », ne peut manquer d'intéresser tous ceux qui s'occupent de mystique. Une première partie, en guise d'introduction, traite de la prière discursive selon l'école carmélitaine, et compare celle-ci à la même oraison dans les ordres religieux, de s. Benoît, de s. François d'Assise, de s. Dominique, de s. Ignace. Ce qui caractérise l'oraison carmélitaine, c'est qu'elle est toute orientée vers la contemplation amoureuse : de là dès le début la méditation revêt une nuance nettement affective. Dans la deuxième partie de son essai, l'auteur aborde son vrai sujet : la contemplation d'après les maîtres du Carmel. L'auteur distingue une double contemplation, l'une *acquise*, qui n'est que l'oraison affective à sa dernière phase, un simple regard amoureux sur Dieu, produit par l'action du contemplatif, aidée de la grâce commune ; l'autre *passive* ou *infuse*, qui, elle aussi, est un simple regard sur Dieu, mais produit cette fois par une motion spéciale du s. Esprit et par les dons d'intelligence et de sagesse (1). L'âme est disposée à la contemplation infuse par une double nuit obscure, une double purification passive des sens et de l'esprit, produite par l'obscurité et les souffrances de la contemplation elle-même. La nuit passive des sens, privation de la grâce sensible, commence positivement la contemplation infuse : c'est très probablement le *recueillement passif* de s. Thérèse. La nuit passive de l'esprit est causée par une lumière intense sur les moindres défauts cachés de l'âme : elle est une trop évidente connaissance infuse de l'infinie grandeur de Dieu et de notre néant, qui produit dans l'âme un tourment analogue à celui du purgatoire. Suit la description des différents degrés de la contemplation infuse, la contemplation pure du chœur des Trônes, la contemplation chérubique ou fiançailles spirituelles, la contemplation séraphique, fréquente dans le mariage spirituel. Enfin l'auteur traite en particulier de la contemplation *suréminente*, procédant de la *science infuse* du genre des grâces *gratum faciens*. L'auteur conclut que la contemplation infuse est le couronnement normal de la vie intérieure, et qu'il existe donc une vocation générale à la vie mystique. Enfin le livre s'achève par une revue des sources où l'auteur a puisé, c. à d. outre les œuvres de s. Thérèse et de s. Jean de la Croix, tous les ouvrages des plus éminents théologiens et mystiques du Carmel. — Sans prétendre résoudre tous les points en litige (2), l'auteur a eu en vue d'apporter son appoint au progrès de la théologie mystique. Il y a lieu de le féliciter et de l'engager à pousser plus avant ses études déjà si fructueuses.

A. Legrand.

---

(1) La terminologie : « substantiellement » et « modalement » surnaturelle est-elle soutenue aux pp. 58 et 88 ?

(2) Quelle est la nature de cette motion spéciale du s. Esprit qui produit la contemplation infuse ? Dans la thèse de l'auteur sur la continuité de la vie intérieure, la conclusion qui s'impose n'est-elle pas que tous les chrétiens non seulement peuvent, mais doivent tendre à la contemplation mystique, comme dit Philippus a ss. Trinitate : « Debent omnes ad supernaturalem contemplationem aspirare ». *Summa theologica mystica*, ed. 1874, t. II, p. IV. Voir préface du présent essai p. IX, note 4.

Opera ad redactionem missa (1)

Bouvier, P. (S. J.) *Les décisions du Saint-Siège et le devoir des confesseurs circa abusum matrimonii.* Paris, Letouzey et Ané, 1925, — In 16, 64 p. — Pr. 1.75 fr.

Cocchi, G. (Congr. Miss.). *Commentarium in codicem juris canonici.* Lib. V. De delictis et pœnis. Taurini, Marietti, 1925. — In 8, VIII-424 p.

Foerster, F. W. *Staatsburgerlijke opvoeding.* In het nederl. bewerkt door F. Decraene en L. Elaut. Leuven, Vl. Boekenhalle, 1925. — In 8, 144 bl. — Pr. 7.50 fr.

La très rév. Mère Marie de S.-Pierre. Paris, Beauchesne, 1925. — In 8, 30 p. — Pr. 1 fr.

Lercher, L. (S. J.). *Instit. dogm.* III. De Verbo incarn., B. M. V., cultu sanctorum, gratia Christi. Œniponte, Rauch, 1925. — In 8, 611 p. — Pr. 10 mk.

Lindworsky, J. (S. J). *Over wezen en vorming van den wil.* In het nederl. bewerkt door A. Decoene. Leuven, Vl. Boekenhalle, 1925. — In 8, VIII-152 bl. — Pr. 8.00 fr.

Lippert, J. (S. J.). *Van ziel tot ziel.* Vert. uit het duitsch door Lod. Dosfel, Leuven, Vl. Boekenhalle, 1925. — In 24, 286 bl. — Pr. 12.50 fr.

Naval, F. *Theologiæ asceticæ et mysticæ cursus.* Versio latino juxta 3 ed. hispan. a P. J. M. Fernandez. 2. Ed. Taurini, Marietti, 1925. — In 8, 361 p. — Pr. 12 lib. ital.

Piscetta-Gennaro. (S. S.). *Elementa theol. mor.* ad codicem juris can. exacta. Vol. I. De theol. mor. fund. Torino, Soc. edit. intern., 1922. — In 8, CVII-403 p. — Pr. 15 lib. ital.

Schmidt, A. G. (S. J.). *Verstandstests.* Uit het amerikaansch vertaald door de Broeders van Liefde. Leuven, Vl. Boekenhalle, 1925. — In 8, 31 bl. — Pr. 1.75 fr.

Slater, Th. (S. J.). *A manual of moral theology.* 5 ed. London, Burns-Oates, 1924. — Duo vol. in 8, XII-367 et IX-352 p. — Pr. 25 sh.

Triebels, L. (Mgr). *De Staatsidee volgens Leo XIII.* Groningen, Wolters, 1925. — In 8, 144 bl. — Pr. 3.90 flor.

---

(1) Recensiones quorumdam operum, quæ nunc tantum indicantur, in sequentibus fasc. parebunt.

INDICES

I

INDEX ARTICULORUM

Documenta romana (1)

Acta Pii PP. XI Pag.

1925 aprilis 4. *Epistola* de synodo nicæna 185

E Supr. S. Congr. S. Officii

1924 nov. 5. * Dissolutio vinculi naturalis in favorem fidei . 250
» dec. 1. Damnatio propositionum 248
1925 julii 3. Damnatio librorum 463
» » 30. » » 463

E S. Congr. de disciplina sacramentorum

1924 aprilis 22. * Decretum circa facultatem Missam litandi media nocte 464
1925 juli 25. * Decretum de baptismo domi conferendo . . 416

E S. Congr. de religionis

1925 febr. 5. Decretum de religiosis in amentiam incidentibus . 418

E S. Congr. Rituum

1925 febr. 28. Dubium de Missa conventuali 252
» junii 10. * Decretum de editione novi ritualis . . . 467

E S. Pœnitentiaria apostolica

1923 febr. 21. Rescriptum concedens indulg. plen. quotidianam . 474
1924 » 11. * De absolutione generali et indulgentiis . . 470
1925 martii 12. * Dubia de jubilæo lucrando a privilegiatis . . 253
» » 21. De jubilæo lucrando pro defunctis. . . . 252

(1) Decreta, quæ asterico * notantur, in hoc periodico adnotationibus illustrantur.

Pag.

Documenta episcopalia.

Monitum Episcoporum Belgii ad clerum 419

—

Conferentiarum quæstiones et responsa.

E s. Scriptura V. T.

Ps. LXVII : Exsurgat Deus 375
Ps. LXVII, vv. 12-15 explicantur 425

E s. Scriptura N. T.

In chronologiam Act. Apost., IX, 1-XI, 18 16
Impositio manuum apud Act. Apost., XIII, 3 46
Impositio manuum in novo testamento 110
In Act. Apost., XVIII, 22, de itinere s. Pauli secundo 137
Itinera s. Pauli 2 et 3 per Galatiam. 193
S. Paulus operarius 226, 279
De fractione panis apud Act. Apost., XX, 7 et 11 307
In Act. Apost., XX, 25 345

E s. theologia dogmatica.

E tractatu de Deo creante.

De providentia divina 21
De conservatione rerum a Deo 49
De divina gubernatione. 112
De origine generis humani 141
De origine animæ humanæ 198
De creatione angelorum 230
De natura angelorum 282
De numero et distinctione angelorum 311
De intellectu et voluntate angelica 348
De ambitu cognitionis angelicæ 379
De modo cognitionis angelorum 430

E s. theologia morali

E tractatu de matrimonio.

De impedimento voti 53
De impedimento criminis 145, 233, 314
De sigillo et usu scientiæ sacramentalis 384

E tractatu de virtute religionis.

De devotione 24
De oratione in genere 115, 203, 287, 354, 439

Pag.

E tractatu de indulgentiis.

Conditiones e parte *subjecti* et *operum* ad lucrandas indulg. . 60, 149
Explicantur conditiones ut subjectum capax lucretur revera indulgentias. 237
De commutatione piorum operum ad indulgentias lucrandas præscriptorum 318

E s. theologia ascetica.

De directore spirituali 393

E jure canonico.

De corporum crematione 41, 65
De sepultura ecclesiastica 159, 241
De portione parœciali 322, 398

E s. liturgia.

De jure benedicendi et tangendi Missæ supellectilem . . 133
De pulsanda campanula in Missa et laudibus SS^mi Sacramenti . 221
De amictu 303
De alba liturgica 360
De dalmatica 458

Kerkgeschiedenis.

De Kerk van België onder 't hollandsch bewind 34, 124, 212, 297, 364, 449

—

Dissertationes.

De jubilæo anni sancti 68
In lectionem s. Ambrosii in breviario 164
De variis sensibus s. Scripturæ 402

—

Analecta ascetica et mystica.

Tabula tertia : restauratio et perfectio regni supernaturalis. . 3, 97
Tabula quarta : regnum Christi in terris 187
Tabula quinta : regnum Dei in nobis 187
Tabula sexta : regnum Christi æternum in cœlis 265
Tabula septima : Deus objectum princeps contemplationis . . 337

—

Pag.

Consultationes.

De contractu locationis 88
De orationibus *Sacrosanctæ* et *Obsecro te* durante anno sancto . 176
De ambone denuo erigendo in ecclesia 255
De Missa solemnizanda 258
De dispensatione in abstinentia 328
De sigillo sacramentali 476
De portione parœciali 477

—

Documents de jurisprudence civile.

1922 sept. 20 et oct. 20. *Dépêche minist.* Fonds des mieux doués . 91
1925 mars 25. *Loi* relative aux traitements ecclésiastiques . . 174

—

Miscellanea.

Prescriptions de la loi fiscale sur les traitements ecclésiastiques . 85
Fonds des mieux-doués 91

—

Libri dijudicati.

Bessières, A. (S. J.). Le livre de la croisade eucharistique. . 96
Brou, A. (S. J.). S. François-Xavier 482
Buysse, P. Vers la foi catholique 332
Bij het derde Berchmans-eeuwgetij 182
Chrysostomus (sanctus). Over het priesterschap 483
Cremers, V. (S. J.). De verlossingsidee bij Athanasius. . . 94
Dahmen, P. (S. J.). Un jésuite brahme 334
de Moreau, E. (S. J.). Histoire de l'Église 179
Desmet, A. Tract. de sacr. in genere. 2 ed. 479
Durand, A. (S. J.). Evang. selon s. Matthieu 95
Eene roos aan den kruisstam. Gemma Galgani 181
Faber Mathias (S. J.). Conciones in evang. et festa . . . 334
Fallon, V. (S. J.). Principes d'économie sociale. 3 éd. . . 93
Fanfani, L. (O. P.). De jubilæo seu anno sancto 180
Farrugia, N. (O. S. A.). De matrimonio et causis matr. . . 262
Génicot-Salsmans. Casus conscientiæ. 5 ed. 480
Ggdts, F. X. (C.SS.R.). Définibilité dogmatique de l'assomption de la s. Vierge 261
Hoornaert, G. (S. J.). De strijd om de kuischheid . . . 423
Hoornaert R. S. Térèse écrivain. 423
Huby, J. (S. J.). Evang. selon s. Marc. 95
Ignatius, P. (Passionist). De school van den god. Gekruisten . 483

Pag.

JANSSENS, AL. (Miss. Scheut). Het menschgeworden Woord . 331
» De h. Drievuldigheid, 2e uitgave 479
JOSEPH A SPIR. S. (Carm. disc.). Mystica Isagoge, 6 ed. . . 262
Krans van gebeden en gezangen 423
LACAU, J. (S. J.). Précieux trésors des indulgences . . . 422
» Le jubilé hors de Rome 422
LAENEN, J. Introd. à l'hist paroissiale du dioc. de Malines . . 92
LAGAE, A. Het rijk der genade 182
LECLERCQ, J. Le mariage civil et le divorce 180
LEKEUX, M. Maggy. 335
LERCHER, L. (S. J.). Institutiones dogmaticæ, II 331
MAHIEU, J. De liefde Gods 335
MARTIN, R. (O. P.). La vie myst. de s. Cath. de Sienne . . 484
METZ, A. N. (O. Cist.). De Kerk van Christus naar de h. Schrift. 333
MISSIAEN, B. (O. Cap.). Volkshuishoudkunde. 481
MULDERS, A. La vocation au sacerdoce. 263
MULLIE, C. Quæst. in ordine ad instit. examen conscientiæ . . 181
NOBLE, H. D. La prudence 480
PEETERS, L. (S. J.). Vers l'union divine 483
PÈGUES-MACQUART. S. Thomas d'Aq. Sa vie par G. de Tocco . 421
Petit manuel à l'usage du pèlerin à Rome 181
Pour l'amour de Dieu 484
RADELET, C. Études philos. de théodicée 421
SALSMANS, J. (S. J.). Beginselen van kerkelijk recht . . . 423
THÉODORE DE S.-JOSEPH (C. D.). Essai sur l'oraison carmél. . 484
THIBAUT, E. (S. J.). Le récit du pèlerin. 96
THOMAS (sanctus). In Aristotelis librum de anima 422
VAN COPPENOLLE E. (C. SS. R.). De bovennatuurlijke mensch . 261
VERHEYEN, J. Bereiding tot den soldatendienst 484
VERMEERSCH, A. (S. J.). Theologia moralis, II-IV . . . 178
» De jubilæo anni sancti 180
VERMEERSCH, A. — CREUSEN, J. (S. J.). Epitome juris canonici . 179
ULLATHORNE (Mgr). Humilité et patience 182

—

Opera ad redactionem missa.

Præter opera, quæ ponuntur sub rubrica *Libri dijudicati*, hæc ad redactionem hoc anno transmissa fuerunt :

Arendt, L. 183
Aron, M. 183
Beaufays, I 424
Bergmann, P. . . . 336
Bernard, P. 424
Bona (Card.) 183
Bouvier, G. 486
Brentano, M.-R. . . . 424
Brunetière, Ch. . . . 183
Buysse, P. 336

Pag.

Cappello, F. 424
Catech. der derde Orde. . 264
Claude du Mesnil . . 336
Cocchi, G. 486
D'Aguilhon, E. . . . 386
De christen in de politiek . 183
De dominikanessen van Engelendaele. . . . 183
Demeer, A. 183
Demeulemeester, M. . . 336
De Nolf, A. 424
de Waal 183
Dieckmann, H. . . 264, 424
Duisternis en klaarte . . 184
Esser, F. X. 183
Farges (Mgr) . . . 183
Foerster, F. W. . . . 486
Gatterer, M. 424
Geyser, J. 183
Gilson, E. 183
Godts, F. X. 183
Gougaud, H. 336
Hardec 424
Hildebrand, P. . . . 264
Hollweck, F. G. . . . 424
Hötz, A. 184
Huonder, A 264
Jansen, B. 264
Janssen, A. 264
Keller, Fr. 336
Kortleitner, F. X. . . 184
Krebs, E. 184
Latini, J. 184
Lercher, L. 486
Lejeune 184
Lemaître, Ch. . . . 184
Lindworsky, J. . . . 486
Lippert, J. 486
Manuale christianum . . 184
Marie de S.-Pierre . . 486
Marmion 264
Mativa, A. 184
Mersch, E. 184
Mohr, H. 424
Muckermann, H. . . 184
Naval, F. 486
Nuttige wenken . . . 184
Officium maj. hebd. . . 184
Parra, Ch. 184
Piscetta-Gennaro . . 486
Preslefont, R. . . . 336
Prières de s. Mechtilde . 264
Przywara, E. . . . 184
Ricciotti, G. . . . 336
Rieder, K. 184
Romain Rome . . . 264
Rutten, M. 264
Scheid, N. 424
Schmidt, A. G. . . . 486
Schmitt, J. 386
Schreiber, G. . . . 424
Schryvers, J. . . . 264
Schulster-Hollzammer . 336
Sickenberger, J. . . . 336
Simon, A. 184
Slater, Th. 486
Struyf, J. 184
Triebels, L. . . . 486
Van Baaren, B. . . . 184
Van Biervliet, A. . . 184
Van Steenberghe, E. . . 264
Van Volckxsom, J. . . 336
von Zegschwitz, G. . . 264
Weisz, A. M. . . . 424

II.

INDEX ALPHABETICUS

Absolutio generalis pro tertiariis sæcularibus s. Francisci Assisiensis, 470, 472, pro adscriptis confraternitati scapularis ss. Trinitatis, 470, 473.

Abstinentia. Facultas quædam manducandi carnes operariis nostris per mandatum quadragesimale a. 1925 concessa immerito ad agricolas extenderetur, 328 ss.

ACTUS APOSTOLORUM, v. SCRIPTURA SACRA.

ADAM, protoparens generis humani, v. GENUS HUMANUM.

Adscriptio sectæ. Quinam dicendi sunt adscripti sectæ, 242.

ALBA, v. INDUMENTA LITURGICA.

Ambrosius, s. Lectiones apud breviarium, ex ejus operibus desumptæ, explicantur, 164 s.

AMICTUS, v. INDUMENTA LITURGICA.

Angelus. A Deo *creatus* est, uti revelatione constat, 230, et quidem non ab æterno, 231; quod etiam tenendum tum fide divina, tum fide catholica ; 231. — Non constat certo *quandonam*, et variæ dantur de hac quæstione ss. Patrum sententiæ, 232 ; nihil circa hanc controversiam pressius definivit Ecclesia, 233.

Quod *naturam angelicam* spectat, dicitur in Scriptura *spiritualis*, 283; idem constat Traditione, quamvis in hac veritate enuntianda fuerit per aliquod tempus hæsitatio, 284 s. ; hæc doctrina nunc, post explicationes s. Thomæ, jam *communis* evasit inter theologos, 286, quamquam nunquam ab Ecclesia definita, 287.

Quod attinet *numerum* angelorum, novimus revelatione illum esse *ingentem*, 311 ; secus nihil pressius definire licet, 312.

Quoad *distinctionem* angelorum, edocemur revelatione angelos esse constitutos in *ordines* diversos, 312 ; esse *novem* ordines fide certum non est, 313, sed tamen hæc est sententia rationabiliter in sacris litteris fundata

et ab Ecclesia publice agnita, 314; novem ordines distribui in *tres hierarchias* est sententia probabilis, nixa speculationibus theologicis, 314.

In angelis existunt *potentiæ operativæ*, seu facultates ab eorum substantia realiter distinctæ, 349; scilicet *intellectus* et *voluntas*, 350; in intellectu angelico *non* distinguitur intellectus *agens* et *possibilis*, 351; *nec* in voluntate eorum *appetitus irascibilis* et *concupiscibilis*, 352; fruuntur angeli *libertate* et quidem modo excellentiori quam homines, 353.

Quod spectat *ambitum cognitionis* eorum, cognoscunt *seipsos*, 379; *Deum* etiam, 379; entia *spiritualia* alia et *res materiales*, et quidam *in singulari*, 380 s. — *Non* cognoscunt *mysteria* gratiæ, 382; nec *secreta cordium*, 382 s.; etiam non *futura*, saltem non in seipsis, sed futura *necessaria cum certitudine in causis suis*, 383 et futura *libera conjecturaliter* tantum, 384.

Quod attinet *modum cognitionis* eorum, *seipsos* cognoscunt *per suam substantiam*, adeoque semper *actu*, 430 s.; etiam *Deum* cognoscunt per suam substantiam, sed *sine ratiocinio*, 434; tandem *alia a se*, præter Deum, cognoscunt *per species innatas*, 435, etiam *in singulari*, 436 Hisce speciebus *perficitur* intellectus eorum, 438; quoad easdem quodammodo sunt semper *in actu*, quodammodo *in potentia*, 438; datur *successio* in cognitione angelica quoad ad hanc cognitionem; *non tamen motus proprie dictus*, 438; etiam heic *discursus abest*, sicut in cognitione eorum de Deo, 434, 439.

Anima singulorum hominum a Deo *creatur immediate*, 198; admitti nequit juxta fidem catholicam, *traducianismus spiritualis*, 199 s., a fortiori nec traducianismus *corporalis*, 201, et minus adhuc *emanatismus*, qui sapit pantheismum, 201 s. — Juxta doctrinam catholicam anima creatur *quando infunditur*, 252, adeoque nequit admitti *præexistentianismus* quilibet, 202, quamquam libere disputatur de momento vitæ embryonalis, quo infunditur, 203, ita tamen ut placitis Rosmini de hac quæstione adhærere nefas sit, 263.

Ambo. Ejus usus primitivus, 254; hodie nec Cæremoniali Episcoporum, nec recentioribus decretis prohibetur erigere ambones, etiam ubi consuetudo non existebat, 256 ss. Cæremoniæ servandæ, 256, 258.

ANNUS SANCTUS, v. JUBILÆUM.

Baptismus in casu extraordinario *domi* sollemniter conferri potest ; æstimare autem casus extraordinarii gravitatem est remissum prudentiæ Ordinarii in singulis casibus, 416.

Baptismi administrandi *rubricæ novæ*, 469.

Benedictio suppellectilis Missæ. Quænam cultui divino dicantur solo usu, consecratione, benedictione, 133 ; quænam benedici debeant, aut conveniant, 134. Quinam benedicere possint, 134. Quare et quinam *tangere* possint vasa sacra continentia Eucharistiam, aut vacua, 135, purificatoria, pallas, corporalia, 236. Quid de horum lotione, 136 ; v. Diaconus.

Breviarium. Lectiones ex s. Ambrosio explicantur, 164 s.

Campanulæ pulsandæ ad officia usus antiquus, 221, ad elevationem in Missa, s. xiii, 221, usus evolutio, 222. Hodierna disciplina : quandonam pulsanda ex præscripto rubricarum, 223, ex decr. S. C. Rit., 223, ex consuetudine, 224. Quandonam prohibetur, 224. Quomodo pulsanda, 225.

Canones novi codicis explicantur : can. 92, § 2, p. 476; can. 94, § 1, p. 476; can. 464, p. 399; can. 488, p. 399; can 776, § 1, n° 2, p. 416; can. 821, p. 465; can. 889, § 1, p. 384; can. 890, § 1, p. 387; can. 921, p. 157; can. 925, p. 60 et p. 237; can. 928, p. 241; can. 930, p. 241; can. 931, p. 153; can. 932, p. 156; can. 933, p. 153; can. 934, p. 157; can. 935, p. 318; can. 936, p. 158; can. 1058, § 1, p. 53; can. 1075, p. 105 et p. 233 ac p. 314; can. 1147, p. 134; can. 1203, p. 43; can. 1216, p. 323 et p. 476; can. 1218, p. 51 et p. 477; can. 1223, § 1, p 476; can. 1226, p. 324; can. 1229, § 1, p. 477; can. 1236, p. 325; can. 1239, p. 159; can. 1240, p. 159 et p. 241; can. 1302, p. 135; can. 1304, p. 134; can. 1306, p. 135; can. 1311, p. 57.

Cognitio in angelis, v. Angelus.

Commutatio, v. Votum.

Conservatio rerum a Deo duplex : *directa* et *indirecta*, 49, *directa* probatur tum argumento *rationis*, 50, tum argumento *ex revelatione*, 51 s.

Creatio, v. Angelus, Anima.

Crematio corporum. Historica circa cremationem, 41; motiva in favorem adducta, 42; rationes prohibitionis ecclesiasticæ, 43; pœnæ canonicæ ad cremationem impediendam statutæ, 65.

CRIMEN, v. IMPEDIMENTUM.

DALMATICA, v. INDUMENTA LITURGICA.

Damnatio quarumdam *propositionum* per decr. 1 dec. 1924 s. Officii, 248; *librorum* per decreta 3 et 30 julii 1925 s. Officii, 419.

DENEGATIO SEPULTURÆ, v. PRIVATIO SEPULTURÆ.

Devotio *actualis* definitur et explicatur, 25 ss.; *habitualis* definitur, 29; significationes derivatæ assignantur, 29; caritas sæpe nominatur devotio ratione varii influxus quem in eam exercet, 31 s.

Diaconus post distributam s. communionem potest dare benedictionem, 469.

Director spiritualis. Momentum directionis, 393, qualitates directoris, 393, scientia, 393, charitas, 395, prudentia, 396.

DISPENSATIO in abstinentia, v. ABSTINENTIA.

Dissolutio vinculi matrimonialis initi inter partem infidelem et partem baptizatam acatholicam, ex decreto 5 nov. 1924 s. Officii, 250; explicatur quia *non est ratum* matrimonium, 251.

Fabriques d'église. Impôts à payer sur les traitements payés aux employés d'église, 85; v. LÉGISLATION CIVILE.

FACULTATES in angelis, v. ANGELUS.

Fonds des mieux doués. Dépêche minist., 91.

Genus humanum, hac in terra vivens, 141, inde ab epocha cujus initium narratur in Genesi, 142, ortum habet ab uno Adamo, uti constat tum Scriptura, 143, tum traditione orali; veritas tenenda fide divina et catholica, 144.

Gubernatio divina, prout dicit directionem omnium rerum in finem, probatur *ratione*, 112, deinde *revelatione*, 113 s.; hæc veritas tenenda fide divina et catholica, 115; v. PROVIDENTIA.

Impedimentum matrimonii.

Votum, 53, *simplex*, 54, virginitatis, 54, castitatis perfectæ, 55, non-nubendi, 55, suscipiendi ordines sacros, amplectendi statum religiosum, 56, constituit *impedimentum impediens* matrimonii, saltem vi juris ecclesiastici, 56.

Cessare contingit hoc impedimentum lapsu temporis appositi ad finiendam obligationem voti, mutatione substantiali materiæ promissæ, deficiente conditione a qua votum pendet, 57, deficiente causa vere finali rei promissæ, irritatione, 58, dispensatione, commutatione, 59.

Votum *reservatum*, 59.

Crimen 1) *ex adulterio et fide data*. Describuntur conditiones requisitæ ex parte *adulterii* objective et subjective spectati, 145, ex parte *fidei* datæ, 147, necnon ex parte *conjunctionis* utriusque elementi, 148; 2) *ex adulterio cum attentatione matrimonii*, describuntur conditiones requisitæ ex parte *adulterii*, 233, *attentationis*, 234, necnon *conjunctionis* utriusque elementi, 235; 3) *ex adulterio cum conjugicidio* et rursus eædem conditiones describuntur, 235; 4) *ex conjugicidio solo*: requiritur *veri* conjugis occisio, 314, *mutua* opera patrata, 315, cum intentione ineundi matrimonium cum complice, 316.

Multiplicatur impedimentum 1) secundum varias criminis *species* quæ verificantur respectu *alterutrius* partis *matrimonii*, 317, vel *matrimonia* forsan successive contracta, 318, 2) secundum varias criminis species quæ verificantur circa *utriusque* partis matrimonium vel matrimonia forsan successive contracta, 318.

Impositio manuum, v. Scriptura sacra.

Indulgentiæ. Conditiones requisitæ *ex parte subjecti* ut indulgentias sibi lucrari possit, 60, nimirum ut sit baptizatus, 61, non excommunicatus, 61, in statu gratiæ saltem in fine operum, 62. — An status gratiæ requiritur ad lucrandas indulgentias pro defunctis, 63, — subditus concedentis, 64. Ut subjectum capax de facto indulgentias lucretur requiritur intentio generalis, 238, impletio integra operum, 240. Mutilati, 240. Nemo indulgentias aliis vivis applicare potest, 241, quoties indulgentiæ acquiri possunt, 241.

Conditiones requisitæ *ex parte operum* ad indulgentias lucrandas, 149, nimirum opus debet esse liberum, 149, moraliter bonum et supernaturale, 151, personaliter præstitum, 151; si plura opera præscribantur, quovis ordine peragi possunt, 192; ad plures indulgentias lucrandas opera iterabilia sunt iteranda, 152; opera ordinario præscripta ad indulgentiam plenariam, 153, confessio et communio, 153, visitatio ecclesiæ, 155, preces, 157.

De *commutatione* operum præscriptorum ad indulgentias lucrandas, 318, historia, 318, quænam opera et a quonam commutari possint, 321, quænam vero non possint, 321. Nota de membris confraternitatum ægrotis aut captivis, 322; v. JUBILÆUM.

Indulgentia *toties quoties* pro adscriptis confraternitati scapularis ss. Trinitatis ubinam obtineri potest, 470, 473; similiter portiuncula dominicana, 471, 473, et portiuncula franciscana, 473, n. 3; de materia requisita objectorum piorum in specie rosariorum ut indulgentiis ditari possint, 471, 474; indulgentia plenaria quotidiana pro oratione *Heer Jezus Christus, O Christ Jésus*, 474.

Indumenta liturgica.

Alba originem ducit ex tunica inferiori, 370. Forma, materia et ornatus usque ad s. IX, 371, tempore medii ævi, parura, 372, recentiori tempore, opus reticulatum vel denticulatum, 372. Hodierna disciplina, quoad materiam, 373 et ornatum, 374.

Amictus nomina, 303; origo, 303; usus circa collum vel in capite, 304 s.; ornatur parura, 304; symbolismus: castigatio vocis, galea salutis, 305. Hodiernus ornatus: crux, parura, 305; modus induendi, 306.

Dalmatica originem dicit a tunica superiori, 458, Romæ jam erat indumentum liturgicum proprium diaconis et episcopo, a s. IV, 459, postea alibi. Materia olim linum aut lana, nunc sericum, 459; color olim albus, nunc idem ac casulæ, 460. Formæ evolutio, 460. Ornatus: clavi, fimbriæ, aurifrisia, 460. Quid de novis dalmaticis conficiendis, 461.

Inerrantia Scripturæ sacræ. Quomodo cum infallibilitate apostolica sit componendum quod s. Paulus in oratione ad presbyteros ephesinos videtur affirmare instantem esse suam mortem, 345 ss.; – quomodo cum

inerrantia s. Scripturæ sit componendum quod s. Lucas, auctor inspiratus, hanc Pauli orationem refert eamque sane, utpote orationem Pauli, approbat, 348.

INFUSIO animæ, v. ANIMA.

IRRITATIO, v. VOTUM.

Jubilæum. De jubilæo in genere, 68, de anno sancto, 69, de suspensione indulgentiarum, 70, non vero facultatum circa indulgentias, 72, de publicatione indulgentiarum, 73, de suspensione facultatum, 74. — De obtentione jubilæi extra Urbem, 78, a quibusnam obtineri potest, 78, sub quibusnam conditionibus, 79, de confessione, 80, s. Communione, 80, precibus, 80, operibus substituendis visitationi basilicarum, 81, alia privilegia, 81. — Bis jubilæum lucrari possunt, 81, semel sibi, semel pro defunctis, 254; confessarius quem eligunt speciales accipit facultates, 82, iisque pluries uti potest in ordine ad unam jubilæi obtentionem, 83. — De orationibus *Sacrosanctæ* et *Obsecro Te*, durante anno sancto, 176. — Qui indulgentiam jubilæi Romæ lucrati sunt possunt, deinceps toties jubilæum pro defunctis lucrari quoties sive Romæ sive domi statutas conditiones implent, 252. Dubia soluta de qualitate operarii, 253-254, de quibusvis impeditis, 254.

Kerk van België onder het hollandsch bewind. In de eerste maanden zijner regeering (1815) trachtte Willem I de katholieke belgen te winnen door allerlei tegemoetkomingen, 34; doch de liberale grondwet, doorgedreven spijts de bisschoppen en de afstemming, verbitterde weldra onze bevolking, 124; daarop volgden de verplichting tot den eed, 212 v. en andere tergende en vrijheidsroovende maatregelen, 297, vooral tegenover Mgr de Broglie, bisschop van Gent, 449. Gespannen was ook de toestand met den H. Stoel, die na veel aarzelen en om beterswil, den regeeringsgezinden Mgr de Méan tot aartsbisschop van Mechelen aanstelde, 364.

Législation civile. Loi du 6 mars 1925 relative aux traitements des ministres du culte catholique, 174.

Litaniæ, 468; post litanias de s. Corde Jesu orationis

conclusio est brevis, 468 ; post Lauretanas, orationes de tempore non sunt de præcepto, 468.

Liturgia. In materia etiam liturgica debent applicari normæ generales Codicis, 467.

Locatio. Durante domus locatione, quæ sub jure communi cadit, licet proprietario augmentum pretii locationis urgere etiam minando se, si recusetur, contractum non renovaturum, 88 ss.

MATRIMONIUM, v. DISSOLUTIO, IMPEDIMENTUM.

Missa.

Suppellectilem Missæ quinam benedicere et tangere possint, 133 ss. — De campanula pulsanda, 221 n. ; v. INDUMENTA.

De Missa media nocte in Natali Domini, 465, conventibus eucharisticis, 464, 466; de facultate hanc licentiam concedendi occasione extraordinariæ solemnitatis sub determinatis conditionibus, 464, 466. Quomodo hoc cohæreat cum praxi antiquitatis, 464 s. Quare Missa non celebretur in Parasceve, 465.

Indicatur quomodo Missa cum cantu celebranda sit si assistat tantummodo : 1° unus minister in sacris constitutus, 258 ; 2° unus tonsuratus nondum ad subdiaconatum promotus, 259 ; 3° si tonsuratus legat epistolam, 260 ; 4° si assistat tonsuratus loco subdiaconi in Missa solemni, 260

Mystica theologia.

Regnum Dei *supernaturale* per Christum *restauratum* fuit atque perfectum, 3 s. — Vita Jesu *publica* narratur juxta evangelia, 4 s. — *Passio* et *mors* Christi ejusque *glorificatio* secundum narrationem evangelicam, 97 s.

Regnum Christi in terris seu *Ecclesia* transmittit ad omnes homines merita Christi, 187.

Regnum Dei *in nobis* per applicationem meritorum Christi, 187 s. — Anima præprimis conari debet acquirere puritatem cordis, 189; postea jam potest quiescere in Deo, et Deus in ea, 190. — Animadversiones practicæ, 192.

Regnum Christi æternum *in cœlis*, 265 s. — Æterna damnatio pro impiis, 266 ; remuneratio æterna pro justis per *visionem beatam*, 266 ; pulchritudo animæ beatæ describitur cum verbis L. Lessii, 267 ; ulterius

explicatur visio Dei, 269 ; multiplex *felicitas accidentalis* in cœlis, 270 ; verba s. Cypriani et s. Gregorii de beatitudine cœlesti, 271 ; *donum integritatis* perfectius restitutum, 271 ; verba s. Anselmi 272 ; descriptio beatitudinis cœlestis a s. Bonaventura, 273 s. — Monitum practicum, 277 s.

Ipse Deus, unus et trinus, et Verbum incarnatum, *objectum princeps contemplationis*, 337 s. ; doctrina Rusbrochii, 339. — Excitatio mentis ad contemplandum Deum, cum verbis s. Anselmi, 341 s.

Nationalismus. Monitum episcoporum Belgii ad clerum, 419 s.

NATURA ANGELICA, v. ANGELUS.

Nicænum concilium solemniter recolendum. Epist. Pii PP. XI diei 4 apr. 1925 hac occasione, 185. — Momentum hujus concilii necnon doctrina ipsius breviter indicantur, 186.

Notorietas juris et facti. Ejus notio, 242.

NUMERUS angelorum, v. ANGELUS.

OBJECTA PIA, v. INDULGENTIÆ.

OBSECRO TE, v. JUBILÆUM.

Oratio deprecatoria definitur, 115 ss. ; est actus specificus religionis, 119 ss. — Oratio ad sanctos non est Deo aut Christo injuriosa, 121 ss. ; nec est superflua, 123 s.

Bona temporalia tamquam finem ultimum postulare nefas est, 204 ; bona *honesta* licet petere per modum finis proximi et aliquo sensu absolute, 205 ; bona *utilia* etiam aliquo sensu absolute, sed non propter se, 206 ; abundantia bonorum utilium non potest peti nisi cum expressa conditione utilitatis ad salutem, 207.

Bona spiritualia sunt petenda per se absolute, 208 ; sed vario modo et ordine secundum necessitatem ad salutem, 209 ; difficultates solvuntur, 287 ss.

Mala physica licet petere *sibi* propter finem spiritualem et sub conditione utilitatis ad salutem, 292 ; etiam *proximo* sed cum cautela, 293 s. — *Mala moralia* nunquam postulare licet, 295.

Necessitas medii orationis precatoriæ determinatur, 355 et probatur, 356 ss. *Necessitas præcepti* determina-

tur, 359; est per se præceptum virtutis religionis, per accidens aliarum virtutum, 359. Præceptum religionis sæpius sed indeterminate urget in vita, 361 s.; ulterius præcepti subjectum et objectum declarantur, 363.

Infallibilis impetrationis conditiones pressius determinantur in pie et perseverantur orante, 439; in peccatore et in tali, qui de successu petitionis dubitat, 444.

Oratio ditata quotidiana *indul. plenaria*, p. 474.

ORDINES angelorum, v. ANGELUS.

ORIGO generis humani, v. GENUS HUMANUM; animæ humanæ, v. ANIMA.

Peccatores publici quinam sunt, 245; v. SEPULTURA.

Pœnæ ecclesiasticæ contra cremationem, 65; v. CREMATIO.

Portio parœcialis. Ejus notio, 322; variæ denominationes, 323; ratio et fundamentum, 323; quandonam debetur, 324; quandonam non debetur, 325; a quonam debetur, 398; cuinam debetur, 401. — Solvitur casus de portione parœciali, 477 s.

PORTIUNCULA, v. INDULGENTIÆ.

Præexistentianismus damnatus, 202; v. ANIMA.

Privatio sepulturæ. Ejus notio, 241; ratio hujus privationis, 242; natura hujus privationis: est pœna, proinde odiosa, 162; non infligenda nisi ob delictum certum, 162; publicum, 163; et tantum illis qui ante mortem nullum signum pœnitentiæ dederint, 163; v. SEPULTURA.

Providentia divina *stricte* dicta, 21; *late* dicta, quæ et gubernatio dicitur, est in executione ordinis, 22; ad gubernationem faciunt tum conservatio rerum, tum motio ad agendum, tum directio in finem, 23 s. Verba concilii vaticani explicantur, 23 s.

Religiosi. Decretum de professis votorum temporariorum in amentiam incidentibus, 418.

Ritualis Romani nova editio typica, 467; in quibus differt a præcedentibus, 468 ss.

ROSARIA, v. INDULGENTIÆ.

Rosmini sententia de origine animæ, 253; v. ANIMA.

SACROSANCTÆ, v. JUBILÆUM.

Scientia sacramentalis. Hujus *scientiæ*, 385, *revelatio* prohibetur absolute virtute *religionis* et *justitiæ*, 385, necnon quicumque ejus *usus* cum gravamine pænitentis, 386, 391, etiamsi multo majus gravamen ex non-usu sequatur, 386. Non est locus applicationi probabilismi, 387. Quomodo peccat confessarius qui dicit pænitentem esse scrupulosum, 476? Quodnam sit peccatum, 392; v. SIGILLUM.

Scriptura sacra, v. INERRANTIA.

Interpretatio locorum.

EX VETERE TESTAMENTO : *Psalmi* LXVII, *Exsurgat Deus*, occasio, 375 s.; argumentum et divisio, 376 ss. — Ejusdem psalmi vv. 12-15 interpretatio, 425 ss.

EX NOVO TESTAMENTO :

Act. Ap., XIII, 3 (Impositio manuum Paulo et Barnabæ), 46 ss.

XVIII, 22 (Pauli iter a Cæsarea in Jerusalem), 137 ss.

XVI, 6 et XVIII, 23 (II et III iter Pauli per *Galatiam*), 193 ss.

XVIII, 1-3 et XX, 33-35 (Paulus operarius; v. infra *Ep. Pauli*), 226 ss., 279 ss.

XX, 7 et 11 (Fractio panis Troade a Paulo peracta de Eucharistia intelligenda), 307 ss.

XX, 25 (Prædictio Pauli in oratione ad presbyteros ephesinos de instanti sua morte), 345 ss.

Chronologia eorum quæ referuntur *Act. Apost.*, IX, 1-XI, 18, pp. 16 ss.

Impositio manuum in Novo Testamento quonam sensu sit intelligenda, 110 ss.; quonam sensu in specie *Act. Ap.*, XIII, 3.

Epistolæ s. Pauli :

I Cor., IV, 11 s.; IX, 1-18; *I Thess.*, II, 5-9; *II Thess.*, III, 6-16. De labore manuali cui Paulus operam dabat : factum exponitur et quid in hoc facto mirum videatur, 226 ss.; — varia motiva ob quæ hunc laborem susceperit, 279 ss.

Varii *sensus s. Scripturæ*, quinam soleant admitti ab auctoribus, 402 s.; — hujus classificationis defectus,

402 s. Melius videtur distinguere : a/ sensum quem vocamus *historicum* seu *humanum* seu *scientificum* etc., 405 s., qui passim pro singulis textibus unus tantum fuerit, 407 ss.; b/ sensum quem vocamus *accommodatitium*, 408 et quem distinguimus duplicem, nimirum *realem*, 409 s. et *verbalem*, 410 s.; c/ sensum quem vocamus *mysticum*, 411 et quem iterum duplicem distinguimus, prout Deus unum vel alterum ex dictis sensibus accommodatitiis intenderit, nimirum sensum *mysticum realem* seu *typicum*, 411 ss. et sensum *mysticum verborum* seu *litteralem*, 413 s. — Breve dictorum compendium, 414 s.

Scrupulosus. Quomodo peccat confessarius qui dicit pænitentem esse scrupulosum, 475.

Secta. Quid est secta massonica, quid societas ejusdem generis, 243.

Sepultura ecclesiastica. Ejus notio, 159; quid complectitur denegatio sepulturæ ecclesiasticæ, 159: ratio hujus denegationis, 160; ad sepulturam non admittuntur non baptizati, 161; *per se* omnes baptizati hac sepultura donandi sunt, nisi a jure priventur, 162; v. Privatio sepulturæ.

Sigillum. Virtutibus religionis et justitiæ, 384, scientia sacramentalis, 385, 387, protegitur et quasi sigillatur ita ut, invito pænitente, 387, *eam* revelare vel *ea* uti non liceat, 388, quoties ita revelantur quædam ad sacramentalem scientiam pertinentia, quorum manifestatio gravamini est pænitenti, 389. Quid sit violatio sigilli *directa* et *indirecta*, et quodnam sit peccatum, 392. Explicatur *instructio S. Congr. S. Offic.* 9 jun. 1915, 390; v. Scientia sacramentalis.

Tertiarii, v. Absolutio generalis.

Traducianismus, v. Anima.

Traitements ecclés., v. Législation civile.

Trinitatis ss. scapulare, confraternitas, v. Asolutio generalis; Indulgentiæ.

Vinculum matrimoniale, v. Dissolutio.

Visio beatifica, v. Mystica theologia.

Votum, v. Impedimentum.